BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
23 L
21 M

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

27

12.3.56

Digitized by Google

JOSEPHI WEISSENBACH
BREMGARTENSIS HELVETII
THEOLOGIÆ DOCTORIS

DE ELOQUENTIA PATRUM

LIBRI XIII.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

IN USUM
ECCLESIASTICORUM.

VOLUMEN VII.

Operis LIBRUM X. complectens.

SUPERIORUM PERMISSU.

AUGUSTÆ VINDELICORUM
SUMTIBUS FRATRUM VEITH BIBLIOPOLARUM.

MDCCLXXV.

Multi cibi in novalibus PATRUM. *Proverbiorum XIII.* 23.

De meſſe MAJORUM ſpicas colligimus, qui de horreo noſtro nihil habemus. GILLEBERTUS *in altercatione Synagogæ & Eccleſiæ, cap.* 13.

PRÆFATIO
in
hunc & ſequentes duos Libros.

Innumeros habemus ab omni ætate, qui Locos Communes qua *Dogmaticos*, qua *Morales* ex Libris Patrum exſcribendos in ſe ſuſciperent. Et ex Græcis quidem, SS. Baſilius M. & Gregorius Nazianzenus ſententias Origenis in *Philocalia*, velut breviario quodam comprehenderunt S. Maximus Martyr *Variorum Capitulorum de virtute & vitio quinque Centurias, quatuor* item *Centurias de perfecta charitate & aliis virtutibus*. denique *Capita Theologica ſive Sermones ex ſacris & profanis libris:* S. Joannes Damaſcenus *Libros tres Parallelorum*, *Libros duos ſacrarum Eclogarum ex SS. Patribus*, & *Excerpta Compendiaria ex univerſa interpretatione S. Chryſoſtomi:* Antonius Meliſſa *capita Theologica, ſeu Libros Locorum communium:* Euthymius Zigabenus *orthodoxam fidei Panopliam dogmaticam* ediderunt. Ex Latinis, S. Proſper ſcripſit *librum ſententiarum ex operibus S. Auguſtini excerptarum:* S. Iſidorus Hiſpalenſis *Libros tres ſententiarum de ſummo bono* ex ſcriptis Gregorii M. Venerabilis Beda *Scintillas, ſeu locos communes ex Scriptura & Patribus:* S. Bonaventura *Pharetram* quaſi ex telis quibusdam antiquorum repletam &c. &c. Ultimis ſæculis acceſſerunt alii majore etiam numero, Martinus Perez de Ajala in *Libris X. de divinis Traditionibus:* Petrus Caniſius in *opere Catechiſtico majore:* Jodocus Coccius in *Theſauro Catholico:* Joannes Buſæus in *Panario*, & *Viridario:* Janus Gruterus in *Florilegio magno:* Jacobus Tiran in *Alphabetho Paſtorali:* Joannes Baptiſta Maſculus in *Eruditis Lectionibus veterum SS. Patrum cum ponderatione, & uſu ſententiarum ad Conciones:* Hieronymus Dandinus in *Ethica ſacra:* Et noviſſime P. Montargon in *in Bibliotheca Concionatorum*

torum gallica, & D. Tricalet in *Bibliotheca Patrum portatili*, itidem Gallica * ſingularem quoque mentionem merentur Hieronymi Torrenſis *Confeſſio Auguſtiniana*: Thomæ Beconi *Anthologia Sententiarum Lactantii*: Joannis Nopelii *Confeſſio Ambroſiana*: Cornelii Schultingi *Confeſſio Hieronymiana*: Joannis Piſtorii *Confeſſio S. Bernardi*: Theodori Petreji *Confeſſiones Tertullianica, Cyprianica, Leonina, Gregoriana & Bernardina*: Laurentii Alticotii nuperrima *Summa Auguſtiniana.* **

Quod ſi vero tam magnus, tam multiplex eſt Apparatus Locorum; cui bono iſthic novi obtruduntur? Nempe auctores, quos dicebam, contenti ita ſeu mores inſtituere, ſeu dogmata firmare, de ſplendore, & elegantia illorum non magnopere laborabant. Noſtrum eſt autem habere delectum, neque alia proferre, quam quæ iſtam, quam profitemur, ELOQUENTIAM PATRUM utravis pagina oſtendere poſſint. Hæc opinor mens fuit BENEDICTI PAL-

---

* Dimiſi Thomam Hibernicum, Joannem Sopezium, Joſephum Langium, Ludovicum Granatenſem, Laurentium Bayrlink, Franciſcum Labatham, Richardum Arsdekin, Tobiam Lohner, Andream Spanner, Vincentium Houdry, & quosdam alios parum accurate hoc in negotio verſatos. Quo & ſpectat *Milleloquium* duplex, *Ambroſii* unum, alterum *Auguſtini*, a Bartholomæo Urbinate compilatum, infelix opera, & merum chaos. *Milleloquium Gregorianum* Jacobi Homey, fortaſſe melius, ego nusquam vidi. Sed neque illos tango, qui ſive unum, ſive paucos ſolum locos ejusmodi floribus illuſtrarunt: hi enim, ut majoris ſint uſus, tamen propter ipſam multitudinem & varietatem recenſeri hic nullatenus poſſunt. Poſtremo & *Gloſſarios* & textores *Catenarum* præter œcumenium videlicet, Olympiodorum, venerabilem Bedam, S. Paterium, Rabanum Maurum, Walafridum Strabonem, Anſelmum Laudunenſem, S. Thomam Aquinatem, Joannem Corderium, alios que ejus generis complures, quos vide apud Joannem Albertum Fabricium *Volumine VIII. Bibliothecæ græcæ, mihi a pagina* 837.

** Juverit de Locorum Communium Scriptoribus conſulere Danielem Georgium Morhofium *in Polihiſtore Libro I. cap.* 21. qui nunc mihi non eſt ad manus.

PALMII, quo majorem in dicendo Societas vix habuit. Ubi enim pulpita Italiæ præcipua incredibili ardore, fructu & commendatione pervaſerat, affectis denique viribus & gravi ætate Sententias Patrum grandiores certum in ordinem cœpit diggerere. Opus ipſum, quod ultimam forte manum deſiderat, nusquam editum hodieque in Bibliotheca Collegii Ferrarienſis inſtar Theſauri aſſervatur. De quo Joſephus Juvencius *Parte V. Hiſtoriæ Societatis Jeſu, pagina* 821. ita commemorat: *Extremum ætatis tempus tranſegit in collegio Ferrarienſi, ubi utiliſſimum concionatoribus opus contexuit redactis in communes Locos SS. Patrum teſtimoniis. Nam illis plurimum utebatur. Inde rationum momenta, inde certa profligandis vitiis tela ducebat; quæ præter inſitum robur habent etiam grave pondus auctoritatis, ac ſcite tractata & vibrata facilem oratoribus ſacris victoriam pariunt.* Et Nathanaël Sotuellus in *Bibliotheca Scriptorum* ejusdem *Societatis, pagina* 111. *Cum per ætatem concionari jam non poſſet, & gubernationem deſugeret, ne omnino eſſet otioſus, ad ſcribendum ſe convertit. Itaque contexuit utiliſſimum concionatoribus opus, in quo SS. Patrum teſtimonia, quibus populos fuiſſe commotos experientia didicerat, in communes Locos redegit. Quod opus in Collegio Ferrarienſi ſervatur.* Profecto opere pretium eſſet, ſi volumen iſtud revocatum ad limam, & ad optimas editiones caſtigatum prodiret aliquando, & vel nunc tandem utilitati publicæ deſerviret. Sed malunt homines nova, & ſua emittere, quam aliorum vetera a ſitu tenebrisque vindicare. Igitur, dum id fruſtra expectamus, Libri noſtri ſequentes utcunque Palmii vices ſupplere, Lectorumque juſtiſſimum deſiderium lenire debebunt.

Porro in exſcribendo iſtam ſecuti ſumus rationem, ut ponerentur omnia *Ordine Alphabeti*; qui eſt facilimus, & aliunde in tali genere partitiones ceteras longiſſime antecellit. *Triplex* eſt autem hoc alphabetum. Primum *materiarum, quæ recurrunt identidem:* Secundum *earum, quæ ſæpius:* Tertium denique, *quæ raro & perparce ſolent adhiberi.*

Sed & illud in gratiam Lectorum faciendum putavi, ut Patres *Ordine Chronologico* allegarentur. Sic enim qui vel obiter ſeries temporum impreſſit memoriæ, compendio haud mediocri ſtatim quod quærit inveniet, neque opus habebit, quemadmodum apud alios relegere totum *Titulum*, & quo unicum lepuſculum aſſequatur, vaſtam ſylvam emetiri.

Præterea non niſi optimis & *Editionibus* & *Verſionibus* ſum uſus. Quod ſi ſemel, atque iterum quid immutavi, non ſine conſilio, & probabili de cauſâ eſt factum.

Citationum tam anxia, tamque perpetua fuit cura, ut omnes Titulos a capite ad calcem de integro percurrerem, ipſosque Locos, qui vel minimam movebant ſuſpicionem, cum autographo conferrem. Et quam multos, quamque ſplendidos, ubi numeri fefellerant, expungere malui, quam ita oculis objicere, ut librum, unde erant, vel omiſſum deſiderare, vel male appoſitum quis conqueri poſſet! *

Quod ſi aureum aliquem, & celebratiſſimum locum fruſtrahis in Titulis requiſiſti, non eſt ideo, cur hoc ægrius feras. Quod enim (ut monet Nazianzenus) amœniſſimum hortum ingreſſis evenire identidem ſolet, ipſa florum copia, ſplendor ipſe, atque varietas difficillimam optionem facit. Itaque eorum faſcem collecturi, parum curamus omnium pulcherrimos decerpere; quod ſufficit ſcilicet, ex omni genere habere elegantes: neque intereſt quales fuerint, quando placent, arridentque nobis *univerſi*.

Atque iſta habui, quæ de Libris Locorum Communium te præmonerem. Plura dabit Diſſertatio ſecunda Libri præcedentis, & Laurentius a Villavincentio toto *Libro III. de ratione ſtudii Theologici recte formandi.* Fruere jam noſtris laboribus, & ſeu *Concio*, ſeu *Catecheſis* paranda, ſeu *pœnitentibus jus dicendum*, ſeu *danda conſilia*, ſeu *meditationi* etiam *ſacræque lectioni* vacandum, palmares Patrum ſententias accede: & ſiquidem, ut minime dubito, aliquem tibi fructum afferant, communem Dominum, ac Servatorem noſtrum pro ſalute mea fac depreceris.

---

* Unum duntaxat alterumve locum excipio, ubi nempe præter morem voluntatemque noſtram eſt factum, ut prætermiſſa citatione alia, nihil niſi nudum Patris nomen adſcriptum repetias. Properantibus enim impendio Typothetis non vacabat eadem, qua ante, cura minutiis illis omnibus invigilare.

Elen-

Elenchus Voluminis VII.

Liber X.

De Eloquentia Patrum.

Ad Themata ea, quorum in Dogmatica & Morali chriſtiana frequentiſſimus uſus eſt, ſelectos Patrum Locos ſuppeditat.

Titulus:

I. De *Abuſibus*, quos dicunt, ſeu pravis Conſuetudinibus publice introductis. - *pag.* 1

Caput I. *Loci elegantiores* in eam materiam.

Caput II. *Fontes* ex Patrum Operibus, unde plures alii Loci peti poſſunt.

Et ſic deinceps.

II. De *Adverſis*, deque Patientia, & aliis virtutibus inter illa exercendis. - - 9
III. De *Amore divino* erga nos, & *noſtro* erga Deum. 16
IV. De *Amore* erga *proximum*. - - 26
V. De *Anima* noſtra, & quæ ad eam proxime referri poſſunt. - - - 37
VI. De *Avaritia*. - - - 44
VII. De *Blaſphemiis*, Juramentis, Maledictis &c. 50
VIII. De *Cœlo* & gaudiis ejus. - - 60
IX. De *Communione*, ſeu Euchariſtia. - - 68
X. De *Concionibus*, & verbi divini prædicatione. 77
XI. De *Conſuetudine*, ſeu malo habitu aquiſito. 86
XII. De *Detractione* & Calumnia. - 90
XIII. De *Deo*, ejusque Attributis. - 97
XIV. De *Divitiis*. - - - 110
XV. De *Ebrietate*. - - - 117
XVI. De *Eccleſia*, aliisque huc pertinentibus. 123
XVII. De *Eleemoſyna* &c. - - 131
XVIII. De *Feſtis Diebus*. - - - 140
XIX. De *Fide*. & Religione chriſtiana. - 146
XX. De *Gratia*, tam habituali quam actuali. 156
XXI. De *Gula*, Jejunio, & ceteris huc ſpectantibus. 165
XXII. De *Hæreſi*. - - - 174
XXIII. De *Inferno*, ejusque duplici pœna, damni & ſenſus. - - - 183
XXIV. De *Judicio* divino, generali & particulari. 192

XXV.

Titulus:

XXV. De *Juſtitia*, ejusque Officiis, Adminiſtris, Læſionibus. - - *pag.* 211
XXVI. De *Liberis*, eorumque erga Parentes Officiis. 225
XXVII. De *Luxuria*. - - - 233
XXVIII. De *Magiſtratibus*, & Capitibus Familiarum. 242
XXIX. De *Matrimonio*. - - - 252
XXX. De *Morte*, & quæ huc ſpectant. - 267
XXXI. De *Mundo*, tam phyſico quam morali ſenſu. 282
XXXII. De *Occaſionibus* peccandi, propinquis & proximis - - - 296
XXXIII. De *Odio*, Vindicta; Reconciliatione item, & Amore Inimicorum. - - 305
XXXIV. De *Parentibus*, & eorum in Liberos Officiis. 312
XXXV. De *Peccato* originali. - - 326
XXXVI. De *Peccato* actuali, gravi & veniali. 332
XXXVII. De *Pœnitentia* generatim. - - 342
XXXVIII. De *Pœnitentiæ* Procraſtinatione. - 346
XXXIX. De *Pœnitentiæ* partibus omnibus, fuſe & ſingulatim. - - - 353
XL. De *Relapſu*. - - - 375
XLI. De *Reſtitutione*. - - - 378
XLII. De *Salute*, ejus negotio, cura, momento, difficultate. - - - 382
XLIII. De *Scandalo*. - - - 387
XLIV. De *Societate*, tam bona quam mala. 396
XLV. De *Timore* Dei. - - - 400
XLVI. De *Vita* humana, ejusque defectibus ac miſeriis. - - - 406

Subjungitur *Index* aliorum quoque *Titulorum*, hic fortaſſe requirendorum; qui tamen vel in memoratis contenti jam ſunt, vel certe ſequentibus in Libris reperientur. Ordo commoditatis ergo idem eſt cum priore, nempe *alphabeticus*.

DE ELO-

DE ELOQUENTIA PATRUM LIBER X.

Ad Themata ea, quorum in Dogmatica & Morali chriſtiana frequentiſſimus uſus eſt, ſelectos Patrum locos ſuppeditat.

TITULUS I.

De *Abuſibus* quos dicunt, ſeu pravis conſuetudinibus publice introductis.

CAPUT I.

Loci elegantiores in eam materiam.

Non utique habenas eas converſationis immittit Paulus, ut quoniam neceſſe ſit convivere & nos, & commiſcere cum peccatoribus, ideo & cum eis peccare poſſimus. Ibi eſt commercium vitæ, quod Apoſtolus concedit; hic pec-

cati * quod nemo permittit. Licet convivere, commori non licet. Tertullianus *Libro de Idololatria cap.* 14.

Dum negligentia in uſum veniunt, contra pudicos & ſobrios mores licentiam ſibi de uſurpatione fecerunt. S. Cyprianus *Libro de diſciplina, & habitu Virginum, poſt medium.*

Cum admittunt ſinguli crimen eſt; virtus eſt cum publice geritur. *Idem S. Pater Epiſtola* 2. *ad Donatum.*

Exempla fiunt, quæ eſſe jam facinora deſtiterunt. *Idem eadem Epiſtola.*

Eſſe jam inter nocentes innoxium crimen eſt; malos quisquis non imitatur offendit. Conſenſere jura peccatis, & cœpit licitum eſſe quod publicum eſt. *Idem ibidem.*

Eo usque enervatus eſt eccleſiaſticæ diſciplinæ vigor, & ita omni languore vitiorum præcipitatur in pejus, ut jam non vitiis excuſatio ſed auctoritas detur. *Idem Libro de ſpectaculis.*

Nullum malum difficilius extinguitur, quam quod faciles reditus habet; dum & multitudinis conſenſu aſſeritur, & excuſatione blanditur. *Idem eodem Libro.*

Nec conſuetudo quæ apud quosdam irrepſerat, impedire debet quo minus veritas prævaleat, & vincat. Nam conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt. Propter quod relicto errore ſequamur veritatem. *Idem Epiſtola* 74. *ad Pompejum.*

Anguſta eſt, & ſtricta via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam. Quis igitur ſana mente præditus non malit in paucorum eſſe numero per anguſtam (viam) ad ſalutem ingredientium, quam multorum per latam ad interitum ruentium? S. Athanasius *in tributo ipſi opuſculo adver-*

---

* Malim quam *peccare*, quod omnes habent.

adverſus eos, qui ex ſola multitudine veritatem dijudicant Tomo II. novo pagina 561.

Videntur hæc, planguntur, & non vindicantur; quia multitudo peccantium peccandi licentiam ſubminiſtrat. Pro nefas! orbis terrarum ruit; in nobis peccata non ruunt. S. HIERONYMUS *Epiſtola* 128. *alias* 12. *ad Gaudentium.*

S. PAULINUS, *ſive (ut ultimi Editores Hieronymi Veronenſes)* SULPITIUS SEVERUS *de via anguſta a Servatore propoſita*: Converſatio, *inquit*, iſta paucorum eſt, eſtque perrarum atque difficile, idoneos hujus itineris comites reperire. Quin etiam multi hac ire ſe ſimulant, & per diverſa errorum diverticula ad viam multitudinis revertuntur. Ideoque timendum eſt, ne quos duces recti hujus itineris habere nos credimus, eos comites habeamus erroris. *Inter Epiſtolas Hieronymi & Paulini tam in novis, quam in antiquis Editionibus.*

Ceſſet omnis excuſatio errorum! auferantur peccandi fœda ſolatia! nihil omnino agimus qui nos per multitudinis exempla defendimus, & ad conſolationem noſtram aliena ſæpe numerantes vitia deeſſe nobis dicimus, quos debeamus ſequi. Ad illius exemplum mittimur quem omnes fatentur imitandum. *Idem ibidem.*

Væ tibi flumen moris humani! quis reſiſtet tibi? quamdiu non ſiccaberis? quousque volves Evæ filios in mare magnum & formidoloſum? S. AUGUSTINUS *Libro I. Confeſſionum cap.* 16.

Nolite imitari malos Chriſtianos, nolite dicere: faciam hoc quia multi fideles hoc faciunt. Hoc non eſt defenſionem parare animo, ſed comites ad gehennam inquirere. *Idem ſermone* 146. *alias* 62. *de verbis Domini.*

Sciant hi conſuetudine improba peccatum non diminui, quin potius augeri. Nam conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt. Non ergo hominum

conſuetudo ad prava ducentium, & ad perniciem currentium, ſed Dei veritas, quæ per Prophetas, per Apoſtolos, per ipſam Domini vocem innoteſcit, ſequenda eſt; niſi interitum & perditionem adamemus. Neque erit illis minus ſupplicium; ſed potius ſupplicii incrementum accipient ex multitudine peccantium, & conſortio eorum, qui ſimili culpa colligati ſimili pœna involventur. *Idem. Citatio enotantem effugit. Ni fallor vehementer, eſt ex Sermonibus de Tempore.*

Ad negligentiam vitæ non nos negligentium turba perſuadeat, nec ad damnum propriæ ſalutis alienis ducamur erroribus. Quid nobis in illo Dei judicio proderit multitudo, ubi ſinguli judicabuntur: ubi ſola examinatio meritorum, actus quemque non populus abſolvet? Ceſſent ceſſent ſolatia maleſuada diſcriminis! Nimirum præſtat vitam propagaſſe cum paucioribus. Atque adeo non nos ad incuriam peccatorum ſola peccantium numeroſitas pertrahat: neque hoc quod ſibi alii parum conſulant, quædam nobis efficiatur auctoritas. Obſecro te, delictum alienum ſemper ut opprobrium reſpice, nunquam ut exemplum. Quod ſi libet oculos ad exempla conferre: in illam potius intende partem, qua licet pauciores ſint; tamen ſunt in ſua parte copioſi: illam inquam reſpice, in qua ſunt, qui ſapienter intelligunt quapropter nati ſint: & utique dum adhuc vivunt vitæ ſuæ cauſam agunt: qui utili opere inſignes, atque egregia virtute præſtantes præſentem vitam excolunt, futuram ſerunt. Nec ſolum copioſa horum exempla, verum etiam magna non deſunt. Nam quæ mundi nobilitas, qui honores, quæ dignitas, quæ ſapientia, quæ facundia, quæ literæ non ſe jam ad hanc cœleſtis regni militiam contulerunt? S. EUCHERIUS *in Parœneſi ad Valerianum, ante medium.*

Sed

Sed tales forte hoſtes ſunt inter quos agunt, ut eos iſta delectent, & offendantur graviſſime ſi cum ipſi impudici ſint, videant caſtos eſſe Romanos? Quod ſi ita eſſet, nequaquam tamen facere nos improbos improbitas deberet aliena; quia quemlibet hominum magis ſibi præſtare convenit, ut ſit bonus, quam alteri ut ſit malus: & plus id laborandum eſt, ut placeamus Deo per honeſtatem, quam ut hominibus per impuritatem: ac proinde etiamſi inter impudicos quis barbaros vivat, magis tamen pudicitiam ſequi debet quæ ſibi expedit, quam impudicitiam quæ impuris hoſtibus placet. SALVIANUS *Libro 7. de Gubernatione Dei, ſive de Providentia, propius initium.*

Numquid aliis ideo minus debet ſi & alius id ipſum debeat? aut ſi centum hominum cautiones de centenis ſeſtertiis ſcriptæ ſint, num idcirco allevatur unius debitum, ſi omnes ſint ejuſdem numeri debitores? *Unusquisque* enim, inquit Apoſtolus, *ſuum onus portabit, & unusquisque pro ſe rationem reddet.* Nequaquam ergo unius pondus pondere allevatur alterius, nec abſolvitur reus ſocietate multorum: neque ideo minus eſt cuilibet tetra damnatio ſi multos videatur complices pœnæ habere damnatus. Ita hoc quod ſupra dixi licet generale ſit debitum, & ſpeciale tamen eſſe non dubium eſt: licet ſit commune omnium, eſt tamen peculiariter ſingulorum: ita ad omnes æqualiter pervenit, ut tamen de ſumma unicuique nihil decedat. *Idem Libro ad Eccleſiam Catholicam, ſeu adverſus avaritiam, prope initium.*

 CAPUT II.

CAPUT II.

Fontes ex aliis Patrum Operibus, unde plures alii Loci peti poſſunt.

Tertullianus *Libro de velandis Virginibus capitibus* 1. 2. *&* 3.

Clemens Alexandrinus *Libro III. Pædagogi cap* 3. *Item in Exhortatione ad gentes, poſt medium, & ad finem* præclare huc facit.

S. Cyprianus *Epiſtola* 68. *ad Clerum & plebem in Hiſpania conſiſtentem, ſub finem.*

Lactantius *Libro II. divinarum Inſtitutionum cap.* 3. in eos qui malunt errorem communem ſequi ipſi, quam alios dedocere.

S Athanasius *creditus opere jam laudato*, quod quidem Photius *Codice* 46. Theodoreto: alii Eutherio Tyanensi Epiſcopo, & Neſtorii partiario adſcribunt. Cujuſcunque ſit, ſane pulcherrima huc habet.

S. Ambrosius *Libro de Tobia cap.* 22. contra morem inveteratum. *Libro de lapſu Virginis conſecratæ cap.* 9. in excuſationem ab exemplis aliorum illud ipſum perpetrantium.

S. Chrysostomus *Libris* 1. *&* 3. *adverſus oppugnatores vitæ monaſticæ.*
Libro 1. *de compunctione cordis.*
Libro 2. *de Providentia.*
Homilia 6. *ad populum, verſus finem.*
Homiliis 22. 23. *&* 56. *in Geneſin.*
Homilia in Pſalmum 11.
Homilia 19. *ex variis in Matthæum, apud veteres Editiones,* quam quo rejecerit Montfauconus, minime nunc vacat inquirere.

S. Chrysostomus *Homiliis* 8. & 24. *in Acta.*
Homilia 7. *in* I. *ad Corinthios.*
Homilia 6. *in ad Epheſios.*
In Epiſtolis ad Olympiadem & *alios quoſdam* perſcriptis. Ubi quidem omnia fere complectitur, quæcunque ad iſtum Titulum referri poſſunt.

S. Hieronymus aut quisquis eſt auctor laudatæ jam *Epiſtolæ ad Celantium.*

S. Augustinus *Epiſtola* 22. *alias* 64. *ad Aurelium* de modo tollendi abuſus publicos, & 29. *recens reperta ad Alipium,* ubi quam feliciter tam vehementer incubuit ad pravam conſuetudinem abolendam.
Libro III. contra Epiſtolam Parmeniani cap. 2. quod ſit tempus opportuniſſimum ad idipſum perurgendum.
Sermone 88. *alias* 18. *de verbis Domini cap.* 14. ne moribus aliorum abſterrere nos a bono ſinamus.
Libro Expoſitionis Epiſtolæ ad Galatas, ad caput 4. agit pulchre de tolerantia abuſuum, id quod repetit *Enchiridii cap.* 80. Sed etiam *Libro VI. cap.* 10. *de Civitate* adoptat verba Senecæ abuſus publicos caſtigantis.
Denique *Libro III. Confeſſionum a cap.* 7. & *Libro III. de doctrina chriſtiana a cap.* 12. excuſat conſuetudines antiquorum, neque vult omnes ex

moribus hodiernis æſtimari. De iis autem conſuetudinibus, quæ obtinent alibi & differunt a noſtris ſæpiſſime, uti *Epiſtolis* 54. & 55. *alias* 118. & 119. *ad inquiſitionem Januarii.* Ubi tamen hoc dat vitio, quod arbitraria ejusmodi accuratius fere quam neceſſaria ſerventur.

Salvianus ſæpiſſime queritur de generali corruptione morum, uti *Libro* 3. *de Gubernatione Dei* graviſſimis verbis. Idem *Libro* 7. *de eadem* flagitia publica iis omnia adſcribit, qui illa tolerant.

Sixtus III. *putatus Libro de malis Doctoribus, poſt initium* vitia quæ in mores abierant, & *paulo inferius* degenerem fere omnium Chriſtianorum vitam impugnat.

S. Gregorius Magnus *Libro I. Moralium capite* 1.* oſtendit, quam ſit magnum inter omnes malos ſolum bonum manere.

S Bernardus idem oſtendit eleganter *Epiſtola* 25. *Libro autem IV. de Conſideratione capitibus* 2. & 3. paulo preſſius de Abuſibus agit, eosque tollendos monet.

Joannes Saresberiensis *Libro VII. Policratici* egregie docet, quam ſit futilis excuſatio a multitudine peccantium repetita.

Plura Titulis: *Societas*, *Scandalum &c.* occurrent.

TITU-

* Ut & labori & chartæ parcatur, *Capita Librorum Moralium* hujus S. Doctoris ex ſola deinceps Editione *Maurina* diſtribuemus: Magna eſt enim in hac parte Editorum differentia, & antiqui quidem cum pro libitu non tam dividant Capita, quam diſcerpant, neque partes ſed fruſta exhibeant, vix poſſunt adduci absque tædio, & perturbatione.

TITULUS II.

De *Adverſis*, deque Patientia, & aliis virtutibus inter illa exercendis.

CAPUT I.

Loci.

Abſit a ſervo Chriſti tale inquinamentum, ut patientia majoribus tentationibus præparata in frivolis excidat! TERTULLIANUS *Libro de Patientia cap.* 8.

Jam non adorandæ, ſed ſubeundæ cruces. MINUTIUS FELIX *in Octavio.*

Filius Dei paſſus eſt, ut nos filios Dei faceret: & filius hominis pati non vult, ut eſſe Dei filius perſeveret? S. CYPRIANUS *Epiſtola* 56. *ad Thibaritanos.*

Læſus alapis es? at enim Dominus quoque. Infectus es ſputis? Sed & Dominus noſter. *Non enim avertit faciem ſuam a confuſione ſputorum.* Structæ tibi ſunt ſycophantiæ? utique & Judici. Diſciderunt tuam tunicam? exuerunt etiam Dominum meum & diviſerunt inter ſe ejus veſtimenta. Nondum condemnatus es, nondum crucifixus. Deſunt tibi multa ut pervenias ad ipſius imitationem. S. BASILIUS MAGNUS *homilia* 10. *quæ eſt adverſus iratos.*

Quota tandem pars hæc ſunt ſputorum & alaparum Chriſti, pro quo, & ob quem pericula ſubeuntur? S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione* 25. *ad Arianos, & de ſe ipſo.*

Multo majora ejus (Chriſti) beneficia habemus, quam hæc ſunt omnia quæ videntur adverſa. Si enim morimur pro illo, quod gravius videtur in his; & ille mortuus eſt pro nobis. Sed ille ut prodeſſet nobis; noſtra autem mors non illi

proficit, ſed nobis. Temporalem enim vitam perdimus, ut nobis rependatur æterna. *Creditus* AMBROSIUS *in Commentario ſuper* 8. *capat Epiſtolæ ad Romanos.*

Cogita quoslibet cruciatus: extende animum in quaslibet in hac vita pœnas humanas: compara gehennæ: & leve eſt omne quod cogitas. S. CHRYSOSTOMUS *creditus homilia de beato Job, poſt quinque illas a Lælio Tifernate verſas; quam in nova Montfauconi Editione hodieque requiro.*

Quidquid hic paſſus fuerit homo, ſi corrigatur, emendatio eſt; ſi non corrigatur, duplex damnatio eſt. Et hic enim luit pœnas temporales, & ibi experietur æternas. *Idem eadem homilia.*

Si cum ſint tot triſtia & pericula & timores & curæ nos undique circumeuntes, tam libenter præſenti immoramur vitæ: ſi nihil horum eſſet, & absque triſtitia & ærumnis tota foret vita noſtra, quando unquam futura deſideraremus? *Idem homilia 6. ad populum, ante medium.*

E duobus elige, quod velis. Aut ſancta es & probaris: aut peccatrix es, & injuſte quereris, minora ſuſtinens, quam merearis. S. HIERONYMUS *Epiſtol.* 25 *nunc* 39. *ad Paulam.*

Cum ſequeris viam Chriſti non tibi ſæculi proſperitates promittas. Per dura ambulavit; ſed magna promiſit. Sequere! noli tantum attendere, qua iturus es, ſed quo venturus ſis. Tolerabis dura temporalia, ſed ad felicitatem & lætitiam pervenies ſempiternam. S. AUGUSTINUS *Concione* 2. *in pſalmum* 33.

Quid ergo miſericorditer præſtatur hominibus a Domino Deo, a quo etiam tribulatio beneficium eſt! *Idem Sanctus Epiſtola* 87. *nunc* 210. *ad Felicitatem & Ruſticum.*

Si vos aliqua moleſtia temporalis exagitat, ipſa vos magis admonere debet, quemadmodum de

de illa vita cogitare debeatis, ubi ſine aliquo labore vivatis, evadentes non moleſtas anguſtias temporis parvi, ſed horrendas pœnas ignis æterni. Nam ſi modo tanta cura, tanta intentione, tanto labore agitis, ne in aliquos cruciatus tranſitorios incidatis: quantum vos oportet eſſe ſolicitos, ut ſempiternas miſerias fugiatis. *Idem Epiſtola* 138. *nunc* 122 *ad Clerum & Populum Hipponenſem.*

Flagellat autem omnem filium quem recipit. Ne te ſine flagello ſperes futurum, niſi forte cogites exhæredari. Flagellat omnem filium, quem recipit. Itane omnem? ubi te volebas abſcondere? omnem: & nullus exceptus, nullus ſine flagello erit. Quid! an omnem? etiam unicus ſine peccato, non tamen ſine flagello. *Idem Enarratione* 2. *in pſalmum* 31.

Sæviat quantum vult, pater eſt. Sed flagellavit nos, & afflixit nos, & contrivit nos? Pater eſt .... noli repellere flagellum, ſi non vis repelli ab hæreditate. Noli attendere quam pœnam habeas in flagello, ſed quem locum in teſtamento. *Idem in Enarratione in pſalmum* 102. Ad confortandum cor tuum venit ille pati, venit ille mori, venit ille ſputis liniri, venit ſpinis coronari, venit opprobria audire, venit poſtremo ligno configi. Omnia hæc illa pro te: tu nihil pro illo. *Idem Libro de paſtoribus cap.* 5.

Tres cruces in loco uno erant. In una latro liberandus, in alia latro damnandus, in media Chriſtus alterum liberaturus, alterum damnaturus. Quid ſimilius iſtis crucibus? quid diſſimilius iſtis pendentibus? *Idem Epiſt.* 48. *nunc* 113. *ad Vincentium.*

Impatientes dum mala pati nolunt, non efficiunt, ut a malis eruantur, ſed ut mala graviora patiantur. Patientes autem qui mala malunt non committendo ferre, quam non ferendo committere: & leviora faciunt quæ per patientiam patiuntur, &

pejora

pejora evadunt, quibus per impatientiam mergerentur. *Idem Libro de Patientia cap.* 2.

Quod pateris tranſit, finitur: quod accepturus es, finem non habebit. Nolo æques pœnam cum præmio; temporalia æqua æternitati ſi potes. *Idem Concione* 2. *in pſalmum* 48.

Labora hic * venturus ad finem: labora ne cum non vis hic laborare, venias ad finem vitæ, & nunquam venias ad finem laborum. *Idem Concione* 7. *in eundem pſalmum* 48.

Utinam mi frater digni habeamur, qui maledicamur, & notemur, & conteramur, atque etiam interficiamur in nomine Jeſu Chriſti; dum non ipſe occidatur Chriſtus in nobis! . . . Sed adhuc amico, quod pejus eſt ſæculo ſolvimur, & in Chriſto deliciamur. laudari tantum in nomine ipſius amantes; contriſtari & tribulari, quod eſt utilius recuſantes. S. Paulinus *Epiſt. ad Severum alias* 6. *nunc* 1.

Quid homo pro ſe pati debet, ſi tanta Deus pro hominibus pertulit! S. Gregorius Magnus *homilia* 2. *in Evangelia.*

Ad magna præmia perveniri non poteſt, niſi per magnos labores. *Idem homilia* 27. *in Evangelia.*

Væ portantibus crucem, non ſicut Salvator ſuam ſed ſicut ille Cyrenæus alienam! væ citharedis citharizantibus, non ut ille de Apocalypſi in citharis ſuis, ſed vere ut hypocritæ in alienis, væ inquam, ſemel, & væ iterum portantibus Crucem Chriſti, & non ſequentibus Chriſtum! qui nimirum cujus paſſionibus participant, humilitatem ſectari negligunt. Duplici quippe contritione conteruntur, qui hujuſmodi ſunt, quando & hic pro temporali glo-

* Id eſt *patere.*

gloria temporaliter ſe affligunt, & in futuro pro interna ſuperbia ad ſupplicia æterna pertrahuntur. Sequuntur Chriſtum in paupertate ſua; ſed in gloria non ſequuntur. De torrente in via bibunt; ſed non exaltabunt caput in patria. Lugent nunc; ſed tunc non conſolabuntur. S. BERNARDUS *in Apologia ad Guilielmum Abbatem poſt initium.*

Dolorem ſervi dolor lenit Domini. Paſſio paſſione vincitur, & cruciatus cruciatibus ſuperatur. S. LAURENTIUS *Juſtinianus de caſto connubio cap.* 8.

CAPUT II.

Fontes.

TERTULLIANUS *Libro de Patientia.*

S. CYPRIANUS *Libro de bono patientiæ*, & *Libro de Mortalitate.*

S. ZENO *Sermone de patientia.*

S. EPHRÆM *Sermonibus aliquot de patientia Tomis I. II. & III. novis.*

S. BASILIUS *Homilia nunc* 21. *quod rebus mundanis adhærendum non ſit &c. Homilia nunc* 8. *in famem, & ſiccitatem & alias ſæpe.*

S. AMBROSIUS *in Pſalmum* 118. *octonario* 9. *verſu* 1.
10. *verſu* 4. & 6.
14. *verſu* 2.
18. *verſu* 7.

S. CHRYSOSTOMUS *Homilia* 63. *in Geneſin.*
Homilia in Pſalmum 141.
Homilia 54. *in Matthæum.*
Homilia 86. *in Joannem.*
Homilia 15. *in Acta.*
Homilia 9. *in ad Romanos.*
Homilia 26. *in* 2. *ad Corinth.*

S. CHRY-

S. CHRYSOSTOMUS *Homiliis* 8. & 15. *in ad Philippenſes.*
Homilia 3. *in I. ad Theſſalonicenſes.*
Homilia 7. *in II. ad Timotheum.*

Pluribus item in *Libris tribus de Providentia. Homiliis* 4. 5. 6. & 15. *ad populum*, & *homiliis de Lazaro.* Item *Tomo III. novo homilia de gloria in tribulationibus*, & quæ mox ſequitur *Homilia de Lucro ex tribulationibus*, denique innumeris aliis locis. Huc etiam ſpectant quæ habet de vinculis Pauli *Homilia* 8. *in ad Epheſios, &c.*

S. HIERONYMUS *Epiſtola* 34. *nunc* 118. *ad Julianum*, & aliis quibusdam. Maxime vero in adſcripta illi *Epiſtola ad Virginem in exilium miſſam.*

S. AUGUSTINUS *Libro I. de Sermone Domini in monte, pluribus capitibus.*
Libro de patientia.
Libro I. de Civitate capite 8 9. 10. item *Libro XXII. de eadem cap.* 22. & 23.
Sermone 9. *de verbis Domini, nunc Sermone* 70.
Sententia 272. *ex collectis a Proſpero.* Sileo alia, quæ paginam totam implerent.

S. PAULINUS *Epiſtola* 6. *nunc* 1. *Epiſtola* 2. *nunc* 24. & alias ſæpius.

S. CASSIANUS *Collationibus XVI. & XVIII. capitibus pluribus* de vera falſaque patientia. Rurſum ad finem *Libri de inſtitutis renuntiantium*, quam neceſſaria patientia in communitate religioſa.

SEVERINUS BOETHIUS *Libris quinque de Conſolatione Philoſophiæ.*

S. GREGORIUS MAGNUS *in Libris Moralium*, & alibi paſſim.

S. ISI-

S. Isidorus Hispalensis *Libro I. Synonimorum fuſe*: & rurſum *Libro II. eorundem cap.* 7.

S. Antiochus *homiliis* 78. *&* 79.

S. Bernardus *Sermone* 43. *in Cantica, & ſermonibus* 16. *&* 17. *in pſalmum*: Qui habitat.

Petrus Blesensis *Tractatu de utilitate tribulationum.*

S. Laurentius Justinianus *in Ligno vitæ*, in quo *Librum habet* de patientia.

Si quis preſſe de *Perſecutionibus* quid velit, equidem in ſuperioribus plura habet; ſed dabimus etiam nova, ut apud

Tertullianum in *Apologetico*, in *Scorpiaco*, ad *Scapulam*, ad *Martyras*, ad *Nationes.*

Minutium Felicem *in Octavio.*

S. Cyprianum *Libro ad Demetrianum*, *in Exhortatione Martyrii*, *in Epiſtolis ſæpiſſime.*

Lactantium *in Libris Inſtitutionum divinarum*, & multo magis in *Libro de mortibus perſecutorum. Sanctos* Athanasium *&* Hilarium Pictaviensem, ubi ſcribunt de perſecutione Ariana.

S. Basilium Magnum *Epiſtola* 240. *alias* 192. *ad Nicopolitanos Presbyteros.* Idem præclare de æſtro perſecutionis Chriſtianorum *Homilia in Gordium Martyrem.*

S. Gregorium Nazianzenum *Orationibus* compluribus, præcipue illis quas ſcripſit *adverſus Julianum*, & *Arianos*, & *pro ſe ipſo.*

S. Gregorium Nyssenum *Oratione* 8. *de Beatitudinibus.*

S. Chrysostomum *Libro ad ſcandalum paſſos*: *Libro, quod nemo læditur niſi a ſe ipſo*: *in Epiſtolis ubique maxime ad Olympiadem.*

S. Augustinum *Sermone* 1. *in Pſalmum* 36. *& Epiſtola* 122. *ad Victorianum, nunc* 111.

S. Cyril-

S. CYRILLUM ALEXANDRINUM *Homilia Epheſi habita, priuſquam a comite comprehenderetur, militibusque aſſervandus traderetur.*

SALVIANUM *Libro* 4. & 8. *de Gubernatione Dei.*

S. GREGORIUM MAGNUM *Libro XXII. Moralium capitibus pluribus.*

S. PETRUM DAMIANI *Opuſculo* 53. *de patientia in inſectatione improborum.*

Supplebunt Titulum, quæ dicemus infra de *Cruce*, de *Conformatione voluntatis noſtræ cum divina, de Paſſione Domini &c.*

TITULUS III.

De *Amore divino* erga nos, & *noſtro* erga Deum.

CAPUT I.

Loci.

S. CHRYSOSTOMUS *Homilia* 9. *in ad Romanos ad calcem.* Nihil eſt, nihil certe, quod amor Dei non vincat. Cum porro Dei amor eſt, omnibus eſt ſublimior; neque ignis, neque ferrum, non paupertas, non infirmitas, non mors, non quidvis aliud grave videbitur ei qui hoc amore detentus eſt; ſed omnia irridebit & ad cœlum volabit; nec alio modo affectus erit quam ii, qui illic degunt; nihil aliud reſpiciens, non cœlum, non terram, non mare, ſed unam attendens pulchritudinem gloriæ nempe illius: neque præſentis vitæ ærumnæ illum deprimere, neque proſpera & voluptatem ferentia inflare poterunt. Hunc ergo diligamus amorem cui par nihil eſt, & propter præſentia & propter futura; imo vero & inprimis propter ipſam amoris naturam. Sic enim libera-

liberabimur & a præſentis & a futuræ vitæ ſupplicciis & regno fruemur. Ceterum neque liberatio a gehenna neque regni illius poſſeſſio magnum quidpiam eſt ſi comparetur cum illo quod dicturi ſumus. Illis omnibus majus eſt Chriſtum & amatum & amatorem habere. Si enim apud homines hic amor mutuus omni voluptate ſuperior eſt: cum apud Deum hic mutuus amor concurrit, quis ſermo quæ mens poſſit iſtius animæ felicitatem declarare? Nulla id poteſt mens, ſed experientia tantum. Ut ergo & ſpiritualem hanc lætitiam & beatam vitam & mille bonorum theſaurum experientia ediſcamur, relictis omnibus hunc amorem complectamur, & ad lætitiam noſtram & ad amati Dei gloriam; quia ipſi gloria & imperium cum unigenito & ſancto Spiritu nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Idem Hom. 23. *in ad Romanos, pariter ad calcem.* Nihil non agit Deus ut diligatur a nobis, ideoque neque filio ſuo pepercit: at nos immites & crudeles ſumus. Sed ſimus tandem manſueti diligamusque Deum, ut diligere par eſt, ut cum voluptate virtute fruamur. Si enim qui mulierem habet dilectam, nihil ſentit ex iis quæ quotidie triſtia accidunt: qui hoc divino & puro amore tenebitur, cogita quanta fruetur voluptate! hoc enim, hoc inquam regnum cœlorum, hoc bonorum fruitio, hoc voluptas, hoc lætitia, hoc gaudium, hoc beatitudo; imo quidquid dixero nihil unquam protero dignum afferre; ſola experientia hoc docere bonum poteſt. Ideo dicebat Propheta: *Delectare in Domino! & guſtate & videte quoniam ſuavis eſt Dominus.* Obſequamur ergo & delectemur in ejus dilectione. Sic enim hinc jam regnum cœlorum videbimus, & vita vivemus angelica: atque in terra verſantes nihil minus habebimus quam ii qui in cœlo habitant, & poſtquam hinc migra-

verimus, omnium ſplendidiſſimi ante tribunal Chriſti ſiſtemur, inæſtimabilique gloria fruemur.

S. AUGUSTINUS *Libro I. Confeſſionum cap.* 5. Quid tibi ſum ipſe, ut amari te jubeas a me: & niſi faciam iraſcaris mihi, & mineris ingentes miſerias? parvane ipſa eſt miſeria * ſi non amem te?

Quis ſic delectat, quam ille, qui fecit omnia quæ delectant? *Idem in pſalmum* 32. *in Concione I.*

Neſcio utrum magnificentius nobis charitas commendari poſſit, quam ut diceretur: *Deus charitas eſt.* Brevis laus, & magna laus! brevis in ſermone; & magna in intellectu. *Idem Tractatu* 9. *in Epiſtolam S. Joannis initio.*

Idem ſequens de fortitudine amoris tormenta corporum, ipſamque mortem ſuperantis.

Nihil eſt tam durum, atque ferreum, quod non amoris igne vincatur. Quo cum ſe anima rapit in Deum, ſuper omnem carnificinam libera, & admiranda volitabit, pennis pulcherrimis, & integerrimis, quibus ad Dei complexum amor caſtus innitur. Niſi vero amatores auri, amatores laudis, amatores fœminarum amatoribus ſuis Deus ſinat eſſe fortiores; cum ille non amor, ſed congruentius cupiditas vel libido nominetur. In qua tamen apparet, quantus ſit impetus animi ad ea, quæ diliguntur indefeſſo curſu per innania quæque tendentis: argumentoque nobis eſt, quam ſint omnia perferenda, ne deſeramus Deum, ſi tanta illli ut deſerant, perferunt. *Libro de moribus Eccleſiæ Catholicæ cap.* 22.

In delicias ſpiritales etiam ipſa quæ videntur laborioſa vertuntur. Nullo modo enim ſunt oneroſi labores amantium; ſed etiam ipſi delectant ſicut venantium, aucupantium, piſcantium, vindemian-

---

* *Antw. Plantimana & Maurina,* & *Lovanienſis* Editio omittunt *miſeria.*

miantium, negotiantium, ludo aliquo ſeſe oblectantium. Intereſt ergo quid ametur. Nam in eo quod amatur, aut non laboratur, aut & labor amatur. Et vide quam pudendum, & dolendum ſit, ſi delectat labor ut fera capiatur, ut cupa & ſacculus impleatur, ut pila jaciatur, & non delectat, ut Deus aquiratur! *Libro de bono viduitatis cap.* 21.

Si amare pigebat, ſaltem nunc redamare non pigeat. Nulla eſt enim major ad amorem invitatio, quam prævenire amando: & nimis durus eſt animus, qui dilectionem ſi nolebat impendere nolit rependere. *Idem Libro de catechizandis rudibus cap.* 4.

Deum non vides? ama, & habes. Quam multa in damnabilibus cupiditatibus amantur, & non habentur . . . quærunt habere, & plerumque ante moriuntur, quam inveniant, quod quærebant. Deus nobis de compendio ſe offert. Clamat nobis: amate me, & habebitis me, quia nec poteſtis amare me, niſi habueritis me. *Idem Serm.* 34. *alias* 2. *de diverſis.*

Accedamus filioli, quo vocat charitas trahit amor, invitat affectio! Deum patrem viſcera ſentiant, vox perſonet, loquatur lingua, ſpiritus clamet, & totum quod eſt in nobis, reſpondeat gratiæ, non timori, quia qui judicem mutavit in Patrem, amari voluit, non timeri. S. Chrysologus *Sermone* 67.

Omnia amamus, omnia colimus. Solus nobis in comparatione omnium Deus vilis eſt! Salvianus *Libro VI. de Gubernatione Dei, propius initium.*

Cur per multa vagaris homuncio quærendo bona animæ tuæ, & corporis tui? ama unum bonum, in quo ſunt omnia bona, & ſufficit: deſidera ſimplex bonum, quod eſt omne bonum, & ſatis eſt. *S. Anſelmus in Proſologio cap.* 25.

Neſcio ſi quid majus in laudem tuam dicere poſſim (o charitas!) quam ut Deum de cœlo tra-

heres, & hominem de terra ad cœlum elevares. Magna virtus tua, ut per te usque ad hoc humiliaretur Deus, & usque ad hoc exaltaretur homo. HUGO VICTORINUS *in libello de laude charitatis, poſt medium.*

Si quis horum quæ leguntur cupit adipiſci notitiam, amet. Alioquin fruſtra ad audiendum, legendumque amoris carmen, qui non amat, accedit; quoniam omnino non poteſt capere ignitum eloquium frigidum pectus. Quomodo enim græce loquentem non intelligit, qui græcum non novit: nec latine loquentem, qui latinus non eſt, & ita de ceteris: ſic lingua amoris ei qui non amat barbara erit. S. BERNARDUS *Serm.* 79. *in Cantica.*

Nemo ſe amari diffidat, qui jam amat. Libenter Dei amor noſtrum quem prævenit, ſubſequitur. Nam quomodo redamare pigebit quos amavit & necdum amantes? Amavit, inquam, amavit. Habes enim dilectionis pignus Spiritum: habes & teſtem fidelem Jeſum, & hunc crucifixum. O geminum, ipſumque firmiſſimum Dei erga nos amoris argumentum! Chriſtus moritur, & meretur amari. Spiritus afficit, & facit amari. Ille facit cur ametur: iſte ut ametur. In illo cernimus quod amemus: ab illo ſumimus, unde amemus. Charitatis igitur ab illo occaſio, ex iſto affectio. Quanta confuſio Dei filium ingratis oculis cernere morientem? Quod quidem facile contingit, ſi deſit Spiritus. Nunc autem quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, amati amamus: amantes amplius mereamur amari. *Idem Epiſtola* 107. *poſt medium.*

Quanto præeminentior eſt humanitate divinitas, tantum amor Chriſti quem habet ad nos, amore illo quem habemus ad illum vel ad proximum, dulcior eſt, firmior, atque profundior, violentior, penetrabilior, interior, compaſſibilior, ferventior, atque ſua-

ſuavior. Omnes maternos affectus, omnes fratrum, conjugumve conſenſus illam quam habet ad nos inæſtimabili charitate tranſcendit. PETRUS BLESENSIS *Tractatu de charitate Dei cap.* 22.

O mira, & inæſtimabilis virtus amoris! Deum fecit Deum. Inenarrabilis eſt virtus tua o amor, qui lutum in Deum transfiguras. S. BONAVENTURA *in Stimulis amoris Parte II. cap.* 8.

Plurimum autem in hoc amandi negotio laconiſmi quidam valent, quos telorum inſtar acutiſſimorum humanis cordibus liceat intorquere. Tales ſunt:

Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. S. AUGUSTINUS *Libro X. Confeſſionum cap.* 29.

O amor qui ſemper ardes, & nunquam extingueris, Charitas Deus meus! accende me. *Idem ibidem continuo.*

Breve præceptum tibi præcipitur: dilige, & quod vis, fac. *Idem Tractatu* 7. *in epiſtolam S. Joannis.*

Da mihi amorem vacantem, & nihil operantem! *Idem præfatione in pſalmum* 31.

Da amantem: & ſentit quod dico. *Idem tractatu* 26. *in Evangelium Joannis.*

Nolumus omnia quæ dedit, ſi non dat ſeipſum qui omnia dedit. *Idem in expoſitione pſalmi* 85. *poſt medium.*

Cauſa diligendi Deum Deus eſt: modus ſine modo diligere S. BERNARDUS *Tractatu de diligendo Deo, initio.*

Deum amans anima aliud præter Deum ſui amoris præmium non requirit: aut ſi aliud requirit, illud, non Deum diligit. *Idem ibidem ante medium.*

Ipſe meritum, ipſe præmium ſibi eſt amor. Præter ſe non requirit cauſam, non fructum. Fructus ejus uſus ejus. Amo quia amo: amo ut amem. *Idem Sermone* 83. *in Cantica.*

Amans amens magis videar, ſed ei qui non amat, ei qui vim non ſentit amoris. *Idem in Prologo Librorum de Conſideratione*; etſi ibi loquitur de amore hominis, ſed propter Deum.

CAPUT II.

Fontes.

S. Ignatius *Martyr Epiſtola ad Romanos.*

Dionysius dictus Areopagita *Libro de divinis nominibus.*

Origenes *Homilia* 6. *in ad Romanos*, ad verba: *Quis nos ſeparabit a charitate.* Et multo magis in tributa illi *Homilia de Magdalena.*

S. Basilius *Sermone exhortatorio ad Monachos.* Item *Regula* 2. *fuſiore.* Item *in Pſalmum* 114. & *in libro de vera Virginitate.* Hic ipſe S. Pater *Regula* 2. *fuſa*, & 157. *brevi* deſiderium animæ amantis Deum accomodatiſſime deſcribit.

S. Chrysostomus *Homiliis* 5. 9. 15. & 23. *in ad Romanos.*
Homiliis 11. & 30. *in ſecundam ad Corinthios.*
Homilia 3. *in primam ad Timotheum.*
Homiia 2. *in ad Philæmonem in fine.*
Homilia 52. *in acta* ubi vim divini amoris fuſe præſtanterque diducit.
Homilia in pſalmum 41.
Libro 1. & 2. *de Compunctione cordis.*
Homilia de perfecta charitate Tomo VI. Montfauconi pag. 287.

Huc

Huc etiam facit notiſſimus locus de *vinculis Pauli*, quem alibi, Libro videlicet quarto adducebam.

S. AUGUSTINUS *Tractatu de diligendo Deo*, ſive *Libro Meditationum* ſuppoſitio.

Libro de ſubſtantia dilectionis, quem *Maurini* tribuunt Hugoni Victorino.

Libro de moribus Eccleſiæ catholicæ capitibus pluribus.

Libro XV. de Trinitate cap. 18.

Libro de Catechizandis rudibus cap. 4.

In Enchiridio ad Laurentium, de fide, ſpe, & charitate.

Epiſtola 145. *alias* 144. *ad Anaſtaſium.*

Tractatibus quibusdam in Epiſtolam S. Joannis.

Sermone 70, *alias* 9. *de verbis Domini*, quam omnia facilia reddat amor, præclare. Hoc ipſum etiam oſtendit *Sermone* 48. *de tempore*, *nunc* 70. *in Appendice.*

Sermone 158. *alias* 16. *de verbis Apoſtoli.*

Enarratione in pſalmum 53. de amore absque ullo reſpectu mercedis.

Enarratione in pſalmum 72. *ad illud:* Pars mea Deus in ſæcula.

Enarratione in pſalmum 79. *ad finem*, de creatore præ Creaturis amando.

S. AUGUSTINUS *Ennarratione in pſalmum* 127. ubi (quemadmodum & *Sermone* 178. *alias* 19. *de verbis Apoſtoli*) elegantem habet hypotheſin, ex qua verus Dei amor agnoſci poſſit.

Idem quam brevem, tam egregium dat amoris affectum *Libro XIII. Confeſſionum cap.* 8. *ad calcem.*

Huc etiam recidit enthuſiaſmus ille *de Amore juſtitiæ Serm.* 159. *alias* 17. *de verbis Apoſtoli.* Adde Librum 1. *Soliloquiorum animæ ad Deum*, quæ non ſunt Auguſtini. Item *Manuale*, ex ipſius, & Anſelmi verbis contextum.

S. PAULINUS *Epiſtola* 4. *ad Severum nunc* 23.

S. NILUS *de virtutibus excolendis Sectione III. cap.* 2.

S. CHRYSOLOGUS *Sermone* 70. *initio* ubi pulchre de amore Dei erga nos.

S. EUCHERIUS *in Paræneſi ad Valerianum*, ubi fuſe ab amore creaturarum avertit ad amorem Creatoris.

THEODORETUS *Oratione* præſtanti *de Charitate, Tomo IV. operum Editionis Sirmordianæ.*

SALVIANUS *Libro IV. de gubernatione Dei.*

S. FULGENTIUS *Epiſtola ad Eugippium Abbatem de charitate.*

S. ANTIOCHUS *Homilia* 128.

S. MAXIMUS MARTYR *in Centuriis quatuor de Charitate.*

S. PASCHASIUS RATBERTUS *in opere de fide, ſpe, & charitate.*

S. ANSELMUS *in Proſologio.*

in Speculo Evangelici Sermonis, ſeu *Libro Meditationum*, qui Auguſtini olim dicebatur * meriſque

* Diverſus hic eſt a libro *de diligendo Deo*, qui & ipſe nomine *Meditationum* ſolet venire.

que Anſelmi floribus conſtat. Idem *Libro de Sacramento Altaris cap.* 8. breviter, quam omnia Chriſtus egerit ad noſtrum amorem obtinendum.

HUGO VICTORINUS in *Libello de laude charitatis.* Is ipſe *Libro II. de Sacramentis p.* 13. *c.* 11. eleganter docuit ſenſum quo charitas excidere non poſſit.

S. BERNARDUS *Tractatu* jam laudato *de diligendo Deo. Libris tribus de amore Dei*, qui non ſunt ipſius. *Sermone* 29. *de diverſis*: *Sermonibus* 20. 67. 79 & 82. *in Cantica.*

RICHARDUS VICTORINUS *Tractatu de gradibus Charitatis*, & iterum alio *de quatuor gradibus violentæ charitatis.*

GUERRICUS Abbas *Sermone in die Pentecoſtes* pulcherrime de divino in nos amore.

AELREDUS Abbas *in ſpeculo charitatis*, & *compendio* ejus, & *Libris tribus de ſpirituali amicitia.*

PETRUS BLESENSIS *Opere ſupra laudato.*

S. BONAVENTURA cum alias, tum præcipue in *ſtimulis amoris.*

RAYMUNDUS JORDANUS ante Raynaudum, qui eum detexit, *Idiota* dictus in *contemplationibus de amore divino.*

S. BERNARDINUS SENENSIS *Tomo II. primis quinque Sermonibus & Tomo III. Serm. quadraginta novem Et eodem Tomo Sermonibus quibusdam extraordinariis; denique Tomo IV. Sermonibus* 12. & 13.

S. LAURENTIUS JUSTINIANUS *in ligno vitæ Libro de charitate*, & in *faſciculo amoris.*

DIONYSIUS CARTHUSIANUS *in inflammatorio divini amoris.*

S. THOMAS VILLANOVANUS *Sermonibus tribus ad Dominicam XVII. poſt Pentecoſten.* Hic maxime præſtat affectibus.

Ludovicus Blosius quem Raynaudus *Tomo I. p.* 513. ſcriptorem valde pium & ſolo tempore antiquis poſteriorem vocat, *in Conſolatione puſillanimium* §. *de immenſo Dei erga homines amore.*

S. Franciscus Salesius *in opere fuſiſſimo de Amore Dei.*

Addi poſſunt alia, quæ dantur infra de *Paſſione Domini*, & inter ſpecimina affectuum *Amoris & Gratitudinis.*

TITULUS IV.

De *Amore* erga *proximum.*

CAPUT I.

Loci.

Si ab uno homine omnes orimur, certe conſanguinei ſumus. Item ſi ab uno Deo inſpirati omnes, & animati ſumus, quid aliud quam fratres ſumus? & quidem conjunctiores qui animis quam qui corporibus. Lactantius *Libro VI. divinar. Inſtitution. cap.* 10.

Prohibeor loqui triſtium recordatione, quæ animum ſubit: atque decidentes lacrimæ vocem intercipiunt, cum cogito, quod dilectione, & pace nobis a Domino relicta nequaquam tamen quæramus quod relictum eſt. Donum eſt quod oculos fugit, nec in quoquam reperitur. Charitas relicta eſt, ſed pugna manet: data concordia eſt, ſed odium accenſum eſt. Magnum odii rogum inter nos accendimus. Plangimus quisque privatim, nec tamen convenit inter nos. Quis mihi dabit theatrum univerſum orbem terrarum, & vocem tuba validiorem, & lamentationes Jeremiæ, & lacrimas uberes, quibus cor doloribus contritum dirumpam, pulveremque nobis nunc ignominioſe aſper-

aſperſum perfundam, & deplorem calamitatem communem! quippe defecit mandatorum radix charitas. S. BASILIUS MAGNUS *oratione adverſus eos, qui per calumniam dicunt, dici a nobis tres Deos.* Negat ipſius eſſe Garnierius.

S. CHRYSOSTOMUS *Homilia 8. in ad Romanos:* Quid faciam? ex amaritudine ad lacrimas fundendas mire propenſus ſum, fontes ex oculis emitto ſecundum Prophetam illum, bella innumera hoc in campo videns externis bellis graviora, Ille namque barbaros irruentes videns dicebat: *Ventre meo doleo;* ego vero ſub uno Imperatore inſtructos videns deinde contra ſe mutuo ſtantes, mordentes, diſcerpentes alios aliorum membra, alios pecuniarum, alios gloriæ cauſa, alios ſine cauſa ac temere irridentes ac ſubſannates & mille vulnera ſibi mutuo infligentes, mortuos, iis qui in bello, gravius cæſos, fratrumque nomen nudum, & vacuum relictum: lamentum nullum reperio hac tragoedia dignum. Revereamini igitur, revereamini hanc menſam, cujus participes ſumus omnes, Chriſtum pro nobis occiſum, ſacrificium huic menſæ impoſitum! Prædones unius ſalis participes non ultra prædones ſunt erga eos quibuscum communicant; ſed menſa mores mutat, & feris ipſis efferatiores ovibus manſuetiores reddit. Nos vero qui talis menſæ, talis cibi participes ſumus, alii adverſus alios arma ſumimus; cum oporteret contra diabolum nos omnes oppugnantem armis inſtrui. Ideoque nos infirmiores ille fortior quotidie invadit. Non enim mutuo omnes contra illum armamur, ſed cum illo contra fratres ſtamus. & illo duce in tali acie utimur; cum oporteret illum ſolum oppugnare. Nunc autem illo relicto contra fratres tela vertimus! quæ tela inquies? quæ ab ore & lingua proficiſcuntur. Non enim ſagittæ & tela tantum, ſed etiam verba, acerbiora quam ſagittæ vulnera

vulnera infligunt. Et quomodo inquies poterimus hoc bellum ſolvere? Si cogitaveris te cum contra fratrem loqueris, lutum ex ore effundere; ſi cogitaveris quod membrum Chriſti calumniaris, quod carnes tuas comedis, quod tibi tribunal illud horrendum, & incorruptum acerbius reddis, quod telum non eum qui ictus eſt, ſed te qui emiſiſti, occidat. Verum me injuria & malo affecit? Ingemiſce, nec male loquaris: lacrimare non ob injuriam acceptam, ſed ob illius perniciem, ut Dominus tuus Judam lacrimatus eſt, non quod ipſe crucifigeretur, ſed quod ille proderet. Injuria, & contumelia te affecit? Deum precare, ut illi cito propitius fiat. Frater eſt tuus, eodem partu natus, membrum tuum, ad eandem vocatus eſt menſam. Sed magis, inquies, mihi inſultat. Igitur major & amplior erit merces. Hac de cauſa maxime iram deponere par eſt, quia lethalem ille plagam accepit, quia vulneravit illum diabolus. Ne igitur tu quoque ferias, neque te cum illo dejicias. Donec enim feras, potes & illum ſervare: ſi vero te diſrumpas ut contumeliam contumelia ulciſcaris, quis vos deinceps eriget? illene vulneratus? at non poterit jacens. An tu qui cum illo cecidiſti? Et quomodo qui tibi non potuiſti manum porrigere, alteri poteris? Sta igitur generoſe, clypeum opponens & mortuum fratrem per patientiam ex pugna extrahe. Ira confodit illum: ne tu quoque confodias; ſed primo telum evelle. Si namque ſic mutuo verſemur, cito ſani omnes erimus: ſi vero alter contra alterum armetur, non jam diabolo opus erit ad perniciem noſtram.

Iſte locus ejuſmodi eſt, ut non poſſit vel inſenſiſſimam mentem non permovere. Quam vellem, ut Gisbertus eum adduxiſſet! Sic enim erat futurum, uti elogium ille nanciſceretur, non breve, non abruptum, ut a nobis, ſed grande, magnificum & quale ſcilicet merebatur.

Idem

Idem homilia 27. in eandem Epiſtolam: Hoc maxime Deum glorificat, quod hoc conſenſu nos mutuo muniamus. Itaque etiamſi dolens pro hac re a fratre diſſentias, cogitans te ſi iram dimittas, Dominum tuum glorificare, etiamſi non propter fratrem, propter hoc ipſum reconciliare, imo propter hoc ipſum primo. Nam hoc Chriſtus ſemper ſus deque verſat, & Patrem alloquens: *In hoc cognoſcent omnes, quod tu me miſeris, ſi ſuerint unum.* Obtemperemus igitur, & nos mutuo jungamus. Hic enim non jam infirmos tantum ſed omnes excitat: & ſi quis a te diſcindi cupiat, ne diſcindaris tu, neque hoc frigidum verbum proferas: Si me dilexerit dexter oculus, effodiam illum. Nam Satanica ſunt hæc dicta, & ad gentilium ſimultates pertinent: tu vero qui ad majus inſtitutum vitæ vocatus es, & in cœlo deſcriptus, majoribus es legibus ſubditus. Ne iſta dixeris; ſed cum te ille diligere nolet, tunc majorem illi dilectionem exhibe, ut illum allicias. Membrum autem cum per neceſſitatem quampiam a reliquo corpore ſcinditur, nihil non agimus, ut illud rurſus uniamus, & tunc majorem impendimus curam. Etenim major eſt merces, cum non diligere volentem attraxeris. Si enim ad prandium invitare jubet eos qui nobis non poſſunt vicem rependere, ut merces augeatur: multo magis in dilectione hoc faciendum eſt. Nam is qui dilectus diligit, mercedem tibi reddit; qui vero dilectus non diligit, Deum tibi debitorem conſtituit, ac præterea cum te diligit non multa cura opus habet: cum autem non diligit, tunc tuo opus habet auxilio. Ne igitur curæ, ac diligentiæ cauſam reddas ignaviæ cauſam, nec dicas; Quia infirmatur, ideo ipſum negligam (morbus enim eſt dilectionis frigiditas) ſed tu fove id quod refrigeratum eſt. Quid vero, inquies, ſi non incaleſcat? Mane ſemper quæ tua ſunt faciens. Quid ſi magis aver-

averſetur? rurſus majorem tibi mercedem conciliat, & tanto magis te oſtendit Chriſti imitatorem. Nam ſi diligere invicem diſcipulorum inſigne eſt (*In hoc enim*, inquit, *cognoſcent omnes quod diſcipuli mei eſtis, ſi diligatis invicem*) cogita quantum ſit odientem ſe diligere. Nam Dominus tuus eos qui ſe oderant diligebat, & hortabatur: & quanto infirmiores erant, tanto magis illorum gerebat curam, & clamabat dicens: *Non opus habent bene valentes medico*, *ſed qui male habent*: & publicanos, peccatoresque ſua dignabatur menſa, & quanto majori illum ignominia dedecoravit Judæorum populus, tanto majorem illi honorem & curam exhibuit, imo multo majorem. Hunc & tu æmulare; neque enim parva res eſt hoc opus, ſed ſine quo ne Martyr quidem admodum poteſt placere Deo, quemadmodum Paulus dicit. Ne itaque dicas, odio habeor, & ideo non diligo. Ideo enim magis amare debes. Alioquin autem non poteſt is qui diligit tam cito odio haberi; ſed etiamſi fera quis fuerit, diligentem ſe diliget. Hoc enim, inquit, faciunt vel Ethnici, & publicani. Quod ſi quiſque diligentes ſe diligit, eos qui odio habiti diligunt quis non dilexerit? Hoc itaque exhibeto, & ne finem facias hoc dicendi: quantumcunque me odio habeas, te diligere non ceſſabo: & omnem animum emolliviſti. Morbus enim hic aut ex inflammatione oritur aut ex frigiditate. Sed utrique dilectione virtus ex ardore ſuo mederi ſolet. Non vides turpes illos amatores ut alapas, ſputa, opprobria & innumera mala patiuntur a mulieribus illis meretricibus? quid ergo hunc ſolvet amorem? contumeliæ? nequaquam, imo magis accendent, etiamſi illæ quæ hoc faciunt, præterquam quod ſcorta ſunt, & obſcuro & vili genere ſint; Qui vero hæc patiuntur, claros ſæpe poſſint progenitores numerare, & alia ratione illuſtres ſint, Attamen

men ne hoc quidem illos ſolvit, nec ab amata avellit. An non erubeſcimus quod non tantum ſecundum Deum dilectionem exhibere poſſumus quantam illa vis diabolici & dæmoniaci amoris? non cogitas hoc maximum eſſe telum contra diabolum? non conſideras, quod malus ille dæmon inſtet, illudque exoſum membrum ad ſe trahat, ſuumque facere conetur? Tu vero prætercurris, & pugnæ præmium prodis? Nam veluti præmium in medio jacet frater. Si viceris, coronam accipies: ſin ignave agas, incoronatus diſcedes. Finem ergo fac Satanicum illud dictum proferendi: Si frater meus me oderit, ne videre quidem illum volo. Nihil enim turpius hoc dicto, etiamſi illud generoſi eſſe animi putent multi. At nihil his ignobilius, ſtultius, immanius. Ideo maxime doleo, quod multi putent ea quæ ad malitiam pertinent eſſe virtutem, ac quod deſpicere & contemnere ſplendidum & honeſtum videatur eſſe. Hic maximus eſt diaboli laqueus, quod nequitiæ bona tribuatur fama. Qua re difficillime eſt malum hoc deleri. Etenim multos ego audivi gloriantes quod ſibi adverſantes non adirent. Atqui Dominus tuus in ea re gloriatur. Quoties illum homines conſpuerunt? quoties averſati ſunt? ille vero non ceſſat accurrens. Ne igitur dicas: me odio habentes adire non poſſum; ſed dic: reſpuentes me reſpuere nequeo. Hoc dictum eſt diſcipuli Chriſti, ut illud aliud Diaboli. Hoc illuſtres fecit, & claros, aliud vero turpes, ac ridiculos. Ideo miramur Moyſen, quod ipſo Deo dicente: *Dimitte me & iratus conteram illos!* non potuerit illos reſpuere, qui illum tam ſæpe averſati fuerant; ſed dicebat: *Siquidem hoc peccatum illis dimittis dimitte; ſin minus & me dele.* Dei enim amicus, & imitator erat. Ne itaque gloriemur in iis, ob quæ nos pudere deberet: neque dicamus ea, quæ dicunt forenſes,

& in-

& infimum vulgus: Innumeros averſari ſcio. Sed etiamſi quis alius hoc dixerit, irrideamus illum, & os illi obſtruamus, quia in iis gloriatur de quibus pudere illum oporteret. Quid quæſo dicis? averſaris hominem fidelem, quem infidelis cum eſſet Chriſtus non reſpuit? quid dico non reſpuit? ita illum inimicus & deformis cum eſſet, dilexit, ut etiam pro illo moreretur. Ille inquam eum, qui talis erat, ita dilexit: tu vero nunc, dic mihi, cum ſpeciosus & mirabilis factus, illum reſpuis, qui membrum Chriſti & corpus Dominicum factus eſt? an non cogitas quid dicas? an non ſentis quanta audeas? Caput habet Chriſtum & menſam & veſtimentum & vitam & lucem & ſponſum, & omnia ipſi ille eſt, & dicere audes: illum reſpuo? neque illum tantum ſed & innumeros alios cum illo. Cohibe te o homo & ſeda furorem, agnoſce fratrem, diſce hæc verba ſtulti eſſe, atque lymphati, contraria dicito: etſi millies me reſpuat, ego non diſcedam. Sic & fratrem lucraberis & ad gloriam Dei vitam duces, atque futura conſequeris bona.

S. Augustinus *Concione* 8. *in pſalmum* 118. omnis homo, *inquit*, eſt omni homini proximus, nec ulla cogitanda eſt longinquitas generis ubi eſt natura communis.

Nec charitas cum redditur, amittitur; ſed potius reddendo multiplicatur. Habendo enim redditur, non carendo: & cum reddi non poſſit niſi habeatur, nec haberi poteſt niſi reddatur. Imo etiam cum redditur ab homine, creſcit in homine: & tanto magis aquiritur, quanto pluribus redditur. *Idem Epiſt.* 62. *nunc* 192. *ad Cæleſtinum.*

Cum eadem omnibus debeatur charitas, non eadem eſt omnibus adhibenda medicina. Ipſa item charitas alios parturit, cum aliis infirmatur, alios curat ædificare, alios contremiſcit offendere, ad alios

alios ſe inclinat, ad alios ſe erigit, aliis blanda, aliis ſevera, aliis inimica, omnibus mater. *Idem Libro de Catechizand. rudib. cap.* 15.

Omnia, inquit, quæcunque vultis ut faciant vobis homines, hæc & vos facite illis. Conjungi vult inter nos, atque connecti per mutua beneficia charitatem, omnesque homines vicario inter ſe amore copulari, ut id unoquoque præſtante alteri, quod ſibi ab omnibus præſtari velit, tota juſtitia & præceptum hoc Dei communis ſit utilitas hominum. Et o miram clementiam Domini! o ineffabilem Dei benignitatem! præmium nobis pollicetur, ſi nos invicem diligamus, id eſt, ſi nobis ea præſtamus invicem, quorum viciſſim indigemus: & nos ſuperbo ſimul, & ingrato animo ejus renitimur voluntati cujus etiam imperium beneficium eſt! Auctor *Epiſtolæ ad Celantiam inter epiſtolas Hieronymi & Paulini.*

Cum nobis imperatum ſit, ut inimicos amemus, tamen ne amicos quidem amamus. S. Isidorus Pelusiola *Libro III. Epiſt.* 405.

Charitas nunquam excidit. Sed dicit aliquis: ergo charitas nunquam perit? nunquam violatur? plane nunquam violatur? plane nunquam; quia charitas ſi eſt, permanet: ſi non permanet, non eſt. S. Chrysologus *Sermone* 162.

Tantum abeſt, ut aliorum commodis aliquid cum propria incommoditate præſtemus, ut omnes vel maxime noſtris commodis cum aliorum incommodo conſulamus. Salvianus *Libro* 3. *de Gubernatione ante medium.*

Omnes ſe fere barbari, qui modo ſunt unius gentis & regis, mutuo amant: omnes pœne Romani ſe mutuo perſequuntur. Quis enim civis non invidet civi? quis enim plenam vicino exhibet charitatem? omnes quippe a ſe etſi loco non abſunt, affectu abſunt, etſi habitatione jungantur, mente

disjuncti ſunt. Atque utinam hoc licet ſit peſſimum malum, utinam cives tantum, atque vicini! illud eſt gravius, quod nec propinqui quidem propinquitatis jura conſervant. Quis enim ſe proximis ſuis proximum reddit? quis ſolvit charitati quod ſe agnoſcit debere vel nomini? quis hoc eſt animo, quod vocatur? quis tam propinquus corde quam ſanguine? *Idem eodem opere Libro* 5.

Nihil petas quod negaturus fuiſti: nihil negabis quod petiturus fuiſti. S. MARTINUS BRACARENSIS *in Sententiis de moribus.*

Minorem dolorem mala ingerunt, quæ ab extraneis inferuntur. Plus vero in nobis ea tormenta ſæviunt, quæ ab illis patimur, de quorum mentibus præſumebamus. Quia cum damno corporis mala nos cruciant amiſſæ charitatis. S. GREGORIUS MAGNUS *Homilia* 35. *in Evangelia.*

Heu in quos fines imo fæces ſæculorum homines devenerunt! cum, ut de ſæculi hominibus taceamus quos excæcavit ambitio, ipſa religionis electio noſtro miſerabili tempore tanta diviſione ſpargatur, ut vix unus alteri conveniat in unum, niſi forte adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus. Ubique apparent ſciſſuræ civitatis David, & in tantum jam hiant, ut vicinam ruinam omnino minentur. Servatur ſub tunica una & veſte ſimili cor varium, & omnino diſſimile; ita ut de religione antiqua vix ſigna ſerventur, & venientibus ad ſepulchrum Domini, quod clauſtrum eſt, & Chriſtum quærentibus ſola linteamina pateant, id eſt habitus forma. RICHARDUS A S. VICTORE *Libro de Gradib. Charit. cap.* 4.

CAPUT

CAPUT II.

Fontes.

Creditus Cyprianus *Sermone de Cœna Domini.*

Lactantius *Epitomes cap.* 2.

S. Ephræm *de Charitate Tomo III. novo pag.* 13.

S. Basilius Magnus *Conſtitution. monaſtic. cap.* 19. de charitate Monachorum utiliſſima & jucundiſſima habet.

S. Ambrosius *Libro III. de officiis cap.* 2. & 3. de ordine charitatis, & analogia cum membris corporis præclare.

S. Chrysostomus *Homilia* 1. *de incomprehenſibili Dei natura initio.*

Homiliis 30. & 33. *in Matthæum*, quarum prima de amore proximi ſpirituali.

Homilia 14. *in Joannem.*

Homilia 20. *in Acta,* ubi omnes tollit prætextus.

Homiliis 25. 30. 31. 32. 33. 34. *in I. ad Corinthios.*

Homilia 9. *in ad Epheſios*, ex analogia membrorum corporis.

Homilia 10. *in eadem* de defectu Charitatis.

Homilia 3. *in ad Coloſſenſes*, de vulneribus charitatis.

Homilia 4. *in I. ad Theſſalonicenſes*, de teneritudine fraterni amoris.

Homilia 3. *de laudibus Pauli*, atque alibi ſæpiſſime. Plura ſimul miniſtrat *Ecloga* ex operibus ejus *prima.*

S. Hieronymus *in Epiſtolam Pauli ad Philemonem.*

S. Augustinus *Tractatibus in epiſtolam S. Joannis.*

S. AUGUSTINUS *Libro de moribus Eccleſiæ catholicæ pluribus capitibus.*

Libro de diſciplina chriſtiana, vel de domo diſciplinæ, a capite 3.

Enarratione in Pſalmum 57. *initio* ex titulo ſocietatis.

Sermonibus 14. & 20. *ex* 40. *novis, nunc* 90. & 268.

S. ISIDORUS PELUSIOLA *Libro II. epiſtola* 139. *de extincta charitate.*

S. CASSIANUS *Collatione XVI. fuſe.*

S. CYRILLUS ALEXANDRINUS, *Libro* 11. *in Joannem* de unitate charitatis. Fuſius autem de charitate proximi agit *Libris* 7. & 8. *de adoratione in Spiritu & veritate.*

S. LEO *Sermone* 10. *de Quadrageſima.*

SALVIANUS *Libro III. de gubernatione ante medium,* de charitatis communi defectu.

JULIANUS POMERIUS *Libro III. de vita contemplativa, capitibus* 13. 14. 15.

S. GREGORIUS MAGNUS *Homilia* 27. *in Evangelia* quam leves ob cauſas jactura fiat charitatis.

S. ANTIOCHUS *Homilia* 80.

ETHERIUS & BEATUS *Libro I. contra Elipandum.* ex titulo communionis corporis Chriſti.

S. PASCHASIUS RATBERTUS *opere de fide, ſpe & charitate.*

S. BERNARDUS *Sermone* 29. *in Cantica* de vulneribus charitatis fraternæ.

RICHARDUS VICTORINUS *Libro ſupra dicto de gradibus charitatis.*

PETRUS BLESENSIS *Tractatu de Charitate Dei, & proximi.*

Adde Titulos *Eleemoſyna*, *Miſericordia*, *Zelus &c.*

TITU-

TITULUS V.

De *Anima* noſtra, & quæ ad eam proxime referri poſſunt.

CAPUT I.

Loci.

Si quid de anima examinandum eſt, ad Dei regulas dirigat (Sapientia) certe nullum alium potiorem animæ demonſtratorem, quam auctorem reperiet. A Deo diſcat, quod a Deo habeat: aut nec ab alio, ſi nec a Deo. Quis enim revelabit, quod Deus texit? Inde ſciſcitandum eſt, unde & ignorare tutiſſimum eſt. Præſtat per Deum neſcire, quia non revelaverit, quam per hominem ſcire, quia ipſe præſumpſerit. TERTULLIANUS *Libro de anima cap.* 1.

Idoneus ſui operis æſtimator magno pretio nos redemit. S. AMBROSIUS *Libro VII. in caput* 12. *Lucæ.*

In hac anima totus es homo! quia ſine hac nihil es. *Idem Libro VI. Hexameron cap.* 7.

Quod ſi in hoc erro quia Angelis me poſt mortem ſociari malo, quam beſtiis, libenter in hoc erro: neque unquam hac me opinione dum vivo fraudari patiar. *Idem oratione de fide reſurrectionis, ad calcem.*

Omnia nobis duplicia Deus dedit; duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes. Si igitur hocum alterum lædatur, per alterum neceſſitatem conſolamur. Animam vero dedit unam nobis. Hanc ſi perdiderimus, qua vivemus? Hujus igitur curam habeamus, nihil ipſius ſaluti præferentes, quoniam hæc etiam eſt quæ cum corpore judicatur, & ſimul defenditur, & comparet ante Chriſti

tribun al

tribunal. *Creditus* CHRYSOSTOMUS *homilia de Pœnitentia, Continentia, & Virginitate, Tomo I. Ducœi* 77. Tribuitur JOANNI JEJUNATORI.

Verus CHRYSOSTOMUS *Paræneſi* 1. *ad Theodorum num.* 13. Neque ſolum corporis ſed etiam animæ vulnera introducunt mortem. Attamen eo inſipientiæ venimus, ut illa diligenter curemus, hæc negligamus. Quamquam corpus inſanabili ſæpe morbo laborat, nihil tamen de ſalute deſperamus, ac licet medici frequenter dicunt, morbo non poſſe remedium afferri, inſtamus nihilominus rogantes aliquam vel tantillam afferri conſolationem: in morbis autem animæ quorum nulli inſanibiles ſunt; quippe qui a naturæ neceſſitate non procedant, ac ſi alienæ eſſent infirmitate, perinde negligentes agimus, imo deſperamus: atque ubi natura morbi deploratam valetudinem eſſe ſuadet, ac ſi ſpes eſſet multa, ſalutis curam adhibemus: ubi vero nulla deſperandi cauſa, deſpondemus animum & ab omni cura abſiſtimus; usque adeo majorem corporis quam animæ rationem habemus. Quapropter ne corpus quidem ſervare poſſumus; nam qui quod præcipuum eſt negligit, & in minoribus omnem ſollicitudinem ponit, utraque deſtruit, & perdit: qui autem ordinem ſervat, & quod prius eſt maxime curat, etiamſi quod poſterius eſt negligat, per ſalutem illius hoc etiam conſervat.

Et quis tandem ſufficiat laudibus animæ? Et ſi in animæ laudibus deficitur, quæ laus eſt ejus, qui animam condidit? S. AUGUSTINUS *Enarratione in Pſalmum* 145.

Jam pretium ſolvit; ſanguinem fudit. Sanguinem inquam fudit unicus Filius Dei pro nobis. O anima! erige te; tanti vales. *Idem enarratione in Pſalmum* 102. *ante medium.*

Excellentiæ naturæ noſtræ conſcii, & ſtirpem nos eſſe cœleſtem quamdam ſcientes, ne dedeco-

remus

remus naturam; ne tantis muneribus indigni judicemur, aut pro caduca, & brevi voluptate ad omnem æternitatem duraturam lætitiam projicientes tanta nos poteſtate, tanta gloria, tanta beatitudine ſpoliemus; imo potius per honeſtas & cum virtute conjunctas actiones, per fugam vitiorum, per propoſitum, & voluntatem bonam, quam imprimis adjuvare Deus ſolet, & per preces, nobilitatem, & dignitatem noſtram tueamur. NEMESIUS *Libro de homine*, ſeu natura hominis, *cap.* 1. *in fine.*

Optimum eſt curam principalem animæ impendere; ut quæ utilitate prior eſt, non ſit conſideratione poſterior. Primas apud nos curas quæ prima habentur obtineant, ſummasque ſibi ſolicitudinis partes ſalus quæ ſumma eſt vindicet. Hæc nos occupet in præſidium ac tutelam ſui. Jam non plane prima, ſed ſola. Omnia vincat eo ſtudio, quo præcedit omnia. S. EUCHERIUS *Paræneſi ad Valerianum, initio.*

Non ergo nobis viles ſimus, qui tam pretioſi Deo fuimus. EUSEBIUS GALLICANUS *Homilia I. de Symbolo.*

Quam pretioſus ſis ſi Factori forte non credis, interroga Redemptorem. *Idem Homilia 2. de Symbolo.*

Dilectiſſimam eſſe animam ſuam homini etiam diabolus non negavit: & qui avertere omnino cunctos ab affectu animarum ſuarum nititur, idem tamen chariſſimas eſſe debere cunctis ſuas animas confitetur. Quis furor eſt viles a vobis animas veſtras haberi; quas etiam Diabolus putat eſſe pretioſas? Quis furor eſt viles a vobis haberi quas etiam ille charas vobis debere eſſe dicit qui viles facere conatur? Ac per hoc quicunque animas ſuas negligunt, etiam infra judicium diaboli ſe amant. SALVIANUS *Libro III. ad Eccleſiam catholicam, ante medium.*

Quid tibi o infeliciſſime homo proderit ſi omnem mundum aut ipſe habeas, aut tuis poſteris relinquas, ſi ſalutis atque animæ detrimentum patiaris? Damna enim animæ totum penitus auferunt. Nec quidquam homo omnino habere poterit, qui ſe ipſum damno animæ pereuntis amittat. *Idem ibidem prope finem.*

Magna res anima, quæ Chriſti ſanguine redempta eſt! Gravis animæ caſus quæ non niſi Cruce Chriſti potuit reparari! S. BERNARDUS *Epiſtola* 54.

Pretioſum depoſitum iſtud quod ſibi Chriſtus ſanguine proprio pretioſius judicavit! *Idem Sermone* 3. *de Adventu.*

CAPUT II.

Fontes.

TERTULLIANUS *Libro de anima.*

ORIGENES *Homilia II. in pſalmum* 37. quam parum agamus pro anima, cum tanta pro corpore.

S. GREGORIUS THAUMATURGUS *ſuppoſita ſibi Diſputatione de anima ad Tatianum.*

LACTANTIUS *Libro III. divinaram inſtitutionum cap.* 17. Et rurſum *Libro VII. earundem a cap.* 8. animam eſſe immortalem. *Ibidem cap.* 13. de exiſtentia agit & ſpiritualitate animæ. Idem & *in Libro de Opificio Dei a capite* 17. varia huc affert.

S. ATHANASIUS *in Oratione adverſus gentiles*, præclare prorſus philoſophatur de ſpiritualitate & immortalitate animæ noſtræ.

S. BASILIUS M. *Homilia* 3. *in illud:* Attende tibi ipſi. *Homilia in pſalmum* 48. *Homilia* 8. *in Heraëmeron*, ubi de Metempſychoſi. Adde *Orationem collectitiam numero* 23. *de Anima.*

S. GRE-

S. Gregorius Nazianzenus *Carmine 7. arcano de anima.*

S. Gregorius Nyssenus præter orationes, quas habet de anima ejusque imagine, &c. conſulendus *in Dialogo cum Macrina, & in Oratione, qua caſtigat eos, qui ægre ferunt reprehenſiones;* nam & hic de grandibus animæ dotibus commemorat. Denique de anima etiam agit *Libro de hominis opificio, pluribus ſparſim capitibus.*

S. Ambrosius *Libro de Iſaac & anima: Item Epiſtolis ante 21. & 22. vel etiam 38. & 39; nunc 34. & 35. ad Horontianum.*

S. Chrysostomus *Parœneſi 1. ad Theodorum,* de pulchritudine animæ.

Libro 1. de compunctione cordis ad initium & finem. de cura animæ.

Homilia 12. in Geneſin. de eadem.

Homilia in Pſalmum 48. de pretio animæ.

Homilia 43. in Matthæum de neglectu animæ.

Homiliis vero 27. & 56. in Matthæum de animæ dotibus.

Homilia 60. in Matthæum de cura animæ.

Homilia 11. in ad Romanos de colenda, ornandaque anima.

Homilia 8. ad populum de cura animæ.

Homilia de capto Eutropio Tomo III. novo.

Ecloga 8. de anima Tomo XII. novo.

S. Augustinus *Libris quatuor de anima, & ejus origine.*

Libro de immortalitate animæ, qui eſt obſcurior; ſed ſenſa habet pretioſa.

Libro de quantitate animæ.

Libris VII. X. & XII. de geneſi ad literam.

S. Augustinus *Libro de Trinitate*, qui eſt de natura animæ.

Libro XXII. de Civitate cap. 24. de dotibus animæ.

Libris Soliloquiorum, *quorum II. cap.* 14. præſtanter de immortalitate. *

Libro ſuppoſito de ſpiritu & anima.

Epiſtolis compluribus, quæ ut vides in *Indice Maurino*, jam de origine animæ, jam de natura, jam de motu, jam de viſione, jam de ſolutione pertractant **.

Adde Librum contra Epiſtolam fundamenti cap. 16. de inviſibilitate animæ; Et *Librum X. Confeſſionum cap.* 8. & *ſeq.* de præſtantia memoriæ.

Anno 1732. Viennæ primum edita eſt *Epiſtola Auguſtini ad Optatum Milevitanum de natura & origine animæ*, quam Godefridus Beſſelius, Abbas Gottwicenſis in Auſtria unacum alia ſuo loco memoranda *ex Codice M. S. Sæculi XII.* transſcripſerat. Habetur etiam in nupera *Editione Veneta S. Auguſtini.*

S. Isidorus Pelusiota *Libro IV. epiſtola* 125. de immortalitate animæ. Idem *Libro eodem epiſtola* 164. de lapſu animarum, quem adſtruxit Origenes.

Eusebius Gallicanus *Homilia 6. de Paſcha*: & *Homilia de latrone beato circa medium*, de pretio animæ.

Theodoretus *Sermone 4. de Providentia.*

Æneas

---

* Vide in loci laudem Editores Ambroſii Maurinos, *Præfatione in Tomum II.*

** Nec omitte *Reſponſorias Hieronymi* de Origine animarum.

ÆNEAS GAZÆUS *Dialogo de animarum immortalitate & corporum reſurrectione.*

NEMESIUS *Libro de homine, pluribus capitibus.*

CLAUDIANUS MAMERTUS *Libris tribus de ſtatu animæ*, qui, ut ait Natalis Argonenſis, *Parte IV. cap.* 11. ita convenit cum Metaphyſicis quorundam recentiorum meditationibus, ut eundem exſcripſiſſe illi videantur.

CASSIODORUS *Libro de anima.*

S. MAXIMUS MARTYR *Libro de anima.*

B. ALCUINUS *Libro de animæ ratione ad Eulaliam Virginem.*

B. RABANUS MAURUS *opuſculo de anima, & virtutibus ad Lotharium Regem.*

HUGO A S. VICTORE *Libris IV. de anima.* Idem habet opuſculum *de anima Chriſti.*

S. BERNARDUS *in Meditationibus, ſeu Libro de anima. Eſt Liber I. inter quatuor Hugonis modo dictos.*

RICHARDUS A S. VICTORE *Libro III. cap.* 21. *Benjamini junioris* de prærogativis animæ, *præclare.*

PETRUS BLESENSIS *de Charitate Dei & proximi cap.* 21. de animæ excellentia.

AELREDUS RIEVALLENSIS *Libris duobus de Natura, & de Dotibus animæ.*

GREGORIUS PALAMAS *in Comparatione animæ & corporis, Tomo XVI. Bibliothecæ Lugdunenſis, præſtanter.*

GUILIELMUS PARISIENSIS *Libro de immortalitate animæ.*

S. BERNARDINUS SENENSIS *Tomo I. Sermone* 50. *de animæ dignitate.*

Plura dabunt Tituli: *Homo, Salus &c.*

TITU-

TITULUS VI.

De *Avaritia.*

CAPUT I.

Loci.

Usque ad mortem Domini amor lucri ſe ingerit, nec vitæ Salvatoris quæſtus deſiderium parcit. *Creditus* CYPRIANUS *ſermone de jejunio & tentatione Chriſti.*

Pro nefas! Quid tibi tua tollis infelix? quid extraneo facies, qui in te avarus es? *S. Zeno Sermone I. de Avaritia.*

Quid de Avaritia dicam inſatiabili pecuniæ cupiditate, & quadam æris libidine, quæ quo plura abſtulerit, eo magis inopem eſſe ſe credit? Omnibus invida, ſibi vilis, in ſummis divitiis inops, affectu extenuat quod cenſu abundat. S. AMBROSIUS *Libro de Abel, & Cain cap.* 5.

Duo intolerabilia ſimul jungit, ut ſpem divitiis augeat, & non deponat mendicitatis affectum. *Idem Libro I. de Nabuth cap.* 2.

Sibi deeſſe arbitratur, quidquid ab aliis poſſidetur. *Idem ibidem.*

Si Dominus Jeſus propria non deſideravit, tu aliena cur quæris? *Idem Libro IV. in Lucam, ad caput* 4.

Avarus cuſtos eſt non dominus pecuniarum: ſervus non poſſeſſor. *S.* CHRYSOSTOMUS *homilia* 2. *ad populum.*

Quouſque nulla nos capit ſatietas inexplebilis hujus cupiditatis? Quidnam pulchri, bonive habet aurum? Totus plane ſtupeo! Hoc plane quædam ſunt præſtigiæ aurum & argentum a nobis in tanto honore haberi! Atque animarum quidem noſtrarum

rum nos nullam habemus rationem; inanimas autem imagines valde colimus. Undenam orbæ terræ invaſit hic morbus? Quis eum poterit extermi-nare? Quænam ratio immanem hanc belluam exſcindere, & penitus delere poterit? Inſita eſt in animis hominum cupiditas etiam eorum qui videntur eſſe pii, ac religioſi. Evangelicorum nos pudeat præceptorum! verba ſita ſunt ſolum in ſcriptura, factis autem nusquam apparent! *Idem Homilia* 10. *in I. ad Theſſalonicenſes.*

Propter pecunias vita non eſt vitalis. Pecuniarum cupiditate elementa libera vendidimus: viæ vectigalia pendunt, terra ſorte dividitur, aquæ imperio tenentur, aër venditur, decimarum, tributorum, & vectigalium coactores urbes occupant, divites curis conficiuntur, fœneratores ſolicitudine tabeſcunt, direptores vitam perturbationibus implent, cupidi pecuniarum in judicio, foroque, verſantur, mercatores ex calamitatibus & jacturis lucra ſectantur, calumniatores mendacium vendunt. Quoniam mentiri inter nos ſoliti ſumus, jurisjurandi religionem ſuſtulimus, ad jurandum tantum Deum novimus. *Idem Homilia in illud pſalmi* 38: Verumtamen fruſtra conturbatur.

Cavete, inquit, quid? unde? *ab omni avaritia!* Meum ſervo, alienum non tollo. *Cavete ab omni avaritia!* Non ſolum avarus eſt qui rapit aliena, ſed & ille avarus eſt qui cupide ſervat ſua. Sed ſi ſic culpatur qui cupide ſervat ſua, quomodo damnatur qui rapit aliena? S. Augustinus *Sermone* 107. *alias* 196. *de tempore & 28. de diverſis.*

Quæ eſt iſta aviditas concupiſcentiæ, cum ipſæ belluæ habeant modum? Tunc enim rapiunt quando eſuriunt; parcunt vero prædæ cum ſenſerint ſatietatem. Inſatiabilis eſt ſola avaritia divitum. Semper rapit, & nunquam ſatiatur. Non Deum timet, nec hominem reveretur. Non patri parcit, non

non matrem agnoſcit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem ſervat. *Idem ſermone* 367. *alias* 25. *de verbis Domini.*

Idem præclarum iis reſponſum miniſtrat, qui pecuniis ad aliquod peccatum ſollicitantur. Pretium meum non aurum, ſed ſanguis Chriſti eſt. Non me ſeducis, non me decipis. Quantumcunque mihi conferas, non mihi tollis pretium meum. Pecunia tua ſit tecum in perditionem; nam pretium meum non habet æſtimationem. *Oratione de quinque hæreſibus cap.* 7.

Una (avaritia) omnibus armata criminibus vel ſi ſola nos capiat, & zabulo ad malitiam, & homini ad mortem ſufficit. S. Paulinus *Epiſtola* 2. *nunc* 24. *ad Severum.*

Pauper ſenſus! parvis incubans perdit magna, & inhians temporalibus deſerit ſempiterna. S. Chrysologus *Sermone* 22.

Lucro pecuniæ damnum vitæ ementes ut aquirant quæ non ſunt ſua, prodigunt quæ ſunt ſua, mandantes terræ theſauros luctuoſos, hæredibus breve gaudium, auctoribus longum mœrorem allaturos, fraudantes uſu rerum præſentium tam alios quam ſeipſos: condentes profundis ſpecubus infernas opes: ſimul pecuniam, ac ſpem ſuam infodientes. Salvianus *Libro I. ad eccleſiam catholicam, initio.*

Inæſtimabile malum eſt bonis a Deo datis non bene uti. *Avaro* enim, inquit Scriptura ſacra, *nihil eſt ſceleſtius:* Et *peſſimum & feraliſſimum morbi genus divitiæ conſervatæ in malum Domini ſui.* Verum eſt. Quid enim pejus, aut quid miſerius quam ſi quis præſentia bona in mala futura convertat, & quæ ad hoc a Deo data ſunt, ut pararetur ex eis vitæ beatitudo perpetua: per hæc ipſa quæratur mors ac damnatio ſempiterna? In quo & illud conſiderandum eſt, quod ſi ſervatæ divitiæ ad malum homi-

nis conſervantur, quanto utique ad majus malum coacervantur? Quotus enim quisque nunc divitum tantæ eſt continentiæ, qui opes cuſtodire contentus accumulare jam nolit? O miſeria temporis, & eccleſiaſticæ plebis! ad quid redacta eſt! ubi cum ſcriptum ſit, quod ſervare opes genus ſit magni criminis: non augere jam genus putatur eſſe virtutis. *Idem ibidem inferius.*

Humanum eſt quod ab omnibus vobis o divites mundi hujus petitur, ac deliciosum: Si impetrari ab unoquoque veſtrum non poteſt, ut eſſe in hoc ſæculo pauper velit, præſtat ſibi ſaltem ne in æternitate mendicet. Qui præſentem inopiam tantum fugitis, cur in perpetuum non reformidatis? In brevibus meticuloſi longa & interminabilia vitate! Quid tantopere in vita iſta paupertatem horretis? Quid expaveſcitis? minus multo eſt quod hic timetis. Si tenuitatem temporariam gravem ducitis, qualis quæſo erit illa quæ nunquam deſinet? Quaſi veſtri apud vos animi rem agimus, veſtrique voti. Si uſu veſtrarum rerum penitus carere non vultis, id agite ne aliquando careatis. Delicioſam a vobis rem & voluptuariam poſcimus, qui ſine divitiis omnino eſſe non aquieſcitis, id agite ut divites ſemper eſſe poſſitis. *Idem Libro* 2. *ad Eccleſiam catholicam, in fine.*

O improvida mortalitas! Quid nos in lucris pereuntibus occupamus? Ecce vita æterna venalis eſt. S. Faustinus *inter Sermones Euſebii Gallicani.*

Quis plurimum habet? Is qui minimum cupit. S. Martinus Bracarensis *in Sententiis de Moribus.*

Pecuniæ imperare oportet, non ſervire. *Venerabilis* Beda *in Sententiis.*

Quærat eas (Divitias) paganus qui ſine Deo vivit: Quærat Judæus qui terrenas promiſſiones accepit; ſed qua fronte, magis autem qua mente Chri-

Chriſtianus divitias quærit, poſtquam Chriſtus beatos eſſe pauperes prædicavit? S. BERNARDUS *Sermone I. in feſto omnium Sanctorum.*

CAPUT II.

Fontes.

S. CYPRIANUS *Libro de lapſis: Libro de opere & eleemoſyna: Epiſtola 2. ad Donatum.*

S. ZENO VERONENSIS *Sermonibus de avaritia; quorum unus eſt Baſilii magni, verſus a Ruffino,* id quod alibi docebimus.

S. BASILIUS M. *Homilia 6. in illud:* Deſtruam horrea mea &c.
Homilia 7. in divites.
Homilia 8. in famem & ſiccitatem.
Homilia 21. quod rebus mundanis adhærendum non ſit.
Homilia ſuppoſititia, quæ in Lazicis eſt dicta.

S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Carmine Jambico 22. adverſus opum amantes.*

S. GREGORIUS NYSSENUS *Homilia 3. in Eccleſiaſten.*

S. AMBROSIUS *Libro de Nabuth: Libro de Elia & jejunio: Libro I. officiorum cap. 49.*

ASTERIUS AMASENUS *Sermone adverſus avaritiam: et ſermone de œconomo iniquitatis.*

THEOPHILUS ALEXANDRINUS *Epiſtola 3. Paſchali ad finem.*

S. CHRYSOSTOMUS *perpetuo;* quare ſufficit eminentia quædam allegare, videlicet:
Homiliam 2. ad populum.
Homiliam 19. in Geneſin.
Homiliam in illud pſalmi 38. Verumtamen fruſtra conturbatur.
Homiliis 9. 29. 64. 81. 82. 84. in Matthæum.

S. CHRY-

S. Chrysostomus *Homilia* 11. & 13. *in ad Romanos.*

Homiliis 11. 14. 35. *in* 1. *ad Corinthios.*

Homilia 23. *in II. ad Corinthios.*

Homilia 18. *in ad Epheſios.*

Homilia 10. *in I. ad Theſſalonicenſes.*

Homiliis 8 & 17. *in I. ad Timotheum.*

Homilia 5. *in II. ad Timotheum.*

In Eclogis pluries.

Obiter etiam, ſed ſane graviter *Homilia* 86. *in Matthæum,* ubi de Juda referente triginta argenteos.

S. Hieronymus *in Proœmio ad Librum VIII. Commentariorum in Ezechielem, & Libro I. in Habacuc cap.* 2.

S. Augustinus *Libro de decem chordis cap.* 12.

Libro de diſciplina chriſtiana, ſeu de domo diſciplinæ pluribus capitibus.

In Expoſitione pſalmi 51. *poſt medium.*

Homilia 48. *ex* 50. *nunc ſermone* 86. *in Appendice.*

Sermone 50. *alias* 15. *de diverſis.*

Atque aliis quamplurimis locis, præcipue vero *in pſalmos.*

S. Isidorus Pelusiota *fuſe & præclare Libro II. epiſtola* 233. *item Libro eodem epiſtola* 146.

S. Cassianus *Libro VII. toto de inſtitutis renuntiantium, ſeu Monachorum Aegypti.*

S. Eucherius *Parœneſi ad Valerianum, ante medium.*

S. Chrysologus *Sermonibus* 25. & 162.

S. Leo *Sermone* 9. *de Paſſione.*

Salvianus *Libris quatuor ad Eccleſiam Catholicam,* qui ſunt toti contra hoc vitium.

S. Valerianus Cimeliensis *Homilia* 20. de avaritia agit.

S. Maximus Taurinensis *Homilia de Martyribus inter æſtivales de Sanctis ultima, egregie.*

Julianus Pomoerius *Libro II. de vita contemplativa cap.* 14. de avaritia meritorum potius quam nummorum.

S. Gregorius M. *Libro XV. Moralium capitibus pluribus. Item Libro XVIII. eorundem Moralium capitibus* 18. *&* 19.

S. Joannes Damascenus *Parallelorum Titulo IX. litera ε alias Libro II. cap.* 17.

S. Bernardus *ſermone* 21. *in Cantica.* Sæpe etiam in avaritiam Clericorum concitatur. Locos indicabimus ubi de *Clericis & Sacerdotibus* erit ſermo. Idem dicendum de Petro Blesensi.

Guerricus Abbas *ſermone* 2. *de Reſurrectione Domini in* ſtupiditatem avarorum.

Joannes Saresberiensis *Libro VIII. Policratici capitibus* 13. *&* 15. ipſe quoque invehitur in avaritiam.

Plura dant Tituli: *Divitiæ*, *Eleemoſyna, Juſtitia, Oeconomia, Paupertas, Reſtitutio, Uſura.*

TITULUS VII.

De *Blasphemiis*, Juramentis, Maledictis &c.

CAPUT I.

Loci.

De Blasphemiis.

Quomodo tu hodie in mundo conſtitutus, & cras tribunali ipſius præſentandus audes talia eloqui: & non metuis ne forte ignis e cœlo deſcendat, & devoret te, dum tu ſic os adverſus omnipotentem aperis: neque vereris, ne forte terra ſub te repente dirumpatur, teque abſorbeat? Ne deci-

decipiaris o homo! impoſſibile enim eſt manus effugere Creatoris noſtri. S. EPHRÆM PARÆNESI 43. *Tomo II. novo, græcolatino.*

Blaſphemantis furor non medelam doloribus præſtat, ſed cruciatum mortis accumulat. Illius quippe mortis quæ nec finem miſeriis tribuat, & exordium ſit pœnarum, quas ultor Deus blasphemantibus præparavit. S. GAUDENTIUS *in Præfatione Tractatuum, ſive Sermonum ſuorum ad Benevolum.*

Unam a vobis petere volo retributionem pro concione hac atque ſermone, ut in civitate blasphemantes mihi caſtigetis. Si quempiam in bivio & foro Deo blasphemantem audieris, accede, increpa, & ſi verbera infligere oporteat, ne recuſes: ipſius faciem alapa percute, contere os ipſius, percuſſione manum tuam ſanctifica; & ſi ulli accuſaverint, & ſi in judicium traxerint, ſequere: & ſi pœnas judex pro tribunali repopoſcerit, dic cum libertate, quod Angelorum Regem blasphemaverit. Si enim regem terræ blasphemantes puniri oportet, multo magis illum contumelia afficientes. Commune crimen eſt, publica injuria, cuique accuſare volenti licet. Diſcant & Judæi & gentiles chriſtianos eſſe civitatis conſervatores, & curatores, & præſides & magiſtros. Et idem diſcant diſſoluti & perverſi, timendos ſibi eſſe Dei ſervos, ut ſiquid tale loqui unquam aggrediantur, ſeſe undique circumſpiciant, & umbras timeant anxii, ne forte Chriſtianus audiens inſiliat, & vehementius puniat. Non audiſti quid Joannes fecerit? Tyrannum vidit, hominem nuptiarum leges ſubvertentem: & cum fiducia in medio foro dicit: *Non licet tibi habere uxorem Philippi, fratris tui.* Ego autem non ad Tyrannum te duxi, neque ad judicem, neque pro nuptiis illegitimis, neque pro conſervis contumelia affectis; ſed pro furore in Dominum æqualem ut caſtiges depoſco. Nonne ſi tibi

 dixiſſem:

diviſſem: Reges, vel Judices prævaricantes puni vel corrige, me inſanum dixiſſes? Et tamen Joannes hoc fecit. Adeo non eſt id ſupra nos. Nunc vero ſaltem conſervum vel æqualem corrige: & ſi mori opus ſit, caſtigare fratrem ne torpeas. Martyrium tibi hoc eſt; quoniam & Joannes Martyr fuit. Non ſacrificare juſſus fuit, neque idolum adorare, ſed pro ſacris legibus temeratis caput depoſuit. Et tu igitur pro veritate usque ad mortem contende; & Deus pugnabit pro te. S. CHRYSOSTOMUS *homilia I. ad populum in fine.*

Idem Oratione 2. de Fato, & Providentia, initio, loquens de maledicentibus patri, aut matri. Quid jam dixerimus de iis, qui nunc in gratia ſunt, & in rerum veritate, intataque cognitione verſantur, ipſique non patri & matri, ſed Deo univerſorum maledicunt? quodnam illos excipiet ſupplicium? quis cruciatus nequitiæ tantæ par erit? quis fluvius igneus, quis vermis immortalis, quæ tenebræ exteriores, quæ vincula, quis ſtridor, quis fletus? Omnia tormenta quæ jam ſunt, & quæ ventura ſunt, non ſufficient animæ ſic affectæ, & in tantam nequitiam lapſæ.

Nullum, nullum utique eſt peccatum hoc deterius, nullum æquale; ſed additamentum malorum eſt, quod omnia confundit, quod inexpiabili & intolerando plectitur ſupplicio. *Idem ibidem.*

Raro jam inveniuntur qui (Chriſtum) lingua blaſphemant; ſed multi qui vita. S. AUGUSTINUS *Tractatu 27. in Joannem ad finem.*

Quantaslibet laudes Dei lingua tua ſonet, vita blasphemat. *Idem Enarratione in pſalmum 146. poſt initium.*

Deo contumelia dicitur. Equis in pugnam non armetur! S. BASILIUS SELEUCIENSIS *Oratione 15. in Davidem.*

Lin-

Linguam blaſphemia ne polluatis; quin laudis organum efficite, quæ in hunc uſum facta eſt. THEODORETUS *ad finem orationis* 10. *de Providentia.*

Non ſufficiunt multis conſuetudinarii reatus: non ſufficiunt lites, non rapinæ, non calumniæ: non ſufficiunt violentiæ: non ſufficiunt comeſſationes: non ſufficiunt falſitates: non ſufficiunt perjuria; non ſufficiunt adulteria: non ſufficiunt homicidia: non ſufficiunt denique cuncta iſta, etſi atrocitate inhumaniſſima, re tamen ipſa ad humanas injurias pertinentia; niſi blaſphemiæ furioſarum mentium manus injiciant etiam in Deum. *Poſuerunt* enim, ſicut de impiis ſcriptum eſt, *poſuerunt in cœlum os ſuum!* SALVIANUS *Libro* 4. *de gubernatione Dei ante medium.*

O cæcam impudentiam! o ſacrilegam temeritatem! non ſufficit enim nobis quod peccatis innumerabilibus involuti rei in omnibus Deo ſumus; niſi & accuſatores Dei ſimus. Et quæ rogo homini ſpes erit, qui ipſum accuſat judicem judicandus? *Idem ibid. inferius.*

O inæſtimabile facinus, & prodigioſum! quid non auſæ ſunt improbæ mentes? armant ſe ad latrocinandum per Chriſti nomen, auctorem quodammodo ſui ſceleris Deum faciunt. *Idem ibid. inferius.*

Qui blasphemare alios peccans fecerit, neceſſe eſt peccatum hujus ſupra criminis humani eſſe menſuram. *Idem ibid inferius,*

O tuam Chriſte patientiam! o longanimitatem quæ omnem cogitationem excedit! unice & veriſſime creator, & effector omnis creaturæ aſpectabilis & inaſpectabilis! cur tales blasphemias ſuſtines? Cur adhuc fulmina cohibes, terramque contines: neque illa in hæc tam nefanda capita vibras, neque hanc aperis, & detrudis ſceleſtos illos, qui fideli ſervo tuo Moyſi audacius obſiſtunt, quam

Dathan, & Abiron cum ſuis? Tu honorans famulum tuum hiatu terræ iſtos contegis. Alienum ignem filii Aaron altari inferunt, & ecce! ſuperne in ultionem exurgit cœlum, fulguribus contra injurioſos miſſis. His vero atheis & ſceleratiſſimis non jam Moyſi obluctantibus, ſed tibi, qui univerſorum Rex es & omnipotens Deus, teque tuis ex operibus, ex dominatione, imperio, cura, & providentia ejicere conantibus fauces terræ adhuc concludis, neque permittis, ut execrandos iſtos deglutiant! Non alienum imponunt ignem, ſed alium conditorem ſtatuunt, & in opera manus tuæ ſubintroducunt adverſarium, & deſertorem tuum, quem pedibus in te credentium ſubjeciſti. Ubi vero fulmina? cur non vertuntur in cineres? quid adhuc moraris? *Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus Oratione in Exaltationem venerandæ crucis & contra Bogomilos.* Extat *Tomo II. Gretſeri a pag.* 112.

Quid in his verbis intolerabilius judicem blaſphemiam, an arrogantiam? quid damnabilius temeritatem, an impietatem? an non juſtius os loquens talia fuſtibus tunderetur, quam rationibus refelleretur? S. BERNARDUS *Epiſt.* 190. *ad Innocentium Papam.*

O lingua diabolica! quid te poteſt inducere ad blaſphemandum Deum tuum, qui te plaſmavit: in quo tuum ſummum bonum conſiſtit: qui te cum pretioſo ſanguine redemit? S. BERNARDINUS SENENSIS *Tomo III. Serm.* 33. *parte* 2. *principali.*

Cedo enim mihi, num hujus tui facti vel malam excuſationem proferre potes? prorſus nullam. Si enim Deum non vis laudare, ne ſaltem execreris illum: non lubet illum decantare, & glorificare, at tace, & ne blaſphemias effunde. CALLISTUS *Patriarcha Conſtantinopolitanus Homilia in*

in Exaltationem pretioſæ & vivificæ crucis, apud eundem Gretſerum ibid. a pag. 187.

De Juramentis.

Et contriſtatus eſt Rex propter jusjurandum, inquit. O religionem novam! tolerabilius pejeraſſet. Unde non immerito Dominus in Evangelio jubet, non eſſe jurandum; ne ſit cauſa perjurii, ne ſit neceſſitas deliquendi. Itaque ne jusjurandum violaretur, percutitur innocens. Quid prius horreſcam neſcio. Tolerabiliora perjuria, quam ſacramenta Tyrannorum. S. Ambrosius *Libro* 3. *de Virginibus, ante medium.*

Leges de non jurando erubeſco proferre in medium non ſolum ob juramenta, ſed etiam ob perjuria frequentia. Etenim ſi jurare, etſi vere, crimen eſt, & præcepti prævaricatio, perjurium ubi ponemus? Et ſi id quod *Eſt* & *Non* excedit, a malo eſt, quod hoc etiam exſuperat a quo tandem erit? S. Chrysostomus *Libro I. de compunctione cordis, ante medium.*

At non credet, inquies. Nam hoc ego ab aliquibus audivi. Niſi mille juramenta proferam non credet. Tu in cauſa es qui tam facile juras. Nam ſi hoc non eſſet, ſed omnibus notum eſſet. te nunquam jurare, crede mihi dicenti vel innuenti tibi magis crederetur, quam iis qui mille juramenta devorant. Nam cui quæſo magis creditis, mihi non juranti, an jurantibus? Sed tu, inquies, es princeps, & Epiſcopus. Quid igitur, ſi oſtendero me non hoc ſolum eſſe? Cum veritate quæſo reſpondete mihi: Si frequenter & ſemper jurarem, an prodeſſet mihi principatus? Minime. Viden non illam eſſe cauſam. *Idem Homilia* 9. *in Acta ad finem.*

Jurisjurandi religionem ſuſtulimus. Ad jurandum tantum Deum novimus. *Idem creditus homilia in illud pſalmi* 38. Verumtamen fruſtra conturbatur,

Si jurare minime vis, ne ab aliis quidem ut jurent extorque; idque duplici de cauſa; nimirum aut quia veri ſtudioſus eſt qui interrogatur, aut contra quia libenter mentitur. Si enim ille vera loqui ſolet, omnino, etiam nullo interpoſito jurejurando vera loquetur. Si autem mendax eſt, jurans etiam mentietur. Quapropter duplici hoc nomine jusjurandum haud quaquam exigendum eſt. S. ISIDORUS PELUSIOTA *Libro I. epiſtola* 155.

Corruptiſſimis moribus ad hoc mos jurandi ſervabatur antiquus, non ut a ſceleribus metu religionis prohiberentur, ſed ut perjuria quoque ſceleribus ceteris adderentur. S. AUGUSTINUS *Libro II. de Civitate Dei cap.* 2.

Ne omnino juremus mihi propterea dictum videtur, non quia jurare peccatum eſt: ſed quia perjerare immane eſt, a quo nos longe eſſe voluit, qui omnino ne juremus admonuit. *Idem Epiſtola* 154. *nunc* 46. *ad Publicolam.*

Plura ſunt plerumque juramenta quam verba. Si diſcutiat homo quoties juret per totum diem, quoties ſe vulneret, quoties gladio linguæ ſe feriat, & transfigat, quis in illo locus invenitur ſanus? *Idem ſermone* 180. *alias* 28. *de verbis Apoſtoli.*

Et cum tibi creditur juras? & cum nemo exigit juras? & horrentibus hominibus juras? *Idem ibidem ſuperius.*

Scribite in cordibus veſtris quod dico: ille qui hominem provocavit ad jurationem, & ſcit eum falſum eſſe juraturum, vincit homicidam; quia homicida corpus occiſurus eſt, ille animam, imo duas animas; & ejus quem jurare provocavit, & ſuam

ſuam. Scis verum eſſe quod dicis, & falſum eſſe quod ille dicit, & jurare compellis? Ecce jurat! ecce pejerat! ecce perit! Tu quid inveniſti? imo & tu periſti, qui de illius morte te ſatiare voluiſti. *Idem Sermone* 308. *aliis* 11. *inter additos a Pariſienſibus.*

Juſſit Salvator noſter, ut chriſtiani non jurarent. Plures invenies qui ſæpius pejerent, quam qui omnino non jurent. SALVIANUS *Libro II. de gubernatione Dei circa medium.*

Perjurium ipſum ſermonis genus putat eſſe, non criminis. *Idem Libro* 3. *ejuſdem operis.*

DE MALEDICTIS.

Non maledicet unquam, qui expectavit a Domino benedictionem. LACTANTIUS *Epitomes capite* 4.

Maledicentibus benedicere juſſi eoſdem innumeris maledictis oneramus. Quid hac contraria agendi ratione vehementius, quid gravius hac pugna, qua contra Legiſlatorem decertamus, omnibus ejus præceptis adverſi ſtantes? S. CHRYSOSTOMUS *Libro I. de Compunctione cordis cap.* 1.

Divus AUGUSTINUS *de cæco illo, cui, cum ſanatus eſſet, Judæi maledixerunt:* Illis maledicentibus Dominus benedixit. *Enarratione in pſalmum* 39. *verſus finem.*

Si ego tibi vellem pro maledictis rependere, quid aliud niſi duo maledici eſſemus? *Idem Libro III. contra literas Petiliani, cap.* 1.

Juſſit quoque (Salvator) ut nemo malediceret. Cujus non ſermo maledictio eſt? prima enim ſemper irarum tela maledicta ſunt, & quidquid non poſſumus imbecilli, optamus irati: ac ſic in omni

animorum indignantium motu votis malis pro armis utimur. Salvianus *Libro* 3. *de Gubernatione Dei, poſt medium.*

TITULUS II.

Fontes.

De Blasphemiis.

S. Ephræm *Parœneſi citata, & reſponſione ad interrogationem: Quomodo blasphematur Deus?* De blaſphemantibus ipſo opere.

S. Gregorius Nyssenus *Oratione* 3. *de Beatitudinibus*, ne occaſionem blasphemiæ Gentilibus præbeamus.

S. Chrysostomus *homilia in pſalmum* 127. egregie præcavet blasphemiis.

Idem contra eam agit *Homilia* 3. *contra Anomœos. Item Homilia* 3. *de Lazaro*: & *Homilia* 8. *in ad Philippenſes*, ubi contra initia blasphemiæ.

Salvianus *Libro* 3. *de gubernatione Dei* inſurgit in chriſtianos blasphemantes, ſeu peccatis ſuis blasphemare alios facientes.

S. Joannes Climacus *Gradu* 23. de cogitationibus blasphemis, quibus quandoque homines pii infeſtantur.

S. Joannes Damascenus admirabili eloquentia concitatur in blasphemias Manichæorum *Dialogo adverſus Manichæos.* Locum alibi dedimus, cum de *Figura Exclamationis.*

Richardus a S. Victore *Tractatu de ſpiritu blasphemiæ.*

S. Bernardinus Senensis *Tomo I. Sermone* 41. *toto* de blasphemia agit.

De Ju-

De Juramentis.

S. Basilius *in pſalmum* 41. oſtendit juramenta fidem minuere, non augere. Sed & alia huc affert haud pœnitenda.

S. Gregorius Nazianzenus *Carmine Jambico* 20. *adverſus eos qui frequenter jurant.*

S. Ambrosius *Libro III. de officiis cap.* 12. impugnat juramenta inconſiderata.

S. Chrysostomus *tota fere quadrageſima in homiliis ad populum* cum Juramento pugnavit; quo fructu, quamque feliciter, lege in *homilia de debitore decem millium talentorum.*

Idem verſat ſanctiſſimus Doctor *Catecheſi* 1. *ad illuminandos Tomo II. novo.*
Homilia 17. *in Matthæum.*
Homiliis 8. 9. & 10. *in Acta.*
Homilia 12. *in ad Romanos.*
Homilia 2. *in ad Epheſios.*

De iis, qui ad aram cogunt alios jurare, illuſtrem ex eo locum dedi Libro quinto capite ſecundo, ubi *de genere dicendi ſublimi.*

S. Augustinus *Libro contra mendacium cap.* 18. etiam agit de juramentis.
Libro item I. de Sermone Domini in monte cap. 17.
Libro contra Fortunatum Manichæum diſputatione 2.
Epiſtola 224. *nunc* 125. *ad Alipium.*
Sermone 180. *alias* 28. *de verbis Apoſtoli.*
Sermone 307. *olim* 10. *inter additos a Pariſienſibus.*
Sermone 308. *ſupra laudato.*

Salvianus *Libro* 4. *de Gubernatione Dei* in jurantes egregie invehitur. Aureus eſt autem locus ille

ille, quo petit per Chriſtum aſſeverantes, ſe aliquid mali eſſe patraturos.

Meretur etiam Patribus in appendice ſaltem adſcribi, quod habet Ludolphus *Libro de vita Chriſti capite* 38.

De Maledictis.

S. Chrysostomus *homilia in pſalmum* 49. : *homilia* 44. *in I. ad Corinthios, & homilia* 1. *in ad Hebræos.* Adde *homiliam* 2. *in locum Pauli :* Salutate Priſcillam, contra maledicentes Sacerdotibus.

S. Augustinus *Libro XXII. de Civitate cap.* 8. *Et Sermone* 322. *alias* 31. *de diverſis,* quam exitialis ſit execratio parentum, intorta in liberos. Idem *Enarratione in pſalmum* 35. de Chriſto agit, qui maledictis nihil minus quam maledicta reponebat.

S. Nilus *Epiſtola* 309. *ad Oreſtam, inter editas a Petro Poſſino.*

Poſſit etiam in argumento parum vexato vocari in ſubſidium Liber Philonis Hebræi *de Execratione ;* quando ipſe S. Hieronymus haud dubitavit *Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum* hominem inſerere.

TITULUS VIII.

De *Cælo* & gaudiis ejus.

CAPUT I.

Loci.

S. Basilius *magnus homilia 6. hexaemeron de aſtrorum pulchritudine, in quorum nocturna ſerenitate jubet oculos intendere aſſurgens ad ipſas ſedes beatorum,*

rum, ita loquitur: Noſtræ vitæ præſentis & futuræ auctorem colere non deſinemus, qui ſcilicet per eas quas jam largitus eſt divitias etiam bonis promiſſis fidem faciat, ac ea quæ expectantur præſentium experimento nobis confirmet. Etenim ſi temporaria talia ſunt, qualia erunt æterna? item ſi viſibilia adeo pulchra ſunt, qualia cenſenda ſunt inviſibilia? Si cœli magnitudo exſuperat humanæ intelligentiæ menſuram, quisnam intellectus valeat ſempiternorum naturam perſcrutari? Si ſol ille corruptioni obnoxius, adeo pulcher eſt, & adeo magnus, cum velox ad motum, tum ordinatos circuitus explens magnitudinem quidem ad univerſum ita accommodatam nactus, ut eam quam cum univerſo habet proportionem non excedat, ſua vero pulchritudine tanquam naturæ oculus quidam pellucidus res creatas condecorans: hujus ſi inſatiabilis eſt aſpectus, quali pulchritudine ſol juſtitiæ præditus eſt? Si hunc ſolem non conſpicere cæco detrimentum eſt: quale eſt peccatori diſpendium vera luce carere?

Quæ dicendi facultas, quæ intelligentia poterit explicare illam beatitudinem & virtutem illam, voluptatem, gloriam, lætitiam, ſplendorem? *Quæ oculus non vidit*, inquit, *quæ auris non audivit, & in cor hominis non aſcenderunt; quæ præparavit Deus iis qui diligunt eum.* Non dixit ſolum exſuperare, ſed nec ullum unquam intellexiſſe, quæ Deus paravit iis qui ipſum diligunt. Cujusmodi enim bona conſentaneum eſt eiſe ea, quæ Deus præparat, & inſtruit? Si enim cum nos feciſſet, ſtatim nulla re adhuc a nobis peracta tanta eſt largitus, paradiſum, cum ipſo collocutionem, immortalitatem eſt pollicitus, vitam beatam & a curis liberam: iis qui tam multa fecerunt, qui adeo ſtrenue decertarunt, & pro ipſo ſuſtinuerunt, quid non donabit? Unigenito pro nobis non perpercit, germanum

manum ac proprium filium propter nos ad mortem dedit: Si nos cum inimici eſſemus, talibus dignatus eſt bonis, quonam nos non dignabitur qui facti ſumus amici? S. CHRYSOSTOMUS *homilia 23. in ad Hebræos in Morali.*

Si ſpes tam dulcis, quanto res dulcior erit? S. AUGUSTINUS *in Expoſitione pſalmi* 127. *verſu* 2.

Si ſingula bona tam delectabilia ſunt, cogita intente, quam delectabile ſit illud bonum, quod continet jucunditatem omnium bonorum: & non qualem in rebus creatis ſumus experti, ſed tanto differentem, quanto differt Creator a creatura. *Idem olim habitus Libro de ſpiritu & anima cap.* 64.

Bonum ſimplex, ipſum bonum quo cuncta ſunt bona, ipſum bonum ex quo cuncta ſunt bona, ipſa eſt delectatio Domini. Hanc contemplabimur. Jam videte Fratres! ſi vos delectant bona iſta quæ appellantur bona: ſi vos delectant bona iſta quæ non ſunt per ſe bona (omnia enim mutabilia non ſunt per ſe bona) qualis erit contemplatio incommutabilis boni, æterni, ſemper eodem modo manentis? Quandoquidem iſta quæ dicuntur bona, nullo pacto nos delectarent, niſi ab illo eſſent, qui ſimpliciter bonus eſt. *Idem Enarratione* 2. *in pſalmum* 26.

Credo videre bona Domini in terra viventium. O bona Domini! dulcia! immortalia! incomparabilia! ſempiterna! immutabilia! Et quando vos videbo bona Domini? *Idem eadem Enarratione.*

Aliud deſidera, ſi majus, ſi melius, ſi ſuavius inveneris! *Item ibidem, in fine.*

Tantá eſt pulchritudo juſtitiæ, tanta jucunditas lucis æternæ . . . ut etiamſi non liceret amplius in ea manere, quam unius diei mora, propter hoc ſolum innumerabiles anni hujus vitæ, pleni deliciis, & circumfluentia temporalium bonorum

rum recte, meritoque contemnerentur. *Idem Libro III. de libero arbitrio, ſub finem.*

Revera id, quod parat Deus diligentibus ſe, fide non comprehenditur, ſpe non attingitur, caritate non capitur. Deſideria & vota ſupergreditur: aquiri poteſt, æſtimari non poteſt. *Idem Sermone alias* 253. *de tempore,* nunc 231. *in Appendice.*

De rege autem qui horum medius reſidet, dicere vox nulla ſufficit. Effugit enim omnem ſermonem, atque omnem ſenſum humanæ mentis excedit decus illud, illa pulchritudo, illa virtus, illa gloria, illa magnificentia, illa majeſtas. Ultra enim omnem Sanctorum eſt gloriam ipſius inæſtimabilem adipiſci conſpectum, & ſplendore majeſtatis ejus irradiari. *Idem Sermone alias* 37. *de Sanctis, nunc* 209. *in appendice.*

Noli mirari; quia in laboribus pararis, ad magnum aliquid pararis! *Idem concione* 2. *in pſalmum* 36. *propius initium.*

O bonitas effuſa! o ineffabilis affectio! in ſocietatem cenſus paſtor oves aſſumit, atque ad conſortium dominationis ſervos Dominus adſciſcit, & ad participatum regni Rex gregem populi totius admittit! Sic, ſic dat, cui deficere cenſus, cui regnum minui, cui vacuari poteſtas non poteſt largiendo! S. Chrysologus *Sermone* 23.

Deus regnum ſuum fragmento panis vendit! Quis excuſare poterit non ementem, quem tanta vilitas venditionis accuſat? *Idem Sermone* 41.

Quam magnifica fulgebit perpetuis forma rebus, cum ſit nunc tam ſpecioſa perituris? S. Eucherius *in Parœneſi ad Valerianum.*

Dura hæc quidam putant, ſcio, & ſatis certus ſum. Sed quid faciamus? niſi duris non itur ad regnum. *Arcta enim*, inquit Dominus, & anguſta *via eſt quæ ducit ad vitam.* Et Apoſtolus, *Exiſtimo,* inquit,

inquit, *quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Indignum eſſe ad futuræ gloriæ comparationem omne opus dicit humanum: & ideo nihil durum aut auſterum Chriſtianis videri debet; quia quantalibet pro ſempiterna beatitudine Chriſto offerant, vile eſt quod datur, ubi tam grande eſt, quod accipitur. SALVIANUS *Libro* 4. *ad Eccleſiam catholicam in fine.*

Quam ſpecioſa poteſt eſſe Jeruſalem cœleſtis, ſi ſic fulget Roma terreſtris? Et ſi in hoc ſæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis honor & gloria, & pax præſtabitur Sanctis contemplantibus veritatem? S. FULGENTII *dictum, cum Romæ triumphum Regis Theodorici ſpectaret.*

Tantum regnum tantum valet, quantum habes. Valuit Zacchæo dimidio ſubſtantiæ: valuit Petro, & Andreæ dimiſſis retibus, & navi: valuit viduæ duobus minutis: valuit alteri calice aquæ frigidæ. Penſate igitur Fratres, quid vilius cum emitur, quid quid carius cum poſſidetur? S. GREGORIUS M. *homilia* 5. *in Evangelia.*

In illa perfecta charitate innumerabilium angelorum beatorum & hominum, ubi nullus minus diliget alium quam ſeipſum, non aliter gaudebit quisque pro ſingulis aliis quam pro ſe ipſo. Si ergo cor hominis de tanto ſuo bono vix capiet gaudium ſuum, quomodo capax erit tot & tantorum gaudiorum? S. ANSELMUS *in Proſologio cap.* 25.

Quam magna eſt beatitudo illa tam abſcondita ab oculis noſtris. Nec enim oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quanta claritas, quanta ſuavitas, quanta jucunditas maneat nos in illa cognitione. Pax Dei eſt illa, quæ exſuperat omnem intellectum, quanto magis omnem ſermonem noſtrum? Quod ergo nulli datum eſt

expe-

experiri, nullus conetur effari. S. Bernardus *Sermone 4. in feſto omnium Sanctorum.*

Idem loquens de illo: Centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit: Verum ſi in præſentis commendatione centupli ſermo deficit, & ex abundantia cordis anguſtia oris obſtruitur: quid ni ad promiſſionem æternæ vitæ defectum proprium ipſa etiam cogitatio fateatur? Si id quod ex parte eſt, non valet eloqui nec expertus, quid inexpertus de perfectione balbutire conetur? *Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparaſti diligentibus te!* Pax enim eſt quæ exſuperat omnem ſenſum, pax ſuper pacem, indeficiens exultatio, torrens voluptatis divinæ, flumen lætitiæ, gaudium plenum. Cogita quidquid vis, quidquid potes exopta, excedit cogitatum omnem, deſiderium omne exſuperat illa felicitas, æternitas illa, beatitudo illa. *Idem in fine declamationnm.*

Ecce abundantia, qua impleatur humana cupiditas! Quæ eſt iſta copia, ubi nihil quod nolis ſit; totum ſit quod velis? *Idem Sermone* 16. *de diverſis, de triplici genere bonorum &c.*

CAPUT II.

Fontes.

S. Cyprianus *Sermone de Mortalitate, ad finem.*

S. Ephræm *Tomo III. novo, de Manſionibus beatis. Et de locis beatis. Et ibidem pag.* 553. *Sermone alio, qui ſolum latine extat.*

S. Gregorius Nyssenus *de beatitudinibus, oratione* 6.

S. Chrysostomus *Homilia de futurorum deliciis Tomo III. novo, mirifica eloquentia.*

Homilia in Pſalmum 41.

Homilia 6. *in ad Theſſalonicenſes.*

S. CHRYSOSTOMUS *Homilia* 6. *in ad Hebræos, egregie.*

Parænesi I. ad Theodorum capitibus 7. *&* 9. *ſane præſtanter.*

S. HIERONYMUS *Epiſtola nunc & olim* 129. *ad Dardanum. Adde ſuppoſitam illi Epiſtolam ad Demetriadem in Appendice, a verbis:* Reſpice quod promiſſum eſt.

S. AUGUSTINUS *Libro V. de Civitate, cap.* 18.

Libro XII. de eadem cap. 30.

Libro XIV. cap. 25.

Libro XIX. capitibus 10. *&* 11.

Libro XXII. capitibus 24. 29. 30.

Libro de Geneſi ad literam, in fine.

Libro I. de Sermone Domini in monte.

Libro II. de Symbolo capite 12.

Libro III. de eodem, capite iterum 12.

Libro de Libero arbitrio cap. 25. *ad finem.*

Tractatibus in Epiſtolam S. Joannis.

Enarratione in pſalmum 26.

Enarratione in pſalmum 41.

Enarratione in pſalmum 85.

Fuſius autem in pſalmos 147. *&* 148.

Sermone 127. *alias* 64. *de verbis Domini, fuſe.*

Sermone 158. *alias* 16. *de verbis Apoſtoli, cap.* 7.

Sermone 209. *in Appendice jam citato.*

Adde *Libros ſuppoſitos de Spiritu & litera, capitibus* 57. 58. 64. 65. *De cognitione veræ vitæ: De vanitate ſæculi cap.* 2. *Manuale capitibus* 15. 16. 17. *&c. &c.*

S. EUCHERIUS *Parœneſi ad Valerianum, ſæpius.*

EUSEBIUS GALLICANUS *Homilia* 3. *ad Monachos, initio.*

THEODORETUS *Oratione* 1 *&* 4. *de Providentia,* de cœlo exteriore, & materiali.

SAL-

SALVIANUSS *Libro 2. ad Eccleſiam Catholicam, poſt medium.*

JULIANUS POMOERIUS *Libro I. de vita contemplatica capitibas* 2. 4. *& alias.*

S. GREGORIUS M. *Libro IV. Moralium cap.* 33. *Homilia* 4. *in Evangelia, in fine.* Adde *expoſitionem pſalmi VII. Pœnitentialis,* etſi non eſt ipſius.

S. JOANNES DAMASCENUS *Parallelorum Titulo III. litera* π, *alias Libro I. cap.* 52.

S. ANSELMUS *in Proſologio capitibus ultimis. Item ejus nomine Libro Eadmeri de beatitudine cœleſtis patriœ.*

HUGO VICTORINUS *Libro II. de anima cap.* 4.

S. BERNARDUS *Sermone I. de diverſis fuſe, & egregie* erigit animos recordatione cœleſtis præmii. Adde & *Sermonem* 16. *ſupra laudatum.*

S. BERNARDINUS SENENSIS *Tomo I. Sermone* 57. *de ſubſtantiali gloria animarum ſanctarum: Sermone* 58. *de ſubſtantiali gloria corporum beatorum: Sermone* 59. *de accidentali gloria beatorum: ac denique etiam ſermone alio de beatorum exercitiis.*

S. LAURENTIUS JUSTINIANUS inſigniter deſcribit deſiderium fruendi Deo *in ligno vitœ, Tractatu* 10. *cap.* 1. *initio.*

S. THOMAS A VILLANOVA *Concione I. de S. Michaele* de deſiderio cœli. De quo etiam in *Concione funebri ad finem.*

Huc ſpectant etiam Tituli: *de fine hominis: De Deo: De Salute: De Aeternitate &c.*

TITULUS IX.

De *Communione*, ſeu Euchariſtia.

CAPUT I.

Loci.

DIONYSIUS *dictus* AREOPAGITA *Euchariſtiam nunc* Deificam communionem, *nunc* Sacramentum Sacramentorum, *nunc* omnium ſacramentorum conſummationem *appellat Libro de cæleſti Hierarchia cap.* 3.

ORIGENES *de morte ab Apoſtolo ſacrilegis communicantibus intentata*: Patiuntur hoc quod febricitantes pati ſolent, cum ſanorum cibos præſumunt ſibimet ipſis inferentes exitium. *Homilia* 2. *in pſalmum* 38. *ad illud*: Quoniam iniquitatem meam annuntiabo.

In conſpectu hominum timidiſſimi, ante Dominum vero impudentiſſimi profanis manibus & polluto ore contaminant ſanctis quoque & angelis altare metuendum. S. PACIANUS *in Parœneſi ad pœnitentiam, poſt initium.*

Idem recitatis verbis Apoſtoli, ita exclamat: Intremuiſtis, an non? *Reus erit*, inquit, *corporis & ſanguinis Domini!* Humanæ animæ reus non poſſet abſolvi, Dominici corporis violator evadit! *Qui manducat*, inquit, *& bibit indigne judicium ſibi manducat & bibit*: Evigila peccator! time in viſceribus tuis præſens judicium, ſi quid tale feciſti! *Idem ibidem.*

Et pergens in eodem Pauli loco: *Propterea, inquit, inter vos multi infirmi, & ægri, & dormiunt multi.* Jam ſi quis futura non metuit vel præſentem ægritudinem, præſentemque obitum reformidet. *Idem ibidem.*

Ite-

Iterum: *Cum judicamur, inquit, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Lætare peccator ſi in hoc ſæculo aut morte interciperis, aut languore conſumeris, ne puniaris poſt ſæculum. Intellige quantum ſceleris admittat qui ad altare venit indignus, cui pro remedio computatur, cum aut morbis laborat, aut morte diſſolvitur! *Ibidem.*

S. Ambrosius *volens oſtendere, quam parum hoc myſterium divinæ omnipotentiæ repugnet:* De totius, *inquit,* mundi operibus legiſti: *Quia ipſe dixit & facta ſunt: ipſe mandavit & creata ſunt.* Sermo ergo Chriſti qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt in id mutare quod non erant? non enim minus eſt novas rebus dare quam mutare naturas. *Libro de initiandis cap. 9.*

Si quotiescunque effunditur ſanguis (Domini) in remiſſionem peccatorum funditur: debeo illum ſemper accipere, ut ſemper mihi peccata dimittantur. Qui ſemper pecco, ſemper debeo habere medicinam. *Idem Libro IV. de Sacramentis cap.* 6.

Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumis? *Idem Libro V. de Sacramentis cap.* 4.

Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere. *Idem ibidem cap.* 5.

Euchariſtiam dico, & dicendo Euchariſtiam omnem benignitatis Dei theſaurum aperio. S. Chrysotomus *Homilia* 24. *in I. ad Corinthios.*

Quot ſunt qui modo dicunt, vellem ejus formam, typum, veſtimenta, calceamenta videre? Ecce illum vides; ipſum tangis, ipſum comedis. Et tu quidem veſtimenta videre cupis; ipſe vero ſe ipſum tibi dat non videndum modo, ſed tangen-

dum, comedendum, intus accipiendum. *Idem homilia* 83. *in Matthæum.*

Et rurſum eodem loco: Quanta ergo puritate oportet eum eſſe, qui hoc fruitur ſacrificio? quanto radiis ſolaribus puriorem eſſe oporteret manum illam, quæ hanc carnem ſecat, os quod ſpirituali repletur igne, linguam tremendo ſanguine tinctam? Cogita quantum adeptus ſis honorem, qua fruaris menſa! quod Angeli tremunt videntes, nec ſine metu reſpicere audent ob fulgorem inde manantem, eo nos alimur, huic commiſcemur, factique ſumus Chriſti unum corpus, & una caro. *Quis loquetur potentias Domini! auditas faciet omnes laudes ejus!*

Idem in eos, qui absque actione gratiarum, aut certe ea admodum luride perſoluta a Communione recedunt. Ipſe ſuam tibi carnem largitur; at tu ne verbis quidem eum remuneraris, neque pro iis quæ accepiſti gratias agis! Atqui dum corporeo veſceris cibo poſt menſam ad orationem te convertis; dum vero ſpiritualis & omnem creaturam tum viſibilem, tum inviſibilem ſuperantis ſis particeps, tametſi homo ſis, & vilis naturæ, non expectas, ut gratias agas & verbis & factis? Quid eſt hoc aliud, quam extremo ſupplicio ſeſe obnoxium reddere? *Homilia de Baptismo Chriſti, ad calcem. Locus hic tantopere arriſit populo, ut quemadmodum alias frequenter fecit, applauderet publice, & clamores excitaret.*

Multi hujus ſacrificii ſemel toto anno ſunt participes, alii autem bis, alii vero ſæpe. Ad omnes ergo habetur oratio, non ſolum ad eos qui hic ſunt, ſed ad eos etiam qui ſedent in deſerto. Nam illi ſemel in anno ſunt participes, ſæpe etiam poſt duos annos. Quid ergo? quinam erunt nobis magis accepti, an qui ſemel, an qui ſæpe, an qui raro? Nec hi, nec illi, ſed ii qui cum munda conſcientia, qui cum mundo corde, qui cum vita quæ nulli eſt affinis reprehenſioni. Qui ſunt hujuſmodi,

ſemper

ſemper accedant; qui non ſunt hujusmodi, ne ſemel quidem. *Idem Homilia* 17. *in ad Hebræos, initio Moralis.*

Hoc grave eſt, quod non munditia animæ, ſed intervallo temporis dignitatem acceſſus metiare, & hoc pietatem eſſe exiſtimes, quod non ſæpius accedas, ignorans quod indigne accedere, etſi ſemel tantum, notam inurat; digne autem accedere, etſi ſæpius, ſalutem pariat. Non eſt audaciæ ſæpius accedere, ſed indigne, etiamſi ſemel tantum in anno quis accedat. Nos autem ita ſtolidi & miſeri ſumus, ut innumera per annum ſcelera perpetrantes nullo modo curemus illa deponere: ſufficereque putamus, quod non ſæpe audeamus in corpus Chriſti contumelioſe inſilire, non cogitantes eos, qui Chriſtum crucifixerunt, ſemel tantum crucifixiſſe. An ergo quia ſemel tantum, minus eſt ſceleris? Judas ſemel prodidit. Quid ergo? an hoc illum a ſupplicio eripuit? Cur hanc rem tempore metimur? Tempus accedendi ſit nobis puritas conſcientiæ. Nihil plus habet myſterium in Paſchate celebratum eo quod nunc celebratur. Unum & idem eſt, eadem ſpiritus gratia, ſemper Paſcha eſt. Illud noſtis qui initiati eſtis. Et in Paraſceve, & in Sabbatho, & in die Martyrum idem ſacrificium conſummatur. *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc*, inquit, *& calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Non temporis termino ſacrificium circumſcripſit. Cur ergo, inquies, tunc Paſcha dicitur? Quia tunc paſſus eſt Chriſtus pro nobis. Nemo igitur tunc aliter accedat, aliter nunc. Una virtus eſt, una dignitas, una gratia, unum & idipſum corpus. Non illud iſto ſanctius, neque iſtud illo minus eſt. Et hoc vos ſcitis, nihil novi videtis præter ſæcularia iſta vela, & ſplendidum cætum. Habent aliquid amplius dies illi; quia in illis initium accepit ſalutaris ille dies, quo immola-

tus eſt Chriſtus; quod ad myſteria vero pertinet, nullam prærogativam habent. Tu vero ad cibum ſenſilem accedens, manus & os abluis; cum autem ad ſpiritualem eſcam acceſſurus es, animam non abluis, ſed immunditia plenus accedis? Et quid dicis, an non ſatis ſunt quadraginta jejunii dies ad peccatorum congeriem expurgandam? Ecqua utilitas, dic mihi, ſi quis unguentum deponere volens emundet locum, deindeque paulo poſt quam injecerit ſtercus adjiciat? Nonne bonus odor evolavit? Hoc etiam nobis accidit. Digni pro viribus noſtris facti ſumus, cum accederemus, deinde rurſum nos inquinamus. Quæ ergo utilitas? Hoc dicimus etiam de iis qui quadraginta dierum ſpatio ſeſe abluere, & mundare poſſunt. Ne ſalutem noſtram negligamus, rogo, ne labor noſter ſit inutilis. Homo enim, inquit, qui averſus fuerit a peccato ſuo, & rurſum pergens, eademque ipſa faciens quaſi canis eſt ad proprium vomitum reverſus. *Idem Homilia 5. in I. ad Timotheum in Morali.*

S. AUGUSTINUS *ad illa verba*: Miſericors & miſerator Dominus eſcam dedit timentibus ſe: Nemo, *inquit*, talem eſcam daret niſi miſericors & miſerator Dominus. Quod ſi tantum dedit huic vitæ, ſi verbum carnem factum peccator *juſtificatus* accepit, quid in futuræ ſæculo *glorificatus* accipiet? *Enarratione in pſalmum* 110.

S. CHRYSOLOGUS *loquens de muliere, quæ profluvio ſanguinis laborabat.* Tetigit veſtimentum mulier & curata eſt, & ab antiquo eſt abſoluta languore. Miſeri qui quotidie corpus Domini tractamus & ſumimus, & a noſtris vulneribus non curamur! Non Chriſtus infirmantibus, ſed fides deeſt. Nam multo magis modo in nobis manens poterit vulneratos curare, qui latentem mulierem

præteriens

præteriens ſic curavit. *Sermone* 33. Idem aliter, nec minus pulchre inculcat ſermone ſequenti.

Chriſtiane! qui ſe tibi hic manducandum dedit, quid ſuum tibi denegare poterit in futurum! Et qui tantum tibi viaticum paravit ad victum, quid in illa tibi manſione perpetua non paravit? *Idem ſermone* 95.

S. Bernardus *de ſuavitate Euchariſtiæ, quam parabat diſtribuere, locuturus ad fratres ſuos, arripuit occaſionem ex Evangelio, quod tum explicabat:* Prædicantem dominum, *inquit*, de civitatibus & caſtellis populi ſequebantur, quorum ſalvabat animabas, ſanabat corpora: & adhærebant ei affatu pariter & aſpectu illius delectati. Cujus nimirum vox ſuavis, & facies decora; ſicut ſcriptum eſt: *Specioſus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis.* Talis eſt quem nos ſequimur, cui adhæremus, totus deſiderabilis, in quem non ſolum populi ſed & ipſi quoque angeli ſancti deſiderant proſpicere. Quid vobis ſuavius apponemus? nimirum hæ ſunt deliciæ angelorum. *Guſtate* proinde, *& videte, quoniam ſuavis eſt Dominus*: huic ſuavitati, huic ſapori, huic ſapientiæ quæ trahitur de occultis omne quod deſideratur non valet comparari. Quid enim? miraris in ſole ſplendorem, in flore pulchritudinem, in pane ſaporem, in terra fæcunditatem? ſed a Deo hæc univerſa donata ſunt, nec dubium quin multo amplius reſervaverit ſibi, quam dederit creaturis. *Sermone* 1. *in feſto omnium Sanctorum.*

Verbum Apoſtoli eſt: *probet autem ſeipſum homo &c.* O quam felix qui probatus inventus eſt! Proba me Domine, & tenta me, ure renos meos, & cor meum, ut tanto ſacramento dignus inveniar. Terribile enim eſt, quod ſequitur: *Qui manducat meam carnem, & bibit ſanguinem meum indigne, judicium ſibi manducat & bibit.* Domine Jeſu Chriſte!

ſacramentum corporis & ſanguinis tui quaſi pignus & obſidem cœleſtis gratiæ dimiſiſti, & in eo conſtituiſti nobis non mortem, ſed vitam: non judicium, ſed ſalutem. Quam perditus ergo eſt qui redemptionem in perditionem, qui ſacrificium in ſacrilegium, qui myſterium in parricidium, qui vitam convertit in mortem. Petrus Blesensis *Epiſtola* 123.

CAPUT II.

Fontes.

S. Cyprianus *Libro de lapſis egregie* in eos, qui absque pœnitentia & ſatisfactione ad altare Domini accedunt. Sed etiam in tributo illi *Sermone de cœna* de Euchariſtiæ effectibus *perpulchre* agit.

S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catecheſi myſtagogica* 4. *&* 5.

S. Ephræm *Sermone de ſanctiſſimis & vificantibus chriſtianis ſacramentis a Jo. Petro Kohlio e Slavonica verſo, editoque Altonæ* 1729. *ad calcem Tomi III. novi, Græcolatini.*

S. Basilius M. *Libro* 2. *de Baptismo* in communionem ſacrilegam.

S. Ambrosius *in Libris de Sacramentis*: & *in Libro de initiandis. Idem Libro I. de Pœnitentia cap.* 9. *breviter quidem, verum acerrime* eos pungit, qui prætextu pœnitentiæ a ſacra menſa abſtinebant.

S. Gaudentius *Tractatu* 2, *poſt medium egregie* de hoc agit myſterio.

S. Chrysostomus *Homilia de B. Philogonio* de irreverenti acceſu ad communionem.
Homilia de baptiſmo Chriſti, de diſceſſu absque actione gratiarum.

S. Chry-

S. Chrysostomus *Homilia in diem Natalem Domini noſtri Jeſu Chriſti*, de modo accedendi ad communionem.

Homilia in cœmeterii appellationem, ac crucem, in fine, ubi de reverentia in communione.

Homiliis 51. & 83. *in Matthæum* de indigna communione &c.

Homiliis 45. & 46. *in Joannem fuſe* de hoc ſacramento.

Homiliis 24. 27. & 28. *in I. ad Corinthios iterum fuſe.*

Homilia 3. *in ad Epheſios, etiam fuſe.*

Homilia 17. *in ad Hebræos* de indigna communione &c.

Mitto alia, eſt enim perfrequens in hac materia S. Doctor.

S. Hieronymus *propius finem Apologiæ pro libris ſuis adverſus Jovinianum* de puritate in conjugibus requiſita.

S. Augustinus *Tractatu* 26. & 27. *in Evangelium S. Joannis: Epiſtola* 118. *nunc* 54. *ad Januarium cap.* 3. *Sermone* 351. *alias homilia ultima ex* 50. *cap.* 4. de abſtinentia a communione. Sapidum quoque ex Auguſtino locum citat Beda *in I. ad Corinthios cap.* 10. qui num & ubi extet apud ipſum, non vacat, ſed neque refert nunc inquirere.

S. Cyrillus Alexandrinus *Libro* 4. & 10. *in Joannem fuſe* agit de hoc myſterio. Adde *Homiliam ejus in Myſticam cœnam. Tomo* 5. *parte* 2.

S. Cæsarius Arelatensis *Homilia* 7. *de Paſcha.*

S. Gregorius M. *Homilia* 36. *in Evangelia*, per accomodationem de cœna magna.

S. Anastasius Sinaita *Oratione de S. Synaxi, præclare.*

S. Joannes Damascenus *Libro IV. fidei orthodoxæ cap.* 14. *Item Epiſtola de corpore, & ſanguine Domini:*

Domini: ac longo de eadem re fragmento quod Pantinus primum edidit.

THEODORUS ABUCARA *Dialogo cum Saraceno* ſuper iſtud argumentum.

S. PASCASIUS RATBERTUS *Libro de ſacramento corporis & ſanguinis D. N. J. C. Item in Epiſtola ad Frudegardum.*

GUITMUNDUS AVERSANUS *Libris tribus de corpore & ſanguine*, quibus omnes alios vicit in hoc noſtro argumento. Adde & *Confeſſionem ejus*, ubi rurſum inter alia de veritate Euchariſtiæ agit.

ALGERUS *Libris tribus de ſacramento corporis & ſanguinis Domini.*

ADELMANNUS BRIXIENSIS *Epiſtola egregia de Corpore & ſanguine Domini.*

B. LANFRANCUS *Libello de corpore & ſanguine Domini in Euchariſtia.*

FRANCO AFFLIGINENSIS *Libro X. & XI. de Gratia Dei.*

HUGO A S. VICTORE *de Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti.*

PETRUS CLUNIACENSIS *Tractatu adverſus Petrobruſianos.*

GOFFRIDUS VINDOCINENSIS *Tractatu perbrevi de corpore & ſangine Domini Jeſu Chriſti.*

S. THOMAS AQUINAS *opuſculis* 57. 58. 59.

S. BERNARDINUS SENENSIS *Tomo II. & Sermonibus* 54. & 55. *Idem ſermones alios huc habet Tomo IV.*

S. LAURENTIUS JUSTINIANUS *Sermone de Chriſti tempore. Item de diſciplina & perfectione monaſticæ converſationis cap.* 19. *De triumphali Chriſti agone cap.* 4. *De caſto connubio cap.* 24.

Adde præclaros Patrum locos, quos ſtudio magno adverſum Sacramentarios &c. collegit Claudius Sancteſius *in Syntagmate ad Græcorum Patrum Litur-*

turgiam & Collectaneis de Euchariſtia. Fontes vero quam plurimos commonſtrat Joannes Baptiſta Genér *in* Prodromo, *ſeu Biblotheca ſua Theologica.*

TITULUS X.

De *Concionibus* & verbi divini prædicatione.

CAPUT I.

Loci.

Cum qui de Deo habitus eſt Sermonem venerati ſunt, eum illic reliquunt, ubi audiverunt. CLEMENS ALEXANDRINUS *Libro III. Pædagogi cap.* 11. *De malis ſcilicet Chriſtianis, venientibus ad concionem.*

Loquitur dives, & cuncti ſilent, & verba ejus uſque ad nubes extollunt; loquitur autem nobis Deus per ſacras ſcripturas, & tacere atque auſcultare nolumus; ſed alius garrit, alius dormitat, alius vero mente diſtractus evagatur. Sed quid dicit ſcriptura? *Qui avertit aures ſuas ne audiat* Leges *altiſſimi etiam ipſe* Precationem *ejus execratur.* S. EPHRÆM *ad imitationem Proverbiorum Tomo I. novo pag.* 85.

S. BASILIUS M. *Opificibus curam exempturus, ne dum die etiam non feſto concioni interſunt, rei familiari officiant, ita rem aggreditur homilia* 3. *in Hexaemeron initio.* Poſtquam heſterna de Dei eloquiis tractatione quantum in nobis ſitum fuit animas veſtras exhilaravimus, iterum hodie convenimus, miracula *operum ſecundæ diei* ſpectaturi; At enim non me latet, multos artium mechanicarum opifices circumſtare nos, qui ſibi ex diurna opera vix parantes victum nos ſermonem diſcindere, ac decurtare cogunt, ut ne diutius ab opera diſtrahantur. Iſtis quid dicam? nimirum iſtam tempo-

ris

ris partem Deo fœnori datam nequaquam perdi; ſed magno cum incremento ab ipſo rependi. Etenim quicunque caſus impedimentum afferunt, eos Deus avertet ac corpori robur, animo alacritatem, facilitatem commercii & proſperitatem per totam vitam iis qui ſpiritualia prætulerint largiturus eſt. Etſi autem in præſenti non ſecundum ſpem ſuccedunt noſtra ſtudia; at certe ſpiritus doctrina pro futuro ſæculo theſaurus bonus eſt. Tolle igitur ex corde omnem victus ſolicitudinem, totumque te ipſe mihi collige. Nec enim quidquam ex corporis præſentia percipitur emolumenti, ſi tuum cor in terreno theſauro comparando occupatur.

S. Gregorius Nazianzenus *de hoc ipſo quem audivimus ſanctiſſimo oratore Baſilio Magno in Epitaphio metrico Baſilii.* Sermo tuus tonitru, vitaque fulgur erat. *Quibus verbis efficaciam ſermonium ejus extollere volebat, illud laconiſmo familiari ſpectans.* Uti nihil ſplenderet magis, atque fulgur: ita Baſilium claritate vitæ omnium oculos perſtrinxiſſe. Quare non mirum, ſi verba ejus inſtar tonitrui, quod quam maxime exauditur ac concutit, ingentes in auditoribus motus efficerent.

Quam male diſpoſiti quidam præcipue nobiles accederent concionem, elegantiſſime oſtendit divus Chrysostomus: Vide enim, *inquiens,* huc ingreſſus eſt dives ſeu vir ſeu mulier. Non curat quomodo audiet Dei eloquia; ſed quomodo ſe oſtentabit, quomodo cum faſtu ſedebit, quomodo cum multa gloria: quomodo ſit alias ſuperatura veſtium magnificentia, habituque, viſu & inceſſu ſe reddet magis ornatam, ac venerandam; totaque ejus cura, ac ſollicitudo in hoc verſatur: num hæc aut illa videat? num ſit admirata? num recte ſum ornata? ut non putreſcant veſtes. ut non disrumpantur. Et tota ejus in hoc conſiſtit cura. Similiter vir quoque dives ingreditur, ſe pauperi oſtentaturus,

taturus, & ei timorem incuſſurus per amictum veſtium, quod multos habeat pueros * . . . . Deinde ſedentem ſtatim ſubeunt curæ domeſticæ, trahentes in omnem partem: circumfluit faſtus qui obſidet animam: exiſtimat ſe gratificari & nobis & populo & fortaſſis etiam Deo, quod intraverit in Domum Dei. Qui autem adeo eſt inflatus quomodo poterit unquam curari. S. CHRYSOSTOMUS *homilia* 3. *in II. ad Theſſalonicenſes.*

Licet inquit eadem audire quotidie. Quid vero, dic quæſo, in theatris non eadem audis? in ſtadiis & equorum curriculis non eadem vides? Res autem omnes non ſunt eædem? non idem ſol ſemper oritur? Non iisdem utimur alimentis? Vellem autem ex te ſciſcitari, quoniam eadem dicis te audire quotidie: Dic mihi cujus Prophetæ eſt locus, qui fuit lectus: & cujus Apoſtoli, aut cujus Epiſtolæ? Sed non potes dicere; imo videris audire nova quædam, & aliena. Atque quando vis quidem te dedere otio, & ſocordiæ eadem eſſe dicis; quando autem fueris interrogatus, ita es affectus ut qui nunquam audiveris. Si ſunt eadem, oportet eadem ſcire. Tu autem ignoras. Dignæ ſunt res præſentes quæ lugeantur; quæ lugeantur inquam & defleantur; quod fruſtra laboret qui cudit argentum. Hoc ipſo maxime oporteret attendere, quod ſint eadem; quoniam nullum vobis laborem exhibemus, neque peregrina aliqua, & immutata dicimus. Quid vero? quoniam illa eadem eſſe dicitis, noſtra autem non ſunt eadem, ſed ſemper nova dicimus, & peregrina, eisne attenditis? nequaquam; ſed ſi dixerimus, cur ne hæc quidem retinetis? ſemel, inquit, audimus: & quomodo fieri poteſt, ut retineamus? Si dixerimus: cur illa non

* Id eſt, *Servos.*

non attenditis? dicitis: Semper dicuntur eadem: & undique ſunt hæc verba ſocordiæ, & prætextus. At non perpetuo procedent; ſed tempus erit, quando temere, & fruſtra lamentabimur; Quod abſit. *Idem Sanctus homilia eadem.*

Scriptura divina ædificat & lecta; ſed multo plus prodeſt, ſi de literis vertatur in vocem; ut qui per epiſtolam docuerat, præſens inſtruat audientes. Magnam ſiquidem vim habet vox viva, vox de auctoris ſui voce reſonans, quæ ea pronuntiatione profertur, ac diſtinguitur, qua in hominis ſui corde generata eſt. . . . . Epiſtola non poteſt vocem objurgantis exprimere, non valet iraſcentis reſonare clamorem, & dolorem pectoris apicibus explicare. S. HIERONYMUS *in caput* 4. *Epiſtolæ ad Galatas. Qui etiam Epiſtola* 103. *nunc* 53. *ad Paulinum, poſt initium, reſpiciens ſcilicet Plinium juniorem Libro I. epiſt.* 3. Habet, *inquit*, neſcio quid latentis energiæ viva vox, & in aures diſcipuli de auctoris ore transfuſa fortius ſonat.

Docente te in Eccleſia non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur. Lacrimæ auditorum laudes tuæ ſint. *Idem epiſt.* 2. *nunc* 52. *ad Nepotianum.*

Videte Paulum qui ſolæcismos facit in loquendo, & totum orbem ſubegit. *Idem in pſalmum* 81.

Et quomodo ſolerent Monachi concionibus intereſſe. Poſt horam nonam in commune concurritur: pſalmi reſonant, ſcripturæ recitantur ex more, & completis orationibus, cunctiſque reſidentibus medius quem patrem vocant, incipit diſputare. Quo loquente tantum ſilentium fit, ut nemo alium reſpicere, nemo audeat excreare. Dicentis laus in fletu eſt audientium. Tacitæ volvuntur per ora lacrimæ, & ne in ſingultus quidem erumpit dolor. *Idem epiſt.* 22. *ad Euſtochium verſus finem.*

Afficit

Afficit etiam imago primorum chriſtianorum ad concionem ventitantium, quam AUGUSTINUS *Libro II. de Civitate cap.* 28. *hiſce verbis veluti coloribus expreſſit:* Confluunt ad Eccleſiam caſta celebritate, honeſta utriusque ſexus diſcretione, ubi audiant quam bene hic ad tempus vivere debeant, ut poſt hanc vitam beate, ſemperque vivere mereantur.

Cum non ſatagerem diſcere quæ dicebat, ſed tantum quemadmodum dicebat audire. . . . veniebant in animum meum ſimul cum verbis quæ diligebam, res etiam quas negligebam. Neque enim ea dirimere poteram. Et dum cor aperirem ad excipiendum quam diſerte diceret; pariter intrabat & quam vere diceret. *Idem Libro V. Confeſſionum cap.* 14.

Verbum quod foris ſonat ſignum eſt verbi quod intus lucet. *Idem Libro XV. de Trinitate cap.* 11.

Qui vis audiri prior te audi, & dic illud: *Audiam quid loquatur in me Dominus &c.* Qualis ergo ego qui non audio quod in me loquitur: & volo ut alii audiant quod per me loquitur? *Idem Enarratione in pſalmum* 49. *propius finem.*

Facile eſt imo & utile ut taceatur aliquid verum propter incapaces; maxime ſi timendum inde ſit, ne pejores faciamus eos qui non intelligunt, dum volumus eos qui intelligunt facere doctiores. *Idem Libro de dono perſeverantiæ cap.* 16.

Conſulendum eſt dicturo, ut non verbis tantum, ſed reapſe perſuadeat auditoribus. Omnis enim oratio opere deſtituta non tantum inane quid & evanidum eſt, ſed etiam opprobrium affert, potiſſimum dicenti, a quo profertur. Quantum enim expeditiore uti ſermone ſtudent, tanto minus etiam illis creditur; ſed & riſus argumentum eſſe exiſtimant. Quare magis agendum quam dicen-

dum. Si autem nolint agere, ne dicant quidem. S. ISIDORUS PELUSIOTA *Libro V. epiſtola* 265.

Singulá ſcripturæ verba ſi libris ſingulis mandarentur, nec ſic myſteria quæ in ipſis ſunt audientibus perlucerent. Quid faciet ſubitus & brevis ſermo qui priusquam illuſtret oculos jam refugit, nec dat lucem videntibus ſed pavorem? S. CHRYSOLOGUS *initio ſermonis* 64.

Non in verborum ſplendore, ſed in opere ac virtute totam prædicandi fiduciam ponat eccleſiaſtes: non vocibus delectetur populi acclamantis ſibi ſed fletibus, nec plauſum ſtudeat expectare ſed gemitum. JULIANUS POMOERIUS *Libro I. de vita contemplativa cap.* 23.

Oratorem te puta, ſi tibi ante omnes quod oportet perſuaſeris. S. MARTINUS BRACARENSIS *in Sententiis de Moribus.*

Quod diſcipulo Paulus ait: *Præcipe hæc & doce cum omni imperio*: non dominationem potentiæ, ſed auctoritatem ſuadet vitæ. Cum imperio quippe docetur, quod prius agitur quam dicatur. S. GREGORIUS M. *Libro XXIII. moralium cap.* 13.

O quam dura mihi ſunt iſta quæ loquor! quia memetipſum loquendo ferio, cujus neque lingua ut dignum eſt prædicationem tenet, neque in quantum tenere ſufficit, vita ſequitur linguam. *Idem Libro I. in Ezechielem, homilia* 11. *poſt initium.*

In eos, qui malunt domi legere, quam in templo audire, accommodatiſſime. S. BERNARDUS: Fides ex auditu. Dignum quippe fuerat per ſuperiores oculorum feneſtras veritatem intrare in animam; ſed hoc nobis o anima! ſervatur in poſterum, cum videbimus faciem; nunc autem unde irrepſit morbus, inde remedium intret, & per eadem ſequatur veſtigia vita mortem, tenebras lux, venenum ſerpentis antidotum veritatis. . . . Auris, prima mortis janua, prima aperiatur & vitæ. Auditus, qui

qui tulit, reparet viſum. *Sermone 28. in Cantica propius initium.*

Et iterum: Acceptior ſermo vivus, quam ſcriptus, & efficacior lingua quam litera; oculi quippe loquentis fidem faciunt dictis: nec ita poteſt affectum exprimere digitus, quomodo vultus. *Idem Epiſtola 66. ad Gaufridum Abbatem S. Theodorici.*

CAPUT II.

Fontes.

ORIGENES *Homilia 13. in Exodum* de reverentia verbo Dei debita. Idem ſæpiſſime huc facit aliis locis. Ut enim Erasmus, *de vitis, ſcriptisque ejus*, nusquam magis objurgationem expromit, quam cum rari ad concionem venirent, vel oſcitantes eſſent in audiendo. Et rectiſſime exiſtimavit præcipuum pietatis ſive profectum ſive defectum hac ipſa præcipue ex cauſa provenire. Lege etiam *Homiliam ejus 9. in Leviticum.*

S. BASILIUS M. *Homiliis duabus in pſalmum 28.*

S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione I.* contra lenocinium in concionando. *Oratione 15.* de mora & tarditate in dicendo. *Oratione 26.* in dictionem aut materiam nimis ſublimem.

S. CHRYSOSTOMUS *in Libris de Sacerdotio* fere omnia eſt complexus, quæcunque ſpectant ad officium concionandi.

Adde quæ habet *Homilia non eſſe ad gratiam concionandum.*

Homilia 5. de incomprehenſibili Dei natura contra Anomæos de argumento nimis amplo.

Homilia in illud pſami 44. Adſtitit Regina.

Homilia im pſalmum 49. adverſum canes mutos.

Homilia 4. *in illud Eſaiæ:* Vidi Dominum, in cauſantes æſtum ſolis, quod non accederent ad concionem.

Homilia in illud: ſi eſurierit inimicus tuus; *Tomo III. novo*, ubi idem explodit.

Homilia in terræ motum & Lazarum 6. *Homilia* 11. *in Geneſin: Homilia* 12. *in Joannem: Homilia* 27. *in I. ad Corinthios &c.* affundit ſolatium cum modicus eſt fructus & infrequens auditor.

Homilia 5. *in Matthæum* hortatur, ut ſecum auditor expendat, quæ audierit. Quod ipſum etiam pulchrius facit *Homilia* 3. *de incomprehenſibili Dei natura contra Anomæos.*

Homilia 17. *in Matthæum,* contra ignavos auditores.

Homilia 30. *in Acta* varia habet, eaque pulcherrima in hoc noſtrum argumentum.

Homilia 3. *in II. ad Theſſalonicenſes*, ut ne verba concionatoris auditum veniant, ſed Dei.

Homilia 6. *in I. ad Timotheum,* iterum contra ignavos auditores.

Atque ita paſſim certe ſolo *Tomo V. Ducæi* quem nunc maxime cum *III. novo* contulimus, loci non multi tantum, verum etiam inſignes habentur. Plurima etiam ex hoc primo concionatore Libro meo primo variis in capitibus memini adduxiſſe. Quibus junge, quæ noſter Theophilus Raynaudus *de heteroclita prædicatione, auditioneque verbi Dei* ex eodem accumulat.

S. AUGU-

S. Augustinus *Libro IV. de doctrina chriſtiana,* ubi totus eſt in informando chriſtiano oratore.

Libro de utilitate jejunii ſub finem, ne fors timeat orator diſplicere.

Libro de catechizandis rudibus, præcipue de induſtriis dicentium ad plebem.

Tractatu 3. in Epiſtolam S. Joannis de fructu uni Deo adſcribendo *numero* 13,

Sermone 137. *alias* 49. *de verbis Domini. ſub medium,* de objicientibus exempla concionatorum.

S. Isidorus Pelusiota *Libro IV. epiſtola* 205. & *Libro V. epiſtola* 201. *de modico fructu.*

Julianus Pomoerius *in Libris de vita contemplativa ſparſim.*

S. Gregorius M. *in cura paſtorali: Homilia* 11. *citata in Ezechielem: & Homilia* 16 *in Evangelia.*

S. Bernardus *Sermone* 5. *de diverſis, de verbis Habacuc Prophetæ:* Super cuſtodiam meam ſtabo: *quod aliter reprobis, aliter electis ſapiat verbum Dei: Sermone* 24. *de iisdem diverſis, de multiplici utilitate verbi Dei: Denique parte priori Sermonis I. in Septuageſima.*

S. Bernardinus Senensis *Tomo II. Sermone* 9. *de admiranda virtute, & efficacia verbi Dei.*

Alia ingenti numero dedimus Libro primo & quarto, dabimusque Titulis: *Sacerdos, Epiſcopus &c.* Addi poſſunt quæ ſcribunt varii Patres *in caput* 8. *S. Lucæ, cum de parabola ſeminantis.*

TITULUS XI.

De *Conſuetudine*, ſeu malo habitu aquiſito.

CAPUT I.

Loci.

Ad efficienda quæ difficillima nobis, &, ut quam maxime rem amplificem, prope impoſſibilia videntur, magni eſt momenti voluntas cum exercitatione conjuncta. An homo, cum voluerit, hanc ſibi poterit uſu & ſtudio parare facultatem, ut per funem ab altera ad alteram theatri partem ſublime porrectum incedat gravibus etiam oneribus onuſtus: & vincere ſuam pravitatem, quantalibet antea fuerit, & virtutem in vivendo conſectari cum volet non valebit? Vide an non illi potius qui animal rationis particeps creavit, quam animali ipſi injurium eſſet, hominem ita conditum fuiſſe, ut tam difficilia, nec ea quidem utilia perficere poſſet; nihil poſſet vero ad ſuam ipſius felicitatem! ORIGENES *Libro* 3. *contra Celſum, prope finem.*

Quot jurandi conſuetudine abripiebantur, & id vitii emendare vix poſſe cenſebant? attamen per Dei gratiam, ubi parva a vobis adhibita eſt cura, majorem partem ejus pravitatis abluiſtis. Quamobrem vos adhortor, ut reliquias quoque deponatis, aliiſque magiſtros vos exhibeatis. Iis vero qui nondum id aſſecuti ſunt, ſed longum nobis tempus prætexunt quo antea ſoliti erant juramenta uſurpare, dicuntque impoſſibile eſſe intra breve tempus id avellere quod per multos annos radices egit, reſponderim ego: ubi quid recte efficiendum eſt quod a Deo præcipitur, ibi non opus eſſe vel temporis vel dierum numero aut ſpatiis anno-

annorum, ſed timore ſolo & religione; & omnium compotes efficiemur, idque intra exiguum tempus. Verum ne exiſtimetis me id temere dicere, hominem ad jurandum promptiſſimum, & quem vos arbitramini multo plura juramenta proferre quam verba, eum mihi date ad decem dies, & niſi intra paucos iſtos dies conſuetudinem jurandi abſtulero, extremo ſupplicio me condemnate. S. Chrysostomus *homilia* 20. *ad populum de ſimultate, & ira.*

Non valida eſt hæc conſuetudinis excuſatio. Cur non prætendit fur conſuetudinem, & a ſupplicio liberatur? cur non idem facit homicida, & adulter? *Idem ibidem.*

Sed gravis res eſt conſuetudo, & difficile abſtraheris? Ergo quia tanta eſt conſuetudinis tyrannis, eam in aliam transfer conſuetudinem. Et quomodo, inquies, fieri poteſt? Quod ſæpe dixi hoc & nunc dico: Sint emendatores dictorum multi: ſint inquiſitores, & correctores. Non pudor eſt ab aliis corrigi; imo pudor eſt repellere corrigentes, & in propriæ ſalutis damnum hoc facere. Et tu quidem ſi veſtem induas inverſam, permittis te a puero admoneri, nec te pudet ab alio erudiri? & ſervum fers te circa veſtem ornantem, & calceantem; eum autem qui animam tuam ornat non ſuſtines? Et quantæ hoc non inſipientiæ fuerit! Sit & ſervus doctor, ſit puerulus, ſit uxor, ſit amicus, cognatus, vicinus. Sicut enim fera quæ undique pellitur non poteſt effugere; ſic is qui tot habet cuſtodes, tot correctores qui undique feriant, non poteſt ſibi cavere. Et primo quidem die ægre feret, atque in ſecundo, & tertio; at deinceps res erit facilior, & poſt quartum non idem erit negotium. Periculum facite, ſiquidem non credatis. Curam habete, obſecro; non eſt leve peccatum, neque levis cor-

rectio ſed utrinque magnum ſeu bonum, ſeu malum. Utinam bonum fiat! *Idem Homilia* 10. *in acta, in morali.*

Factis in conſuetudinem verſis etiam verecundiam perdiderunt. S. AUGUSTINUS *Enarratione in pſalmum* 52.

Fit juſto Dei judicio, ut qui cupiditati reſiſtere noluimus ingreſſuræ, jam reſiſtere nequeamus ingreſſæ. JULIANUS POMOERIUS *Libro II. de vita contemplativa cap.* 12.

Educatio & diſciplina mores faciunt, & id unusquisque ſapit quod didicit. Itaque bona conſuetudo excutere debet, quod mala inſtruxit. S. MARTINUS BRACARENSIS *in Sententiis de Moribus.*

Nihil tam fixum animo, quod neglectu & tempore non obſoleſcat. Vulneri vetuſto & neglecto callus obducitur, & eo inſanabile, quo inſenſibile fit. *S. Bernardus Libro I. de conſideratione cap.* 2.

Solutus eſt qui antea tenebatur, aut non valens, aut non volens benefacere; aut utroque fortius vinculo alligatus, nec volens ſcilicet nec valens. *Idem Sermone III. in Ramis Palmarum.*

CAPUT II.

Fontes.

ORIGENES *eodem Libro* 3. *contra Celſum,* conſuetudinem etſi maxime roboratam deponi adhuc poſſe.

S. CYPRIANUS *Epiſtola* 2. *ad Donatum,* de depoſita feliciter conſuetudine mala.

S. EPHRÆM *de paſſionibus animi, Tomo I. novo græco latino pag.* 144.

S. GREGORIUS NYSSENUS *Oratione* 4. *de Oratione Dominica,* ubi illud docet; qui cavere ſibi velit

valit a conſuetudine, voluptati primos aditus neget.

S. Ambrosius *in pſalmum* 1. *verſu* 1. *fuſius.*

S. Chrysostomus *Homiliis* 5. 6. 7. 14. 19. *&* 20. *ad populum.*

Homiliis 17. *&* 68. *in Matthæum.*

Homiliis 8. 10. 11. *&* 41. *in Acta;* quorum ultima ſpeciatim, obſtandum initiis.

Homilia 10. *in ad Romanos.*

Homiliis 7. *&* 11. *in I. ad Corinthios.*

Opuſculis duobus de illicita cohabitatione Clericorum & mulierum.

Libro 3. *contra oppugnatores vitæ monaſticæ, late tam ante, quam poſt medium.*

Auctor *Epiſtolæ ad Demetriadem apud Hieronymum in Appendice.* Agit autem præclare de conſuetudine virtutis, a contrario.

S. Augustinus *Libro VIII. Confeſſionum, cap.* 5.

Tractatu 49. *in Joannem.*

Libro I. de Sermone Domini in monte capitibus 12. *&* 13.

Concione 1. *in pſalmum* 30. *ad finem.*

Sermone 17. *novo, alias homilia* 28. *ex* 50.

Sermone 98. *novo, alias* 44. *de verbis Domini.*

Sermone 180. *novo, alias* 28. *de verbis Apoſtoli.*

Sermone 307. *novo, alias* 10. *inter additos a Pariſienſibus.*

S. Isidorus Pelusiota *Libro II. epiſtola* 284. *& Libro V. epiſtola* 236.

S. Nilus *in Libro aſcetico, poſt medium.*

S. Cassianus *Collatione XII. cap.* 5.

Eusebius Gallicanus *Homilia ad plebem obtrectatricem, & Homilia* 3. *ad Monachos.*

SALVIANUS *Libro I. ad Eccleſiam catholicam verſus finem.*

S. DOROTHEUS *Archimandrita Doctrinis* 11. & 12. ne quod vitium ſinamus radices agere.

S. ISIDORUS HISPALENSIS *Libro II. ſententiarum, ſive de ſummo bono cap.* 23.

S. BERNARDUS *Libro I. de Conſideratione cap.* 2. *ſermonibus* 81. & 82. *in Cantica:* & *ſermone* 14. *de diverſis de ſeptem donis Spiritus ſancti.*

S. BERNARDINUS SENENSIS *Tomo I. Sermone* 21.

Vide quæ ſupra attuli *de Juramentis*, & afferam infra *de relapſu*, *de Pœnitentiæ procraſtinatione* & *de paſſionibus*.

TITULUS XII.

De *Detractione* & calumnia.

CAPUT I.

Loci.

Fama plurimum mendax ne tum quidem cum aliquid veri affert, ſine mendacii vitio eſt, detrahens, adjiciens, demutans de veritate. Quid quod ea illi conditio eſt ut non niſi cum mentitur perſeveret, & tamdiu vivat, quamdiu non probat? ſiquidem ubi probavit, ceſſat eſſe, & quaſi officio nuntiandi functa rem tradit. Exinde res tenetur, res nominatur; nec quiſquam dicit verbi gratia: hoc Romæ ajunt factum, aut: fama eſt illum provinciam ſortitum; ſed ſortitus eſt ille provinciam, & hoc factum eſt Romæ. Fama, nomen incerti, locum non habet ubi certum eſt. An vero famæ credat, niſi inconſideratus? quia ſapiens non credit incerto. TERTULLIANUS *in apologetico cap.* 7.

Fac

Fac nunquam reverearis eum qui apud te alteri detrahit; ſed potius illum ſic moneas, dicens: deſine frater; ego quotidie gravius labor, & pecco: & qui poſſum illum condemnare? duos enim lucraberis, uno emplaſtro & te ipſum & proximum ſanans. CLEMENS ALEXANDRINUS *in fragmento ex libro de obtrectatione apud* MELISSAM *in editione Poteri pag.* 1020.

Nec item me vel laudatores vel vituperatores immutabunt . . . . ut maledicos ſermones tanquam a me ipſo mutatus graviter, & iniquo animo feram. Nam alioqui multas pecunias laudatoribus numerarem, ſi me laudando meliorem efficerent. Verum aliter ſe res habet. Quod enim ſum, hoc maneo ſive maledictis afficiar, ſive laudibus in cœlum ferar. Homo autem temere verbis natat, ut inquit Job: ac quantum petram ſpuma, aut pinum, vel aliquam aliam denſam & proceram arborem auræ, tantum me linguæ circumfluunt. Ac ſimul hujusmodi quiddam mecum commentor: Si falſa objicit accuſator, non me magis quam eum qui loquitur hæc oratio attingit; etiamſi me nominatim convitiis petat: ſi vera, meipſum potius quam eum qui loquitur accuſabo (a me enim illi ſermonis materia ſubminiſtratur, non autem illius ſermo cauſa eſt cur talis ſim) ac vocibus præteritis, ut quæ nihil ſint, mei ipſius ero; hoc unum ex eorum improbitate commodi capiens, ut cautius vitam inſtituam. S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione* 14. *quæ eſt* 3. *de pace.*

In bonam partem accipe o Sancta Trinitas! nec tu ſtultorum linguas prorſus effugiſti. *Idem*

Ad omnia utile ſilentium. Si peccatum agnoſcis, tace; ne negando exaggeres: ſi non agnoſcis, tace, ſecurus de innocentia. Non poſſunt aliena

aliena verba crimen affigere, quod propria non recepit conſcientia. S. AMBROSIUS *in pſalmum* 38.

S. CHRYSOSTOMUS *Homilia* 3, *ad populum, de rogantibus, ne occultum ſcelus, quod aperiunt, alteri præterea dicant:* Hoc vero ridiculum. magis eſt quod talem habentes vitam & res ſuas negligentes cum aliquid arcanum dixerint rogant audientem & adjurant ne cuiquam alteri dicat; hinc declarantes ſe rem reprehenſione dignam commiſiſſe. Si enim illum ut nemini dicat rogas, multo magis te priorem huic dicere non oportebat. In tuto ſermonem habebas, poſtquam vero alteri prodidiſti ſermonis cuſtodiam, ſuperflua facis & inutilia admonens & obteſtans delictorum cuſtodia.

Bene quod malitia non habet tantas vires, quantos conatus. Perierat innocentia, ſi ſemper nequitiæ juncta eſſet potentia, & totum, quiquid cupit, calumnia prævaleret. S. HIERONYMUS *Libro* 2. *adverſus Ruffinum, poſt medium.*

Nulli detrahas, nec in eo te ſanctum putes, ſi ceteros laceres. Accuſamus ſæpe quod facimus, & contra noſmetipſos diſerti in vitia noſtra invehimur. *Idem epiſt.* 125. *alias* 4. *ad Ruſticum, prope finem.*

Rumores turpiſſimos ferunt, & quod ab ipſis egreſſum eſt, id ab aliis audiſſe ſe ſimulant, iidem auctores, & exaggeratores. Erit fama de mendacio; quæ cum ad matronas pervenerit, & earum linguis fuerit ventilata, provincias penetrat. Videas pleraſque rabido ore ſævire, & tincta facie, viperinis orbibus, dentibus pumicatis carpere Chriſtianos. Hic aliqua, cui circa humeros hyacinthina læna eſt, rancidulum quiddam balba de nare locuta, perſtrepit, ac tenero ſupplantat verba palato: omnis conſonat chorus, & latrant univerſa ſubſellia. Junguntur noſtri ordinis, qui & roduntur,

tur, & rodunt. Adverſus nos loquaces, pro ſe muti. Quaſi & ipſi aliud ſint quam monachi, & non quidquid in monachos dicitur redundet in Clericos, qui patres ſunt monachorum. Detrimentum pecoris paſtoris ignominia eſt. Sicut e regione illius monachi vita laudanda eſt, qui venerationi habet Sacerdotes Chriſti, & non detrahit gradui, per quem factus eſt Chriſtianus. *Idem epiſtola* 54. *alias* 10. *ad Furiam.*

Falſus rumor cito opprimitur, & vita poſterior indicat de priore. Fieri quidem non poteſt, ut absque morſu hominum vitæ hujus curicula quis pertranseat; malorumque ſolatium eſt bonos carpere, dum peccantium multitudine putant culpam minui peccatorum. Sed tamen cito exundans flamma deficientibus nutrimentis paulatim emoritur. Si anno præterito fama mentita eſt: aut certe ſi verum dixit, ceſſet vitium, ceſſabit & rumor. *Idem ibidem.*

Crimen falſum, quod eſt calumnia, reum non facit hominem niſi apud judicem hominem. Ubi autem Deus judex eſt, nullus falſo crimine læditur, quia non cui objicitur, ſed objicienti potius imputatur. S. Augustinus *conc.* 27. *in pſalmum* 118.

Hæc ſi dicam de talibus eſſe dicta, quales vos eſtis: reſpondebis, proba! quid enim tu probaſti? aut ſi eo putas probari, quo dicuntur, non opus eſt eadem repetere. Recita illa ipſa tibi & a nobis in vos. Ecce & ego probavi, ſi hoc eſt probare. *Idem Libro II. contra Petilianum cap.* 14.

Nulli unquam omnino detrahas, nec aliorum vituperatione te laudabilem videri velis: magisque vitam tuam ordinare diſce, quam alienam carpere. S. Paulinus, *aut quisquis eſt auctor Epiſtolæ ad Celantiam, apud hunc & Hieronymum.*

Pauci admodum ſunt qui huic vitio renuntient, raroque invenies qui ita vitam ſuam irreprehenſibilem

bilem exhibere velint, ut non libenter reprehendant alienam: tantaque hujus mali libido mentes hominum invaſit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis receſſerunt, in iſtud tamen quaſi in extremum diaboli laqueum incidant. *Idem ibidem.*

Beatus eſt, qui ita ſe contra hoc vitium armavit, ut apud eum detrahere nemo audeat! Quod ſi hæc in nobis eſſet diligentia, ne paſſim obtrectatoribus crederemus, jam omnes detrahere timerent; ne non tam alios, quam ſe ipſos viles detrahendo facerent. Sed hoc ideo malum celebre eſt, idcirco in multis fervet hoc vitium; quia pene ab omnibus auditur. *Idem ibid.*

Beatus eſt qui tam ſancte, tamque graviter diſpoſuit vitam, ut de eo ſiniſtri aliquid ne fingi quidem poſſit; dum adverſus obtrectatorum libidinem pugnat meriti magnitudo, nec fingere quidquam auſus eſt, quod a nullo putat eſſe credendum. *Idem ibid.*

Bona fama nihil eſt præſtantius, ac melius, nec Crœſi theſauros quiſquam cum ea comparaverit. Tales enim eſſe cenſemur, qualis fama cujusque eſt. Huic aures intenduntur & oculi. Melius omnibus quam ſingulis creditur. Singuli enim decipere & decipi poſſunt: nemo omnes, neminem univerſi fefellerunt. S. Isidorus Pelusiota *Libro III. epiſt.* 142.

Hæc ſunt malignantium tela linguarum, quæ inter Chriſtianos poſt extinctos ignes, & retuſum Ethnicorum ferrum perſecutionum ſævitiam ſupplent. S. Leo *epiſt.* 167. *alias* 92.

Miror dilectionem tuam verbis hominum contriſtatam. Inter verba enim laudantium ſive vituperantium ad mentem recurrendum eſt. & ſi in ea non invenitur bonum, quod de nobis dicitur, magna triſtitia generari debet: & rurſum ſi in ea non invenitur

nitur malum, quod de nobis homines loquuntur, in magnam debemus lætitiam proſilire. Quid enim ſi homines laudant, & conſcientia accuſet? aut quæ debet eſſe triſtitia, ſi omnes accuſant, & ſola conſcientia nos liberos demonſtret? habemus Paulum dicentem: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Job quoque dicit: *Ecce in cælo teſtis meus!* ſi ergo nobis eſt teſtis in cœlo, teſtis in corde, dimitte ſtultos foris loqui, quod volunt. S. Gregorius M *Libro VIII. indictione* 3. *epiſt.* 45. *ad Palladium Presbyterum : nunc Libro XI. indictione* 4. *epiſt.* 2.

Detrahere, an detrahentem audire, quid horum damnabilius ſit? non facile dixerim. S. Bernardus *Libro II. de conſideratione cap.* 13.

CAPUT II.

Fontes.

Tertullianus præclare de falſis rumoribus *Libro I. contra nationes.*

S. Cyprianus *Epiſtola* 55. *ad Cornelium,* & in aliis quibusdam oſtendit animum ſuum nullis criminationibus, atque calumniis permovendum.

Arnobius Senior *Libro IV. adverſus gentes, numero* 33. de criminibus falſo impactis.

S. Ephræm *de morbo linguæ &c. Tomo II. novo græco latino.*

S. Basilius M. *homilia in pſalmum* 33. *& Epiſtolis* 204. *olim* 75. *ad Neocæſareenſes ; &* 51. *olim* 86. *ad Bosphorium Epiſcopum. Homilia quoque* 11. *de invidia* egregie notat genium obtrectatorum.

S. Gregorius Nazianzenus *Oratione jam laudata. Item Oratione* 26. 27. 32.

S. Chrysostomus *Homilia de non evulgandis fratrum peccatis Tomo III. Montfauconi.*

S. Chry-

S. CHRYSOSTOMUS *Homiliis* 2. *&* 5. *ad populum.*
Homiliis in pſalmos 49. *&* 100.
Homilia 2. *de Prophetarum obſcuritate.*
Homilia 43. *in Matthæum.*
Homilia 44. *in I. ad Corinthios.*
Libro I. de compunctione cordis, quam commune, quamque pertinax hoc ſit malum.

Idem ſæpe de ferenda fortiter Detractione, atque convitiis; de quo alibi commemorabo.

S. HIERONYMUS *Epiſtola* 45. *alias* 99. *ad Aſellam.*
Epiſtola 46. *alias* 17. *ad Marcellam.*
Epiſtola 52. *alias* 2. *ad Nepotianum.*
Epiſtola 123. *alias* 11. *ad Ageruchiam.*
Epiſtola 125. *alias* 4. *ad Ruſticum.*

Addatur AUCTOR *Epiſtolæ ad Demetriadem, apud eundem Hieronymum, inter ſuppoſitas.*

SYNESIUS *Epiſtola* 44. *de famigeratione.*

S. AUGUSTINUS *Libro de bono viduitatis cap.* 22. de cura famæ: *Epiſtola* 78. *alias* 137. *ad Clerum, & populum Hipponenſem*, ne error unius in infamiam reliquorum redundet * *Epiſtola* 125. *olim* 224. *ad Alipium* de ratione ſuſpicionibus, atque calumniis occurrendi: *Sermone* 355. *alias* 49. *de diverſis*, contra eos agit qui ipſas inter laudes ſolent detrahere.

S. PAULINUS *Epiſtola ſæpe dicta.*

S. CASSIANUS *Collatione XVII. cap.* 30.

EUSEBIUS GALLICANUS *Homilia ad plebem obtrectatricem.*

SALVIANUS *Libro* 3. *de Gubernatione Dei, circa medium*, de libidine detrahendi.

S. VALE-

* Quod ipſum etiam urget *in pſalmum* 99.

S. Valerianus *Cimelienſis homilia* 5. quæ eſt *de oris inſolentia.*

S. Gregorius M. inſigniter de contemnendis oblocutionibus *Libro XI. Indictione* 4. *Epiſt.* 45. *alias* 39. *ad Theoctiſtam Patritiam*, & *Libro VII. indictione* 15. *epiſt.* 14. (*uti ante*) *ad Conſtantium Epiſcopum.*

S. Antiochus *Homiliis* 29. & 40.

S. Joannes Damascenus *Libro II. Parallelorum cap.* 68. nunc *Titulo II. litera* x.

S. Bernardus Sermone 17. de diverſis, de triplici cuſtodia manus, linguæ, & cordis. Sermone 24. in Cantica de artibus obtrectatorum.

Initio item Apologiæ ad Guilielmum Abbatem in detractores religioſos. Locum laudat, contrahitque eleganter P. Bourdaloüe *Parte III. Dominicali Conc.* 6.

Plurimos etiam locos miniſtrat Theophilus Raynaudus in *Hoplotheca contra ictum Calumniæ Tomo XII.* præſertim *I. Protheorica*, *Sectione III. Didactica*, *Sectione IV. Tropologica.* Item in *Concluſione* operis, & *Parœneſi.*

TITULUS XIII.

De *Deo*, ejusque attributis.

CAPUT I.

Loci.

Qui dicere de Deo pergit, dicet quidem aliquid de rebus ſuis, non autem de ipſo. Dionysius, dictus Areopagita *Libro de myſtica Theologia cap.* 7.

Eum vis magnitudinis & notum hominibus objicit. & ignotum. Et hæc eſt ſumma delicti no-

lentium agnoſcere quem ignorare non poſſunt. Tertullianus *Apologetici cap.* 17.

Deus ſi non unus eſt, non eſt. *Idem Libro I. contra Marcionem cap.* 3.

Deus ſi eſt vetus, non erit: ſi eſt novus, non fuit. Novitas initium teſtificatur: vetuſtas finem comminatur. Deus autem tam alienus ab initio & fine eſt, quam a tempore arbitro, & metatore initii & finis. *Idem Libro eodem cap.* 8.

Deo nihil impoſſibile, niſi quod non vult. *Idem Libro de carne Chriſti cap.* 3.

Nec comprehendi poteſt, nec æſtimari, ſenſibus major eſt; Infinitus, immenſus, & ſoli ſibi tantus, quantus eſt notus. Minutius Felix *in Octavio.*

Sic eum digne æſtimamus, cum inæſtimabilem dicimus. *Idem ibid.*

Solem adeo, qui videndi omnibus cauſa eſt, videre non poſſumus; radiis acies ſubmovetur, obtutus intuentis hebetatur, & ſi diutius inſpicias, omnis viſus extinguitur. Quid ipſum ſolis artificem, illum luminis fontem poſſis ſuſtinere? *Idem ibid. verſus finem.*

Quiſquamne eſt hominum qui non cum iſtius Principis notione diem primæ nativitatis intraverit? cui non ſit ingenitum, non affixum, imo ipſi pœne in genitalibus matris non impreſſum, non inſitum, eſſe Regem, ac Dominum, cunctorum, quæcunque ſunt, moderatorem? Arnobius *Senior Libro I. contra gentes, paulo ante medium.*

Dubitet ergo aliquis an quidquam difficile, aut impoſſibile ſit Deo, qui tanta tamque mirifica opera providentia excogitavit, virtute conſtituit, ratione perfecit: nunc autem ſpiritu ſuſtentatur, poteſtate moderatur, inexcogitabilis, ineffabilis, & nulli alii ſatis notus quam ſibi. Lactantius *Libro I. inſtitution. divinar. cap.* 8.

Satis

Satis profecto fuerit ipſam rerum naturam adverſus illos propemodum clamare, ſuumque effectorem & auctorem Deum . . . aperte teſtari. S. ATHANASIUS *Oratione contra gentes numero* 27.

Idem eleganter eadem oratione numero 38. Multos Deos nullos Deos eſſe dicit.

In his, quæ ad Deum ſpectant ignorantiam confiteri magna ſcientia eſt. S. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS, *Catecheſi* 6.

Nullus ſine Deo, neque ullus non in Deo locus eſt. In cœlis eſt, in inferno eſt, ultra maria eſt. Ineſt interior, excedit exterior. Ita cum habet, atque habetur, neque in aliquo ipſe neque non in omnibus eſt, S HILARIUS PICTAVIENSIS *Libro I. de Trinitate, propius initium.*

Negat quodammodo Deum, quisquis rationibus humanis Deum metiri conatur. Defenſio enim non niſi imbecilli præſtatur. S. ZENO *Sermone de fide, ad finem.*

S. CHRYSOSTOMUS *Homilia* 1. *nunc* 2. *in Joannem:* Quod ſi hæc non ſatis ſint ad totam rem declarandam, ne mireris. De Deo namque nobis eſt ſermo, quem pro dignitate neque dicere, neque cogitare poſſumus.

Ubique ſecretus eſt, ubique publicus; quem nulli licet ut eſt cognoſcere, & quem nemo permittitur ignorare. S. AUGUSTINUS *Enarratione in pſalmum* 74.

Finivit verba (David) volebat dicere: *quantum magnus!* & ſi tota die diceret: *magnus*, *magnus*, quid magnum diceret? tota die dicens *magnus* finiret aliquando; quia finitur dies. Magnitudo illius ante dies, ultra dies, ſine die. Ergo quid diceret? *Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis!* quid enim dictura eſt lingua parva ad laudandum magnum? dicendo *nimis*, emiſit vocem, & dedit cogitationi quod ſapiat. Tanquam di-

 cens;

cens: quod ſonare non poſſum, tu cogita: & cum cogitaveris, parum erit. Quod cogitatio nullius explicat, lingua alicujus explicat? *Magnus Dominus, & laudabilis nimis! Idem Enarratione in pſalmum 95. ante medium.*

Quantum potui dixi, & quid dixi? quoniam quis dixi? homo loqui volui de Deo. Talis eſt, talis eſt, ut non loqui eum poſſimus, nec eum tacere debeamus. *Idem Sermone 225. alias 53. de Diverſis.*

Si hæc pulchra ſunt, quid ipſe? ſi hæc magna ſunt, quantus eſt ipſe? *Idem Enarratione in pſalmum 84. poſt medium.*

Bonum hoc, & bonum illud: tolle hoc & illud, & vide ipſum bonum, ſi potes. Ita Deum videbis, non alio bono bonum; ſed bonum omnis boni. *Idem Libro VIII. de Trinitate cap. 3.*

Alia quæ dicuntur bona ab aliquo bono habent, ut ſint. Si autem quærimus, omnia bona a quo habent ut ſint bona? recolamus quod dictum eſt: *Et fecit Deus omnia, & ecce bona valde.* Nullum igitur eſſet bonum niſi a bono factum eſſet, quod factum non eſt. *Idem Sermone 29. alias 3. de diverſis.*

Omnia bona ipſe fecit. Ipſe eſt bonus quem nemo fecit. Ille bono ſuo bonus eſt, non aliunde participato bono. Ille a ſeipſo bono bonus eſt, non adhærendo alteri bono. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, qui non eguit, a quo fieret bonus; ſed eguerunt illo cetera ut fierent bona. *Idem Enarratione in pſalmum 134.*

Non dico da mihi Chriſtianum, da mihi Judæum; ſed da mihi paganum, idolorum cultorem, dæmonum ſervum, qui non dicat Deum eſſe omnipotentem! negare Chriſtum poteſt, negare Deum omnipotentem non poteſt. *Idem Sermone 240. alias 139. de tempore.*

Quam

Quam multa non poteſt, & omnipotens eſt? & ideo omnipotens eſt, quia iſta non poteſt. *Idem Sermone* 1. *de Symbolo ad Catechumenos.*

Omnipotens eſt ad facienda omnia, quæ facere voluerit. Nam ego dico, quanta Deus non poſſit. Non poteſt mori, non poteſt peccare, non poteſt mentiri, non poteſt falli. Tanta non poteſt, quæ ſi poſſet, non eſſet omnipotens. *Idem Sermone* 213. *alias* 119. *de Tempore.*

Omnipotens eſt faciendo quidquid vult, non patiendo, quod non vult. *Idem Libro V. de Civitate cap.* 10. *quod declarat nominatim circa jam facta Libro XXVI. contra Fauſtum cap.* 5. *hiſce verbis:* Quisquis dicit, ſi omnipotens eſt Deus, faciat, ut quæ facta ſunt facta non fuerint: non videt hoc ſe dicere, faciat ut quæ vera ſunt, eo ipſo quo vera ſunt falſa ſint,

Quis hominum poteſt comprehendere iſtam ſapientiam, qua novit Deus omnia, ita ut nec ea quæ dicuntur futura, quaſi deſint, expectentur, ut veniant; ſed & præterita & futura cum præſentibus ſint cuncta præſentia, nec ſingula cogitentur, & ab aliis ad alia cogitando transeatur; ſed in uno conſpectu ſimul præſto ſint univerſa? *Idem Libro XV. de Trinitate cap.* 7.

Deus ergo unus eſt, & ubique eſt; quia & alius præter illum non eſt, & locus non eſt vacuus, ubi eſſe alius poſſit. *Idem ſeu potius ad eundem* Consentius *Epiſtola inter Auguſtinianas* 119. *alias* 221.

S. Chrysologus *Sermone* 141. Quid tam rationabile, niſi ut Deus, quidquid voluerit, poſſit? Qui quod vult non poteſt, Deus non eſt.

Idem Sermone 67. ad illud: *Qui es in cœlis:* Hoc cum dicis, non ſic habeas, quaſi non ſit in terris, quaſi ſit loco clauſus, qui claudit omnia.

Ego ſum, qui ſum. Admirabili utique divinæ naturæ æternitatem ſermonis magnificentia prædicavit;

vit; quia nihil de Deo tam conveniens dici poteſt, quam ut ſemper eſſe dicatur. Quia eſſe nec præteriti initium, nec futuri terminum habet. S. CASSIANUS *Libro V. de incarnatione cap.* 8.

Nemo ad cognitionem veritatis magis propinquat, quam qui intelligit in rebus divinis, etiamſi multum proficiat ſemper ſibi ſupereſſe quod quærat. S. LEO *Sermone* 9. *in Nativitate Domini.*

Et quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens: de cœlo dans pluvias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda veſtra. Quod eſt autem hoc teſtimonium, quod ſemper Domino deſervivit, & nunquam de ejus bonitate ac poteſtate conticuit, niſi ipſa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum ejus dives, & ordinata largitio, per quam humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, ut in paginis elementorum, & voluminibus temporum communis, & publica divinæ inſtitutionis doctrina legeretur? Cœlum ergo, mare, terra, & omnia quæ in eis ſunt, proteſtabantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua majeſtatem ſui loquebantur Auctoris. Et tamen maximus hominum numerus hanc vocem non intellexit. AUCTOR *operis de vocatione gentium Libro II. cap.* 4. *eſt inter opera* PROSPERI, AMBROSII, LEONIS.

Si nihil inter nos & Deum eſt diſcriminis, divina noſtris metiamur. Sin autem incomprehenſibile eſt intervallum, cur naturæ noſtræ defectus canonem, & regulam ac normam Deo præfiniunt, ex iis quæ noſtræ facultatis non ſunt; neceſſitati ſubjicientes naturam omni neceſſitate potiorem? S. CYRILLUS ALEXANDRINUS *Libro* 11. *in Joannem capite itidem* 11.

Pœne omne quod de Deo dicitur, eo ipſo jam indignum eſt, quo potuit dici. Nam cujus laudi non

ſufficit

ſufficit obſtupeſcens conſcientia, quando ſufficiet loquens lingua? S. GREGORIUS M. *Libro XX. Moralium cap.* 32.

Tunc verum eſt, quod de Deo cognoſcimus, cum plene nos aliquid de illo cognoſcere non poſſe ſentimus. *Idem Libro V. Moralium cap.* 36.

Conſummatio alicujus facti dicitur *perfectio.* Deus autem qui non eſt factus quomodo eſt *perfectus*? Sed hunc ſermonem de uſu noſtro ſumpſit humana inopia, ſicut & reliqua verba quatenus id, quod ineffabile eſt, utcunque dici poſſit; quoniam de Deo nihil digne humanus ſermo dicit. S. ISIDORUS HISPALENSIS *Libro I. Sententiarum cap.* 2.

Deus ſic omnia tempora intra ſuæ proviſionis arcana complectitur, ut nec novum aliquid ſibi penitus accedat, nec aliquid ab eo per curſus momenta recedat. Sed nec diverſis obtutibus diverſa conſiderat; ut cum intendit præteritis, vacet a præſentibus, vel futuris: vel rurſus cum præſentia ſive futura conſiderat, oculos a præſentibus avertat; ſed uno duntaxat, ac ſimplici præſentiſſimæ majeſtatis intuitu ſimul omnia comprehendit. Neque hoc confuſe, atque inexplicate, ſed omnia diſcernit, atque juxta proprietatem ſuam quæque diſtinguit. B. PETRUS DAMIANI *Opuſculo* 36. *cap.* 7.

Quod ergo bonum deeſt ſummo bono, per quod eſt omne bonum? S. ANSELMUS *Proſologii cap.* 5.

Localem mutationem facile ab eo removemus, ſi eum ubique eſſe oſtendimus. Quod enim ubique eſt, in omni loco eſt. Quod autem in omni loco eſt, de loco ad locum tranſire non poteſt. HUGO VICTORINUS *de Trinitatis ſummæ per viſibilia agnitione cap.* 19.

Quid Deus? ſine quo nihil eſt. Tam nihil eſſe ſine ipſo, quam nec ipſe ſine ſe poteſt. Ipſe ſibi,

 ipſe

ipſe omnibus eſt; ac per hoc quodammodo ſolus eſt ipſe, qui ſuum ipſius eſt, & omnium eſſe. S. BERNARDUS *Libro V. de Conſideratione cap.* 6.

CAPUT II.

Fontes.

DIONYSIUS, AREOPAGITA creditus, *Libro de divinis nominibus, in Myſtica Theologia. Libro de cœleſti Hierarchia, præſertim cap.* 4. Item *Epiſtolis* 1. *&* 2. *ad Cajum monachum,*

S. JUSTINUS in *Parœneſi,* & *Libro de Monarchia.* Item in *Dialogo cum Tryphone.*

ATHENAGORAS in Apologia, ſeu *Legatione pro Chriſtianis.*

THEOPHILUS ANTIOCHENUS *Libro* 1. *&* 2. *ad Autolycum.*

TERTULLIANUS *de Teſtimonio animæ* in *Libris contra Marcionem, præſertim I. & II.* ubi quidem unitatem, bonitatem, & juſtitiam in Deo oſtendit. Sed etiam in *Apologetico,* in *libris contra nationes,* & alibi ſæpius huc facit.

CLEMENS ALEXANDRINUS in *Exhortatione ad gentes,* item in *Strommatis* paſſim.

ORIGENES in *Libris Periarchon,* & in *Libris contra Celſum.* Adde *Homiliam* 2. *in Judices,* ubi pulchre de idololatria.

MINUTIUS FELIX *in Octavio.*

NOVATIANUS in *Libro de Trinitate, inter opera Tertulliani.*

ARNOBIUS *Senior* in *libris contra gentes* ſparſim.

LACTANTIUS in *Libris inſtitutionum divinarum* ſæpiſſime, præſertim in prioribus. Item in *Epitomes capite* 6. *&* 7.

EUSEBIUS CÆSARIENSIS in *Libris de Præparatione evangelica.*

S. ATHA-

S. Athanasius *Oratione contra gentes*, & in pluribus, quæ contra hæreſes conſcripſit.

S. Hilarius *in Libris de Trinitate*, ubi ſæpe & præ aliis oſtendit, quam parum a nobis ſive cognoſci, ſive explicari divinitas poſſit.

S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catecheſi* 4. 6. 9.

S. Basilius M. *Libris contra Eunomium*, & *Epiſtola* 16 *olim* 168. *adverſus eundem hæreſiarcham.*

Homiliis in Hexaëmeron.

Homilia in: attende tibi.

Homilia, quod Deus non eſt auctor malorum.

Item in *Regulis fuſioribus ad interogationem* 2.

Nec raro in *Epiſtolis*. Sic, ut alias tataceam *Epiſtola* 8. *alias* 141 Deum eſſe unum oſtendit.

S. Gregorius Nazianzenus in *Orationibus de Theologia*, præſertim 2.

Oratione 26. *de moderatione in diſputando ſervanda.*

Oratione 38. *in Chriſti Nativitatem.*

Oratione 45. *ad Evagrium*, etſi non ſit ipſius &c.

Oratione 49. *de Fide.*

Idem in aliquot *carminibus* præclara habet divinis de rebus.

S. Gregorius Nyssenus *Oratione magna Catechetica, pluribus capitibus*, de divina natura.

Libello de imagine Dei in homine.

Dialogo de anima, ubi teſtimonia divinitatis affert ex creaturis.

Libro de creatione hominis, de divina ſimplicitate.

S. GREGORIUS NYSSENUS *Homilia* 1. *in Eccleſiaſten, verſus finem*, de divina ineffabilitate.

Oratione 7. *de Beatitudinibus*, de eadem ineffabilitate.

Libro de vita Moſis, fuſe, de cognitione Dei.

Atque etiam alibi ſæpe, *præſertim in Orationibus XII. refutatoriis contra Eunomium.*

S. EPIPHANIUS *contra Audeanos* & alios in *Panario.*

S. CHRYSOSTOMUS in *Homiliis contra Anomœos* de incomprehenſibili Dei natura.

Item Homiliis in Joannem, maxime 14.

In Libris & Orationibus de providentia.

Libro ad ſcandalum paſſos.

Homiliis 9. *&* 10. *ad populum.*

Homilia in pſalmum 13. *&* 110. ad illud: *Omnes voluntates ejus.* Mitto alia, quæ ſunt ejus quam plurima.

PRUDENTIUS in *Apotheoſi*, ſeu de Divinitate.

S. HIERONYMUS *Epiſt.* 25. *alias* 136. *ad Marcellam de decem myſticis nominibus Dei.* Item ſæpiſſime in *Job*, in *Eſaiam*, & alibi. Locos quam plurimos collegit Cornelius Schultingus in *Confeſſionis Hieronymianæ cap.* 1. *&* 2.

S. AUGUSTINUS innumera de Deo, & de Dei proprietatibus habet: præcipue autem in *libris quindecim de Trinitate.* In *Libris de Civitate* ſparſim. In *Libro de natura boni contra Manichæos.* In *Libro de vera Religione.* In *Libro I. de Doctrina chriſtiana, aliquot capitibus. Libro contra Adimantum cap.* 11. de verbis, quæ in Deo imperfectum quid ſonant. *Libro I. confeſſionum cap.* 4. ſæpiſſime de divinis attributis. In *Enchiridio ad Laurentium* a cap. 95. ad 108. de divina voluntate.

Idem

Idem in *Epiſtolis* ſæpiſſime, ſic præter *illam Conſentii jam laudatam Epiſtola* 6. 111. 112. *nunc* 92. 148. 147. agit de viſione Dei. *Epiſtola* 57. *nunc* 287. de præſentia Dei: *Epiſtola* 85. *nunc* 120. de ſimplicitate Dei.

In *Quæſtionibus* vero & *Sermonibus* multo frequentius hoc argumentum; ut ſane infinitum hic foret univerſa adnotare velle. Ne tamen omittas locum inſignem *Enarratione* 2. *in pſalmum* 26. *circa medium*, de laude Dei ex creaturis. Et ſuppoſita ei quædam, ſcilicet *Librum de Trinitate, & unitate Dei: Librum de ſpeculo: Librum de cognitione veræ vitæ &c.*

Potiſſimum autem Auguſtinus de Scientia, de Voluntate, de Dominio Dei (in *Pelagianos*) & de ejusdem unitate (in *Manichæos*) ſcribit.

S. Isidorus Pelusiota *Libro II. epiſt.* 117. de omnipotentia Dei.

S. Cyrillus Alexandrinus *Libro adverſus Antropomorphitas.* Sparſim quoque *in Theſauro de Sancta, & conſubſtantiali Trinitate:* in *Commentariis in Joannis Evangelium:* in *Dialogis novem ad Hermiam:* denique in *Libris decem pro ſancta Chriſtianorum religione adverſus Julianum Apoſtatam.*

S. Eucherius *duobus capitibus primis de Formulis ſpiritualis intelligentiæ*, qui eſt ipſiſſimus *Liber de eſſentia divinitatis* Auguſtino olim attributus.

Eusebius Gallicanus *Homilia, quod idola coli non debent*, ubi nominatim de divina immenſitate eleganter.

S. Prosper *Carmine* egregio *de Providentia Dei.*

Theodoretus in *Eraniſte, ſeu Polymorpho.*
Epitome divinorum Decretorum.
Libris de græcarum affectionum curatione.
Et ſubin in *Oratione de Providentia.*
Et in *Libris hæreticarum fabularum.*

Seve-

SEVERINUS BOETHIUS *Libro de S. Trinitate: Libro de unitate Trinitatis*; & ſæpe etiam *de Conſolatione Philoſophiæ.*

S. GREGORIUS M. *Homilia* 8. *in Ezechielem, præclare,* de immenſitate Dei.

S. ANASTASIUS SINAITA *Orat.* 1. *de Trinitate, & 2. de incircumſcripto.* Sæpe item in *Anagogicis contemplationibus in Hexaëmeron.*

S. ISIDORUS HISPALENSIS *Libro VII. Etymologiarum cap.* 1. & magis *Libro I. Sententiarum capitibus ſex prioribus.*

S. MAXIMUS MARTYR paſſim, maxime *Libro I. Centuriarum:* in *Capitibus Theologicis*, & in *Dialogis de Sanctiſſima Trinitate.*

S. JOANNES DAMASCENUS in *Libris Orthodoxæ fidei* via, & ordine ſæpius. Item in *Dialogo contra Manichæos* de unitate Dei agit. Sed etiam in *Paralellis* habet Titulos huc pertinentes.

ALCUINUS de *perfectionibus Dei.*
in *confeſſione fidei.*
in *Libris de Trinitate.*
in *quæſtionibus de Trinitate.*
in *Epiſtola, quid ſit intus æternum, & ſempiternum &c.*

THEODORUS ABUCARA in *Dialogo de Deo, & Deitate.* Item in *Dialogo de auctore boni & mali.*

RATHERIUS VERONENSIS *Libello contra hæreſin Antropomorphitarum.*

S. PETRUS DAMIANI *Opuſculo* 36. *de divina omnipotentia.*

EUTHYMIUS in *Orthodoxæ fidei Panoplia Parte I.* egregie.

S. ANSELMUS in *Monologio.*
Proſologio.
Libro pro inſipiente.
Libro contra inſipientem.

S. AN-

S. Anselmus in *Dialogis de veritate: & de libero arbitrio.*
Libro de voluntate Dei.
Libris duobus contra gentiles: Cur Deus homo?

Franco Affliginenses in *Libro de Gratia,* ſeu beneficentia Dei.

S. Rupertus Tuitiensis *Libro de omnipotentia Dei.*

Hugo Victorinus *Libro ſupra laudato,* qui eſt poſt *libros Eruditionis Didaſcalicæ.* Item de *Voluntate Dei æterni:* de *cauſa creationis hominis,* & præcipue de *cognitione Divinitatis.*

S. Bernardus *Libro V. de Conſideratione. Sermonibus quinque in viſionem Eſaiæ. Sermonibus item* 80. & 81. *in Cantica,* ubi agit de Gilberto Porretano: & quæ alias contra iſtum, & Petrum Abailardum ſparſim expromſit.

Richardus Victorinus in *Libro de Trinitate* præclara habet de divinis attributis. Sic *Libro I. cap.* 3. loquitur clariſſime de divina immutabilitate: *cap.* 20. de infinita perfectione: *Libro II. cap.* 60. de immenſitate: *cap.* 16. egregie docet ſummum bonum eſſe Deum. Sicque de aliis.

Joannes Cyparissiota in *Epitome materiaria eorum, quæ de Deo a Theologis dicuntur.*

Huc item ſpectat *Diſputatio inter Barlaamum, Palamam, & Acyndinum* apud Leonem Allatium *de Conſenſu utriusque Eccleſiæ, Libro II. cap.* 17.

Adde quæ infra Libro ultimo ad *Feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis* afferemus.

TITU-

TITULUS XIV.

De *Divitiis.*

CAPUT I.

Loci.

Dives es? ſed fortunæ male creditur: & magno viatico breve iter non inſtruitur, ſed oneratur. MINUTIUS FELIX *in Octavio, prope finem.*

Quod divites opinaris continuantes ſaltibus ſaltus, & de confinio pauperibus excluſis infinita infinita ac ſine terminis rura latius porrigentes, quibus argenti & auri maximum pondus & pecuniarum ingentium vel extructi aggeres vel defoſſæ ſtrues: hos etiam inter divitias ſuas trepidos cogitationis incertæ ſolicitudo diſcruciat; ne prædo vaſtet, ne percuſſor infeſtet, ne inimica cujusque locupletioris invidia calumnioſis litibus inquietet. Non cibus ſecuro, ſomnusve contingit. Suſpirat ille in convivio, bibat licet gemma, & cum epulis marcidum corpus torus mollior alto ſinu condiderit, vigilat in plumis. Nec intelligit miſer ſpecioſa ſibi eſſe ſupplicia, auro ſe alligatum teneri, & poſſideri magis quam poſſidere divitias atque opes. O deteſtabilis cæcitas mentium, & cupiditatis inſanæ profunda caligo! cum exonerare ſe poſſit, & levare ponderibus, pergit magis fortunis augentibus incubare, pergit pœnalibus cumulis pertinaciter adhærere. Nulla in clientes inde largitio eſt, cum indigentibus nulla partitio, & pecuniam ſuam dicunt, quam velut alienam domi clauſam ſolicito labore cuſtodiunt: ex qua non amicis, non liberis quidquam, non ſibi denique impertiunt. Poſſident ad hoc tantum, ne poſſidere alteri liceat. O nominum quanta diverſitas!

tas! bona appellant, ex quibus nullus illis niſi ad res malas uſus eſt. S. CYPRIANUS *Epiſtola* 2. *ad Donatum.*

Nihil nobiſcum ferre poſſumus, niſi vitam bene, atque innocenter actam. Ille ad Deum copioſus, ille opulentus adveniet, cui adſtabunt Continentia, Miſericordia, Patientia, Charitas, Fides. Hæc eſt hæreditas noſtra, quæ nec eripi cuiquam, nec transferri ad adulterum poteſt. LACTANTIUS *Libro VII. divinar. Inſtitution.*

Forte illud miraris, quod abundant auro, argento, pecuniis? quantis abundant, vides; quantis egeant, non vides. S. AMBROSIUS *Libro VI. Hexameron. cap.* 8. *ad finem.*

Etſi tibi videatur dives, ſibi pauper eſt, & tuum judicium ſuo fefellit. *Idem Libro I. de officiis cap.* 12.

Nemo eſt dives, qui quod habet, ſecum hinc aufferre non poteſt. Quod enim hic relinquitur, non noſtrum, ſed alienum eſt. *Idem Epiſtola* 38. *alias* 10. *&* 27. *ad Simplicianum.*

O dives! neſcis, quam pauper ſis, quam inops tibi ipſi videaris, qui te divitem dicis. Quanto plus habueris, plus requiris, & quamquam aquiſieris, tamen tibi adhuc indiges. Inflammatur lucro avaritia, non reſtinguitur. *Idem Libro de Nabuth cap.* 2.

Quid præcelſius eo viro, qui auro moveri neſciat, contemptum habeat pecuniarum, & velut ex arce quadam deſpiciat hominum cupiditates? Quod qui fecerit, hunc hominem ſupra homines eſſe arbitramur. *Idem Libro II. de Officiis cap.* 14.

S. CHRYSOSTOMUS *Homilia* 2. *ad populum.* Hodie dives, cras pauper. Idcirca ſæpius riſi, teſtamenta legens dicentia: Ille quidem habeat agrorum vel domus dominium, uſum vero alius. Omnes enim uſum habemus, dominium autem nemo.

Etſi

Etſi enim nobis per omnem permaneant vitam, nullam facientes divitiæ mutationem, velimus nolimus in fine aliis cedemus, ipſarum uſu ſolo recepto, dominio autem nudi & orbati ad illam vitam migrantes. Unde manifeſtum eſt, illos ſolos dominium habere, qui & ipſarum uſum contempſerunt, & fructum deriſerunt. Qui enim facultatibus abjectis ipſas pauperibus erogat, prout oportebat facultatibus uſus eſt, & ipſorum dominium habens obiit, neque in ipſa morte illa excidens poſſeſſione, ſed omnia illo recipiens tempore, & illis multo plura, quando in die judicii illorum præſidio maxime egebit, & quando a nobis omnibus factorum rationes repetentur. Ita ſiquis vult divitiarum & poſſeſſionem & uſum & dominium habere, omnibus facultatibus ſuis ſe expediat; quoniam hoc ſi non faciat, in morte ab ipſis omnino ſeparabitur: multoties vero & ante finem cum periculis & infinitis malis ipſas amittit.

Repelle cupiditatem. Et quomodo repellam, inquies? ſi gentilis eſſes, & præſentia tantum admirareris, forte res eſſet difficilis; etiamſi gentiles hoc fecerint. At tu qui cœlum & cœleſtia expectas dicis, quomodo repellam? Si contrarium dixiſſem, tunc dubitare oporteret: ſi dicerem, divitias concupiſce: reſponderes: quomodo concupiſcam? cum talia videres. Dic mihi ſi auro & lapidibus pretioſis propoſitis dicerem, concupiſce plumbum: an hæſitares? diceres certe, quomodo poſſum? ſin dicerem, ne concupiſcas: hoc facilius eſſet. Non admiror deſpicientes, ſed non deſpicientes. *Idem Homilia 7. in acta.*

Quid mali hæc non faciunt? an non hinc habendi cupiditas? an non rapinæ? an non gemitus, inimicitiæ, pugnæ, contentiones? an non usque ad mortuos manus extenduntur? an non usque ad patres & fratres? an non leges naturæ, Dei præ-

præcepta & omnia ſubverterunt hac cupiditate concitati? an non tribunalia illorum cauſa ſunt conſtituta? Tolle itaque pecuniarum amorem, & ceſſabit bellum, ceſſabunt pugnæ, inimicitiæ, lites & contentiones. Oporteret avaros tanquam perniciosos, & lupos ex orbe pelli; quemadmodum enim venti quidam vehementes, & contrarii in tranquillum pelagus incidentes ab imo illud totum ſubvertunt, ita ut arena profundior ſupernis fluctibus commiſceatur, ſic auri cupidi omnia ſus deque vertunt. Nullum auri cupiditas novit amicum. quid autem dico amicum? nec ipſum novit Deum; fuit enim ab hac cupiditate detentus. *Idem Homilia* 17. *in ad I. ad Timotheum.*

Quomodo ſunt divitiæ, quibus creſcentibus creſcit inopia? quæ amatoribus ſuis, quanto fuerint ampliores, non aufferunt egeſtatem, ſed inflammant cupiditatem? divitem tu putas, qui minus ageret, ſi minus haberet? . . . major pecunia fauces avaritiæ non claudit, ſed extendit: non irrigat, ſed accendit. S. Augustinus *ſermone* 50. *alias* 15. *de diverſis.*

Audite me, o pauperes! quid non habetis, ſi Deum habetis? audite me, o divites! quid habetis, ſi Deum non habetis? *Idem Sermone* 311. *alii* 115. *de Diverſis, ſeu* 3. *de S. Cypriano ad calcem.* Perſimilem locum & ipſum elegantem dabo infra *de Reſtitutione.*

Vides (divitem) viventem? cogita morientem. Quid hic habeat, attendis? quid ſecum tollat, attende. *Idem Enarratione* 2. *in pſalmum* 48. *poſt medium.*

Illæ ergo ſunt veræ divitiæ, quas cum habuerimus, perdere non poſſumus. *Idem Sermone* 112. *alias* 33. *de verbis Domini.*

Omnis mihi copia, quæ Deus meus non eſt, egeſtas eſt. *Idem Libro XIII. Confeſſionum cap.* 8.

At ſi omiſſis calculis ſapientum ipſam rei naturam expendere oportet, nullum in humana vita ſcelus reperietur, quod non ob pecuniarum amorem perpetretur. Ob eas odia, & pugnæ, & bella. Ob eas cædes, & latrocinia, & calumniæ. Ob eas non urbes duntaxat, ſed etiam ſolitudines, non ſolum cultæ & habitatæ, ſed etiam incultæ, ac deſertæ terræ cruore ac cædibus redolent. Ac ne a mari quidem hoc malum abſtinuit. Verum illic quoque ingenti cum furore graſſatur, prædonibus illud obſidentibus, ac novum quemdam latrocinii modum excogitantibus. Ob eas & cogitationis, ac neceſſitudinis leges everſæ ſunt, & naturæ ſanctiones convulſæ, atque adeo ſepulturæ jura labefactata. Hic enim improbus ac ſceleſtus amor non adverſus vivos duntaxat, ſed etiam adverſus eos qui mortem obierunt furum ſepulchra effodientium manus armavit. Quippe quæ ne eum quidem, qui ex hac vita exceſſit ab his inſidiis ſuis liberum, atque immunem eſſe patiantur. Ac denique quæcunque mala quiſpiam invenire queat ſive in conciliis, ſive in judiciis, ſive in domibus, ſive in urbibus ex hac radice ea pollulare conſpiciet. Verum quid laboro? Omnes enim hujus morbi malignitates ne ſi omnes quidem mortales in unum coirent explicare poſſint. S. Isidorus Pelusiota *Libro II. epiſt.* 146.

Adeo quædam ſocietas eſt pæne etiam nominis duabus his rebus vitiis, & divitiis. S. Eucherius *in Parœneſi ad Valerianum.*

Sicut divitiis primi fuere, ſic vitiis. Nuſquam enim improbior voluptas, nuſquam inquinatior vita, nuſquam corruptior diſciplina. Hanc pro muneribus ſuis dederunt Domino retributionem, ut in quantum eos beneficiis ſuis ille ad ſe illexerat ad propitiandum, in tantum illi flagitiis ſuis labora-

laboraverint ad exacerbandum. SALVIANUS *Libro 7. de Gubernatione, circa initinm.*

Eis, qui militant Deo, fugiendæ ſunt ex toto corde divitiæ, quas qui habere volunt, ſine labore non quærunt, ſine difficultate non inveniunt, ſine cura non ſervant, ſine noxia delectatione non poſſident, ſine dolore non perdunt. JULIANUS POMOERIUS *Libro II. de vita contemplativa cap.* 13.

Si veſtra ſunt hæc, tollite ea vobiſcum! S. BERNARDUS *Sermone* 4. *de Adventu Domini.*

Parum tibi ſit renuntiare divitiis, niſi renuntietur & vitiis; quia minus periculoſum eſt, eſſe divitem Chriſti, quam pauperem Antichriſti. PETRUS BLESENSIS *Epiſtola* 137.

CAPUT II.

Fontes.

CLEMENS ALEXANDRINUS *Opuſculo: Quis dives ſalvus.*

MINUTIUS FELIX *in Octavio verſus finem.*

S. CYPPRIANUS *Sermone de lapſis, ante medium;* item *de Opere & Eleemoſyna*, & *de Oratione Dominica.*

S. HILARIUS PICTAVIENSIS *Canone* 19. *in Matthæum:* Et *in pſalmum* 51.: *in pſalmum* 118. *Litera Beth & Heth.*

S. BASILIUS M. *Homilia de diverſis* 6. *in illud:* Deſtruam horrea. Item 7. *in divites*, 8. *in famem & ſiccitatem*, & 21. *quod rebus mundanis adhærendum non ſit.* Item *Homilia in pſalmum* 48. *&* 61. *&c.* Denique ſuppoſita illi *Homilia in aliquot Scripturæ locos, dicta in Lacizis.*

S. GREGORIUS NYSSENUS *Homilia* 4. *in Eccleſiaſten* de auro, *præclare.*

S. Ambrosius *Libro de Nabuth* ſæpe. *Libro II. officiorum cap.* 26. *Epiſtola citata ad Simplicianum,* & *Epiſtola* 63. *alias* 82. & 25. *ad Eccleſiam Vercellenſem ſub finem.*

S. Chrysostomus *Homilia in Eutropium.*
Homilia cum Saturninus & Aurelianus &c.
Homilia 2. *ad populum.*
Homilia 4. & 64. *in Matthæum.*
Homilia 34. 38. 40. *in I. ad Corinthios.*
Homiliis 12. & 13. *in II. ad Corinthios.*
Homilia 10. *in ad Philippenſes.*
Homilia 7. *in ad Coloſſenſes.*
Homiliis 12. & 17. *in I. ad Timotheum.*
Homilia 6. *in ad Titum*, atque ita in aliis ſane innumeris locis, præſertim *in Matthæum.*

S. Hieronymus *Epiſt.* 34. *nunc* 118. *ad Julianum.*

S. Augustinus præclare *Enarrationibus* duabus *in pſalmum* 48. *Libro I. de Civitate cap.* 10. *Libro VII. de eadem cap.* 12.: *Sermone* 50. *alias Homilia* 30. & 50. *Sermone* 61. *alias* 5. *de verbis Domini,* & *Epiſtola* 157. *alias* 89. *ad Hilarium, quæſito* 4.

S. Isidorus Pelusiota præter epiſtolam laudatam *Libro III. epiſtola* 412.

S. Eucherius *in Parœneſi ad Valerianum.*

S. Chrysologus *Sermone* 22.

Salvianus *in Libris ad Eccleſiam Catholicam,* nec raro in *Libris de gubernatione.* Et hic quidem præcipue notandus inſignis locus de uſu recto divitiarum *Libro I. ad Eccleſiam Catholicam*, quem, quod eſt fuſior, nolui huc tranſcribere.

Sixtus III. *creditus* opere præclaro *de Divitiis.*

Theodoretus *Oratione* 6. *de providentia.*

Julianus Pomorius *Libro II. de vita contemplativa, pluribus capitibus.* Notanda præcipue quæ habet *cap.* 13.

Seve-

Severinus Boethius *Libro III. de Conſolatione Philoſophiæ.*

S. Gregorius M. *Libro I. cap.* 5. 6. & 7.
Libro X. Moralium cap. 30.
Libro XV. Moralium pluribus capitibus.
Libro XVIII. Moralium cap. 18.

S. Joannes Damascenus *Libro II. Parallelorum cap.* 16. & 17. nunc *Titulis VIII. & IX. litera e.*

Venerabilis Beda *Libro XIV. in Lucam cap.* 9. præclare de diſcrimine, quod eſt inter *renuntiare omnibus*, & *omnia relinquere.*

S. Bernardus *de converſione ad Clericos* plura habet, uti & in *Declamationibus.*

Vide, quæ dixi titulo *Avaritia.*

TITULUS XV.

De *Ebrietate.*

CAPUT I.

Loci.

Origenes *poſt narratum Lothi inceſtum, ita exclamat:* Audite, ebrietas quid agat! audite, quantum facinoris conciliet temulentia! audite & cavete, vos, quibus iſtud malum non in crimine, ſed in uſu eſt. Ebrietas decipit, quem Sodoma non decepit. Uritur ille flammis mulierum, quem ſulphurea flamma non uſſit. *Homilia* 5. *in Geneſin.*

Videas tales novo genere adhuc jejunos, & jam ebrios, non ad popinam currentes, ſed popinam ſecum circumferentes. Quorum quisquis ſalutat, non oſculum dat, ſed propinat. Quid iſti poſt cibum faciant, quos ebrius invenit cibus? aut qua-

 les

les iſtos ſol in occaſu relinquit, quos jam marcidos vino oriens aſpicit? *Auctor Epiſtolæ de cibis judaicis, poſt opera Tertulliani cap.* 6. *creditur* Novatianus.

S. Basilius M. *Homilia* 14. *in Ebrioſos*: Hæc quomodo tacebo, quomodo ut par eſt lugebo? Vinum nobis harum animarum damnum intulit. Vinum Dei donum & infirmitatis levamen ſobriis datum nunc laſciviæ factum eſt inſtrumentum intemperantibus.

Et rurſum: Quia etiam in fruendis voluptatibus incontinentia ex vino quaſi ex fonte manifeſte prorumpit, atque unacum mero irrepit impudicitiæ labes, quæ omnem pecorum in fœminas inſaniam demonſtrat procacitate & laſcivia ebriorum minorem eſſe. Et quidem bruta animalia naturæ terminos non ignorant; ebrii vero in maſculo fœminam, in fœmina maſculum requirunt. *Ibidem*.

Hujus mali finis nullus eſt. Nam ipſum ſe merum promovet ad amplius. Non enim levat neceſſitatem, ſed alterius potus neceſſitatem inevitabilem inducit, exurens inebriatos, ſemperque deſiderium plus bibendi provocans. *Idem ibidem*.

Quid retexam audita? mihi non poculi ſed profluvii genus eſſe videtur, quod in ora hominum tanquam per fiſtulas, aut canales vina funduntur. Hos homines an utres verius æſtimaverim? & tamen ipſi utres ſi immoderata transfuſio ſit, ſæpe rumpuntur. S. Ambrosius *Libro de Elia, & Jejunio cap.* 17.

Si vinum & mulieres diſcedere a Deo faciunt, quod vel ebrietas vel libido prævaricationis illecebræ ſint: ſi ſingula, ac ſeparata hæc faciunt, quid facient unita? *Idem eodem opere cap* 18.

Uno die bibunt multorum dierum labores. *Idem rurſus ibidem cap.* 12. loquitur autem de opificibus, qui feſtis diebus vino diluunt, quidquid ſudoris

infra

infra hebdomadem ſuderunt, neque tam bibunt, quo laborent, quam laborant, quo bibant.

Rogas ad jucunditatem, cogis ad mortem: invitas ad prandium, efferre vis ad ſepulchrum: cibos prómittis, tormenta irrogas: vina prætendis, venena ſuffundis. Omne enim, quidquid nocet, venenum eſt. Tollit ſenſus, viſcera exurit, ſomnum infeſtat, caput vexat: & jam major vis vini, quam veneni eſt. *Idem cap.* 14. *ibidem.*

Quid ſobrietatem (Judith) loquar? temperantia enim virtus eſt fœminarum. Inebriatis vino viris, & ſomno ſepultis abſtulit vidua gladium, exeruit manum, bellatoris abſcidit caput, per medias hoſtium acies intemerata proceſſit. Advertitis igitur quantum nocere mulieribus poſſit ebrietas, quando viros vina ſic ſolvunt, ut vincantur a fœminis. Eſto igitur vidua temperans, caſta primum a vino, ut caſta poſſis eſſe ab adultero. Nequaquam te ille tentabit, ſi vina non tentent. Nam ſi Judith bibiſſet, dormiſſet cum adultero; ſed quia non bibit haud difficile ebrios exercitus unius ſobrietas & vincere potuit & eludere. *Idem Libro de Viduis cap.* 13.

Mulieribus eorum (Romanorum) caſtitatis cauſa vini uſus incognitus fuit, ſicut nunc aquæ. *Creditus* Ambrosius *Commentario in Caput* 3. *Epiſtolæ ad Coloſſenſes.*

Jacet quaſi vivum cadaver, ad mala quidem operanda ſæpe habilis; ad bona autem omnia nihilo ſe melius habens, quam mortui. S. Chrysostomus *Homilia* 10. *in Geneſin.*

Non Æthnæi ignes, non Vulcania tellus, non Veſevus & Olympus tantis ardoribus æſtuant, ut juveniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ. S. Hieronymus *Epiſtola* 10. *nunc* 54. *ad Furiam.*

Siquid in me poteſt eſſe conſilii, ſi experto creditur, hoc primum moneo, hoc obteſtor, ut ſponſa Chriſti vinum fugiat pro veneno. Hæc adverſus adoleſcentiam prima arma ſunt dæmonum. Non ſic avaritia quatit, inflat ſuperbia, delectat ambitio. Facile aliis caremus vitiis; hic hoſtis nobis incluſus eſt; quocunque pergimus, nobiscum portamus inimicum. Vinum & adoleſcentia duplex incendium voluptatis. Quid oleum flammis adjicimus? quid ardenti corpuſculo fomenta ignium miniſtramus? *Idem vir ſanctus Epiſtola nunc & olim* 22. *ad Euſtochium.*

Longum eſt ire per ſingula, & inſanias, quas ebrietas ſuppetit, explicare. Videas alios pocula in tela vertentes, ſcyphum in faciem jacere convivæ: alios ſciſſis veſtibus in vulnera aliena proruere: alios clamare, alios dormitare. Qui plus biberit, fortior computatur. Accuſationis occaſio eſt, adjuratum per regem frequentius non bibiſſe. Vomunt, ut bibant; bibunt, ut vomant. Diggeſtio ventris & guttur uno occupantur officio. *Idem in caput I. epiſtolæ ad Titum.*

Vinolentia ſcurrarum eſt, & commeſſatorum, venterque mero æſtuans cito deſpumat in libidines. *Idem in epiſtola* 83. *nunc* 69. *ad Oceanum.*

Noë ad unius horæ ebrietatem nudat femora ſua, quæ per ſexcentos annos ſobrietate contexerat. Loth per temulentiam neſciens libidini miſcet inceſtum, & quem Sodoma non vicerat, vina vicerunt. *Idem ibidem.*

Libenter carebo poculo, in quo ſuſpicio veneni eſt. *Idem Epiſtola II. nunc* 52. *ad Nepotianum, propius finem.*

Non ſit tibi amicus, qui te Deo vult facere inimicum, qui & tuus, & ſuus eſt inimicus. Si & te, & alium inebriaveris, habebis Deum inimicum;

&

& ideo ſapienter conſidera ſi juſtum ſit, ut te a Deo ſepares, dum te ebrioſo conjungis. S. Cæsarius Arelatensis *Sermone* 90. *olim* 231. *ex Auguſtinianis de tempore.*

Noli adjurare, noli cogere; ſed in poteſtate illius dimitte, ut quantum ſibi placuerit, bibat. Et ſi ſe inebriare voluerit, vel ſolus pereat, & non ambo pereatis. *Idem ibid.*

Conſiderent ebrioſi, ſi non pejores animalibus judicandi ſunt. Cum enim animalia amplius quam eis opus eſt bibere nolunt, illi & duplum, & triplum eis quam expedit potum accipiunt; & unde trium vel quatuor dierum refectionem potuerant rationabilem habere, uno die cum grandi peccato ſuo contendunt perdere potius, quam expendere propter invidiam, aut ebrietatem. Atque utinam potum tantummodo perderent, & non etiam ipſi perirent!. *Idem ibidem.*

Ad excuſandas excuſationes in peccatis iſta prætendimus, & quod implere nolumus, non potuiſſe nos dicimus. Nolle in culpa eſt noſtra, & non poſſe prætenditur. Etiamſi ad hoc veniretur: *aut bibas, aut morieris!* melius erat, ut caro tua ſobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur. *Idem Sermone* 91. *olim* 232. *ex Auguſtinianis de Tempore.*

Vel morbum corporis timeant, qui de animæ ſuæ ſalute non cogitant. *Idem eodem Sermone.*

Omnes nimirum, ex quo monachi ſumus, infirmos ſtomachos habemus, & tam neceſſarium Apoſtoli de *utendo vino* conſilium merito non negligimus; *modico* tamen, quod ille præmiſit, neſcio, cur prætermiſſo. S. Bernardus *in Apologia ad Guilielmum Abbatem.*

Tunc amplius bibunt, cum minus ſitiunt. Petrus Blesensis *in Caput* 1. *Job.*

CAPUT II.

Fontes.

CLEMENS ALEXANDRINUS *Libro II. Pædagogi cap.* 2.

ORIGENES *Homilia* 7. *in Leviticum.*

S. EPHRÆM *Sermone de Virginitate*, *& iterum de Agone, ſeu de luctaminibus hujus ſæculi.* Uterque extat *Tomo III. novo græco-latino.*

S. BASILIUS M. *Homilia* 14. *in ebrioſos, præſtanter.*

S. GREGORIUS NYSSENUS *in Eccleſiaſten Homilia* 3. *egregie.*

S. AMBROSIUS *Libro I. de Abraham cap.* 6. *Libro item de Elia & Jejunio, capitibus pluribus.*

S. CHRYSOSTOMUS *Tomo II. novo* habet *Homiliam contra Ebrioſos*, quæ ante, ſaltem tota, non fuit edita. De eadem ebrietate agit *Tractatus, quod nemo læditur, niſi a ſe ipſo.*

Adde *Homilias* 1. *&* 5. *ad populum.*
Homiliam 10. *in Geneſin.*
Homiliam 58. *&* 71. *in Matthæum.*
Homiliam 21. *in Joannem.*
Homiliam 27. *in Acta.*
Homiliam 13. *in ad Romanos &c.*

S. HIERONYMUS *in Caput* 5. *Epiſtolæ ad Galatas: Et jam citato alio Commentario in Caput I. Epiſtolæ ad Titum.*

S. AUGUSTINUS *Sermone* 210. *alias* 74. *de diverſis*, de potionibus delicatis a vino diverſis. Item alius ſub nomine S. Doctoris *Tractatu de Sobrietate & Caſtitate.*

S. CHRYSOLOGUS *Sermonibus* 26. & 174.

SALVIANUS *in Libris de gubernatione, non ſemel.*

S. CÆSARIUS ARELATENSIS *Homiliis citatis.*

S. AN-

S. Antiochus *Homilia* 5.

S. Joannes Damascenus *Libro II. Parallelorum cap.* 88. *nunc Titulo V. Litera u.*

Venerabilis Beda *in Collectaneis.*

Petrus Blesensis *loco dato, & Epiſtola* 7. *ad Magiſtrum quemdam.*

Joannes Saresberiensis *in Policratico Libro VIII. cap.* 10.

Porro Hieronymus *Epiſtolis jam laudatis ad Nepotianum, & ad Oceanum*: Bleſenſis *Epiſtola proxime dicta,* ſed & Chryſologus *Sermone* 26. habent aliqua, quæ temulentiam quoque ipſius *Cleri* caſtigent.

Plura dabunt Tituli: *Jejunium, Temperantia &c.*

TITULUS XVI.

De *Eccleſia*, aliisque huc pertinentibus.

CAPUT I.

Loci.

Habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt. Iſta felix Eccleſia! cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt. Tertullianus *Libro de Præſcriptionibus adverſus hæreticos cap.* 36.

Quisquis ille eſt, & qualiscunque eſt, Chriſtianus non eſt, qui in Chriſti Eccleſia non eſt. S. Cyprianus *Epiſtola* 52. *ad Antonianum.*

Habere jam non poteſt Deum patrem, qui Eccleſiam non habet matrem. *Idem Libro de unitate Eccleſiæ.*

Eccle-

Quam igitur ſibi promittunt inimici pacem fratrum? Quæ ſacrificia celebrare ſe credunt æmuli ſacerdotum? An ſecum eſſe Chriſtum, cum collecti fuerint, opinantur, qui extra Chriſti Eccleſiam colliguntur? Tales etiamſi occiſi in confeſſione nominis (ejus) fuerint, macula iſta nec ſanguine abluitur . . . . Ardeant licet flammis, & ignibus traditi vel objecti beſtiis animas ſuas ponant: non erit illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ: nec religioſæ virtutis exitus glorioſus, ſed deſperationis interitus. Occidi talis poteſt, coronari non poteſt. *Idem ibidem inferius.*

Sola Catholica Eccleſia eſt, quæ verum cultum retinet. Hic eſt fons veritatis, hoc eſt domicilium fidei, hoc templum Dei: quod ſi quis non intraverit, vel a quo ſi quis exierit, a ſpe vitæ & ſalutis alienus eſt. LACTANTIUS *Libro IV. divinarum Inſtitutionum cap* 30.

S OPTATUS MILEVITANUS *inter alios ſcripturæ locos, quos ſummo niſu in Donatiſtas intorquet, illum pſalmi* 112. Laudandum nomen Domini ab ortu ſolis uſque ad occaſum: *Et iſtum pſalmi* 95. Cantate Domino canticum novum: Cantate Domino omnis terra. Pronuntiate in gentibus gloriam ipſius: in omnibus populis mirabilia ejus; *hunc in modum perurget:* Qui omnes populos dixit, neminem excepit: & vos ſolos ab omnibus populis, de quibus hoc mandatum eſt, ſeparatos eſſe gratulamini: & vultis vos ſolos eſſe totum, qui in omni toto non eſtis? Laudandum inquit nomen Domini a tota terra, & ab ortu ſolis uſque ad occaſum. Numquid pagani extralegales poſſunt cantare Deo, aut laudare nomen Dei, & non ſola Eccleſia, quæ in lege eſt? Quam ſi apud vos tantummodo eſſe dicitis, & fraudatis aures Dei: ſi vos ſoli laudatis, totus tacebit orbis, qui eſt ab ortu ſolis uſque ad occaſum: clauſiſtis ora omnium chriſtianarum gen-

tium: indixiſtis ſilentium populis univerſis Deum per momenta laudare cupientibus. Igitur ſi & Deus debitas ſibi laudes expectat, &, ut ſonent Spiritus ſanctus hortatur, & totus orbis quod debet paratus eſt reddere ne fraudetur Deus: etiam vos ipſi laudate cum omnibus; aut quia noluiſtis eſſe cum omnibus, ſoli conticeſcite! *Libro II. contra Parmenianum de Schiſmate Donatiſtarum.*

Quot enim bella adverſus Eccleſiam concitata ſunt! quot exercitus inſtructi! quot arma mota! quot non cruciatus & ſupplicii genus excogitatum! Sartagines, catapultæ, lebetes, fornaces, lacus, & præcipitia, beſtiarum dentes, maria & proſcriptiones, aliaque innumera tormentorum genera neque dictis memoranda, neque factis toleranda! Atque hæc non tantum ab extraneis, verum etiam a noſtris domeſticis. Nam civile quoddam bellum occuparat omnia vel quovis civili bello pernicioſius. Neque enim cives modo cum civibus, verum etiam cognati cum cognatis, domeſtici cum domeſticis, amici cum amicis conflictabantur; nihil tamen horum diſſolvit Eccleſiam, ac ne infirmiorem quidem reddidit. Atque id ſane mirum & incredibile, quod hæc in ipſis ſtatim primordiiis mota ſunt. Nam ſi tum irruiſſent hæc acerba poſteaquam radices egerat, & ubique terrarum plantatum erat Evangelium, haud perinde fuiſſet admirandum non fuiſſe ſubverſam Eccleſiam. Ceterum cum in ipſo doctrinæ exordio nuper jacto fidei ſemine teneris etiamnum auditorum mentibus tot bella eruperint, res noſtras non ſolum nulla ex parte fuiſſe diminutas, verum etiam multam acceſſionem adjunctam fuiſſe: hoc nimirum ſuperat omne miraculum. S. CHRYSOSTOMUS *oratione* 5. *adverſus Judæos, poſt initium. Tomo 1. Montfauc. pag.* 630.

Poteram

Poteram diem iſtius modi eloquio ducere, & omnes propoſitionum rivulos uno Eccleſiæ ſole ſiccare; verum quia jam multum ſermonicati ſumus, & prolixitas concertationis audientium ſtudia laſſavit: brevem tibi apertamque animi mei ſententiam proferam, in illa eſſe Eccleſia permanendum, quæ ab Apoſtolis fundata usque ad diem hanc durat. Sicubi audieris, eos qui dicuntur Chriſti, non a Domino Jeſu Chriſto, ſed a quoquam alio nuncupari, ut puta Marcionitas, Valentinianos, Montenſes, ſive Campitas: ſcito non Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti eſſe ſynagogam. S. Hieronymus *ad finem Dialogi adverſus Luciferianos.*

Et quid amplius dicturus ſum, quam cœcos, qui tam magnum montem non vident, qui contra lucernam in candelabro poſitam oculos claudunt? S. Augustinus *Tractatu 2. in epiſtolam Joannis.*

Sed illa Eccleſia, quæ fuit omnium gentium, jam non eſt, periit, Hoc dicunt, qui in illa non ſunt. O impudentem vocem! illa non eſt, quia tu in illa non es? vide, ne tu ideo non ſis; nam illa erit, etſi tu non ſis. *Idem concione 2. in pſalmum* 101. *ante medium.*

Ad ipſam ſalutem ac vitam æternam nemo pervenit, niſi qui habet caput Chriſtum. Habere autem caput Chriſtum nemo poterit, niſi qui in ejus corpore fuerit, quod eſt Eccleſia. Quam ſicut ipſum caput in ſcripturis ſanctis Canonicis debemus agnoſcere, non in variis hominum rumoribus, & opinionibus, & dictis, & factis, & viſis inquirere. *Idem Libro de unitate Eccleſiæ contra Petiliani epiſtolam cap.* 19.

Ecce Scripturæ communes! ecce ubi novimus Eccleſiam! ſi Chriſtum ipſum tenetis, ipſam Eccleſiam quare non tenetis? ſi in ipſum Chriſtum quem legitis, & non videtis, tamen propter veritatem ſcriptu-

ſcripturarum creditis, quare Eccleſiam negatis, quam & legitis, & videtis? *Idem Epiſtola 66. nunc 105. ſub finem.*

Idem verba pſalmi 56. Exaltare ſuper cœlos Deus, & in omni terra gloria tua, *ſic potenter contra hoſtes catholicæ Eccleſiæ adhibet:* Qualem veſaniam patiantur hæretici, quæſo ut attendatis! illi præciſi a compagine Eccleſiæ Chriſti, & partem tenentes, totum amittentes, nolunt communicare orbi terrarum, quo diffuſa eſt gloria Chriſti. Nos autem Catholici in omni terra ſumus; quia omni terræ communicamus, quacunque gloria Chriſti diffuſa eſt. Videmus enim quod tunc cantatum eſt, modo completum. Exaltatus eſt ſuper cœlos Deus noſter, & ſuper omnem terram gloria ipſius. O hæretica inſania! quod non vides credis mecum: quod vides negas? credis mecum exaltatum Chriſtum ſuper cœlos, quod non videmus: & negas gloriam ejus ſuper omnem terram quod videmus. *Libro III. contra Creſconium cap. 64.*

Rurſum præclare argumento ad hominem Donatiſtas ſtringit; cum enim illi obtenderent, nolle ſe cum baptizatis extra eccleſiam communicare, atque ita unacum ipſis perire: Cyprianum item, qui pariter hoc ſenſiſſet, perpetuo creparent: ita iſtuc aſſumit S. Doctor: Reſpondete, quare vos ſeparaſtis? quare contra orbem terrarum altare erexiſtis? quare non communicatis Eccleſiis, in quibus Epiſtolas apoſtolicas miſſas tenetis, & legitis, & ſecundum ipſas vos vivere dicitis? Reſpondete, quare vos ſeparaſtis? Propterea certe, ne malorum communione periretis. Quomodo ergo non perierunt Cyprianus, & tot collegæ ipſius, qui cum crederent, hæreticos, & ſchiſmaticos baptiſmum non habere, ſine baptiſmo tamen receptis cum peccata eorum tam immania, tamque ſacrilega ſuper eos eſſe crederent, eis tamen communicare, quam ſeparari ab unitate maluerunt?

luerunt? Si ergo tali communione malorum pereunt juſti, jam Eccleſia temporibus Cypriani perierat. Unde igitur extitit origo Donati? ubi catechizatus eſt? ubi baptizatus? ubi ordinatus, quando jam Eccleſiam contagio communionis extinxerat? Si autem erat Eccleſia: nihil obeſſe mali bonis in una communione potuerunt. *Libro II. de Baptismo contra Donatiſtas cap.* 5.

Hanc (Eccleſiam) dilectiſſimi! amemus omnes, tali matri ſic amanti, ſic proſpicienti, ſic conſulenti inſeparabiliter inhæreamus, ut ſimul cum illa & per illam Deo Patri conjungi perpetuo mereamur. *Idem in fine Sermonis* 3. *de Symbolo ad Catechumenos.*

Non minuitur perſecutionibus Eccleſia; ſed augetur: & ſemper Dominicus ager ſegete ditiore veſtitur, dum grana quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur. S. LEO *Sermone I. in Natali Apoſtolorum Petri & Pauli.*

Sancta Eccleſia electorum floribus plena; habet in pace lilia, in bello roſas. S. GREGORIUS M. *Homil.* 35. *in Evangelia, verſus finem.*

Vinea ſanctæ Eccleſiæ, ab Abel usque ad ſæculi terminum ab agricola ſummo plantata, nunquam tantis ſpinis inhorruit, quin etiam flores etſi raros, haberet, quorum pulchritudine cultoris induſtria pateſceret. AUCTOR *Altercationis Synagogæ & Eccleſiæ.*

Clariſſima illa eſt, una uni, non adhæreas alteri ſponſo, non cedens alteri ſponſæ. Quid iſta non audeat apud tam ambitioſum amatorem? Quid non ab illo ſperet? S. BERNARDUS *Sermone* 68. *in Cantica.*

Hoc corpus ſuum, quod eſt Eccleſia, magis dilexit (Chriſtus) quam illud, quod traxit de Virgine. Illud enim verberibus & plagis, imo & morti expo-

expoſuit, ut iſti incolumitatem pararet. PETRUS BLESENSIS *Sermone* 11. *ex illi ſuppoſitis, & a Petro de Guſanvilla in nova Editione omiſſis.*

CAPUT II.

Fontes.

S. IRENÆUS *in Libris adverſus hæreſes.*

TERTULLIANUS in *Libro de Præſcriptionibus adverſus hæreticos.*

S. CYPRIANUS *Libro de Unitate Eccleſiæ.* Et *Epiſtolis* 40. *ad plebem*: 52. *ad Antonianum*: 55. *ad Cornelium Papam &c.*

S. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS *Catecheſi* 18.

S OPTATUS MILLEVITANUS in *Libris de ſchiſmate Donatiſtarum contra Parmenianum.*

S. PACIANUS *Epiſtolis tribus ad Sympronianum Novatianum.*

S. CHRYSOSTOMUS *Homilia* 7. *ex ineditis, Tomo XII. Montfauconi*, de propagatione Eccleſiæ.

Demonſtratione, quod Chriſtus ſit Deus, de ejusdem propagatione, firmitate, triumphis.

Homilia cum de expulſione ipſius ageretur, de Eccleſiæ firmitate.

Homilia in inſcriptionem Actorum, de eadem.

Homilia 11. *in ad Epheſios*, de ſchiſmate.

S. HIERONYMUS *Dialogo adverſus Luciferianos.* Plures ex eo locos dat Cornelius Schultingus in *Confeſſione Hieronymiana.*

S. AUGUSTINUS, *præter Librum jam laudatum de unitate Eccleſiæ contra Petiliani Epiſtolam, Libro contra Epiſtolam Manichæi*, quæ vocatur *Fundamenti.*

S. AUGUSTINUS, *Libris variis contra Donatiſtas.*
Epiſtolis pluribus contra eosdem, uti 43. *alias* 162. *ad Glorium &c.* 185 *alias* 50. *ad Bonifacium Comitem* 49. *alias* 161. *ad Honoratum:* 93. *alias* 48. *ad Vincentium Rogatianum.*
Libris contra Epiſtolam Parmeniani, de ſchiſmate.
Libro de vera Religione.
Libro de moribus Eccleſiæ catholicæ.
Libro de utilitate credendi.
Libris 11. *&* 13. *contra Fauſtum,* de auctoritate Eccleſiæ in ſcriptura dijudicanda.
Expoſitione pſalmi 147.
Tractatu 45. *in Joannem.*
Sermone 267. *novo, alias* 186. *de Tempore.*

Plurimos ejusdem locos collegit Laurentius noſter Alticotius in *ſumma Auguſtiniana Parte III. Quæſtione* 1.

S. ISIDORUS PELUSIOTA *Libro I. epiſtola* 311. & *Libro III. epiſtola* 5.

S. VINCENTIUS *Lirinenſis in Commonitorio.*

S. CYRILLUS ALEXANDRINUS *Libro* 11. *in Joannem,* de unione noſtra in Eccleſia.

S. LEO *Epiſtola* 84. *nunc* 14. *ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem,* de vinculo unitatis Eccleſiaſticæ.

SALVIANUS ſæpiſſime, tam in *Libris de Gubernatione,* quam in *Libris adverſus Avaritiam* de corruptis in Eccleſia moribus.

S. GREGORIUS M. *in Expoſitione primorum capitum Libri I. Regum.*

S. ISIDORUS HISPALENSIS *Libro I. ſententiarum cap.* 16.

S. BRUNO

S. Bruno *Libro de laudibus Eccleſiæ:* & *Libro de Ornamentis Eccleſiæ.*

Hugo Victorinus *Tractatu de unitate Eccleſiæ.*

S. Bernardus *Sermone* 33. *in Cantica,* de perverſitate morum in ſui temporis Eccleſia.

Idem multa dat de unitate & regimine Eccleſiæ *in Epiſtolis* ſuper cauſa ſchiſmatis perſcriptis.

Adde Titulos: *Fides, Deus, Summus Pontifex, Hæretici, Concilia &c.*

TITULUS XVII.

De *Eleemoſyna* &c.

CAPUT I.

Loci.

Negotiatio eſt, aliquid amittere, ut majora lucreris. Tertullianus *Libro ad Martyras cap.* 2. *in ſimili cauſa.*

Putas, quia, qui Chriſtum paſcit, a Chriſto ipſo non paſcitur; aut eis terrena deerunt, quibus cœleſtia & divina tribuuntur? S. Cyprianus *de opere & eleemoſyna.*

Magna quæris, & parva non communicas? S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catecheſi* 3.

Da exiguum ei, a quo multum habes. Da etiam omnia ei, qui omnia donavit. Nunquam Dei munificentiam vinces, etiamſi omnia tua bona projicias, etiamſi te ipſis bonis tuis adjungas. Nam hoc quoque ipſum accipere eſt, nempe Deo donari. S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 16. *de pauperum amore.*

Multo ſatius eſt, ob eos qui digni ſunt, indignis quoque largiri, quam dum metuimus, ne de

indignis bene mereamur, dignos etiam beneficio fraudare. *Idem Oratione* 19. *quæ eſt in laudem Patris.*

Cave ne capiat alius theſaurum tibi repoſitum. Studium promerendi de propinquis * tibi ab alio præripi ne permittas. Calamitate affectum ut aurum amplectere. Infirmam pauperis valetudinem ita fove, ut in ea & ſanitatem tuam, & ſalutem totius familiæ poſitam putes. Nam cum omnes pauperes adjurandi ſunt, tum illi qui ægrotant, præcipue ſunt complectendi. Qui enim egens, & æger eſt, duplici laborat paupertate. S. Gregorius Nyssenus *Oratione* I. *de pauperibus amandis &c. quæ, quod ſciam, tantum latine extat.*

Undique expulſi confluunt unum in locum, & proprium quemdam populum conficiunt. Vides homines injucundos, flebilem, triſtemque chorum, efficientes. Et vero ut ipſis ſeſe quodammodo jactitant calamitatibus ut in ſe ipſis naturam oſtentant deturpatam! ut varios eo commeantibus morbos velut præſtigiatores quidam exhibent! Elegorum, triſtiumque narrationum artifices, modulatores lamentorum, actores novæ hujus, miſeræque tragœdiæ, in qua non ex alienis, ſed ex propriis calamitatibus exempla ſummunt ad permovendos animos, atque ita ſibi audientiam faciunt. O quæ figuræ bone Deus! quæ narrationes! quomodo ab illis, qui ipſos procrearunt, nulla ſua culpa rejecti ſunt! quomodo expelluntur e civitatibus! quomodo ex colloquiis communibus, ex publicis, feſtiſque conventibus extruduntur! tamquam homicidæ, tanquam parricidæ, exilio perpetuo mulctati, imo quam illis longe infeliciores; ſiquidem homicidis ſolum vertentibus licet

* Id eſt *proximis.*

licet alibi cum hominibus vivere; at iſti omnium ſoli tanquam communes declarati hoſtes undique canum inſtar exturbantur. Quid quod eodem tecto, eadem menſa, eodem vaſorum uſu judicantur indigni? quid quod quaſi hæc ſatis gravia non ſint, arcentur a fontibus, qui reliquis hominibus ſunt communes? ipſa quin etiam flumina creduntur ipſorum ægritudine coinquinari? ſi lingua cruenta canis aquam lamberit, non eam idcirco reſpuunt homines: at ſi ad illam æger acceſſerit, continuo propter hominem ipſa quoque aqua deteſtabilis prædicatur. Hæc enarrant, hæc deplorant, ob hæc neceſſario ſe ad hominum pedes abjiciunt miſeri, & omnibus occurrentibus ſupplicant. Sæpe triſti ſpectaculo illachrymavi: ſæpe de natura conqueſtus ſum, & ea me recordatio, memoriaque nunc etiam movet, atque perturbat. Vidi ægritudinem miſerandam, vidi ſpectaculum plenum lachrymarum, juxta vias celebres, & a prætereuntibus frequentatas jacent homines, imo ne homines quidem; ſed infelices hominum reliquiæ, ſignis & indiciis aliquibus indigentes, ut ſe homines eſſe fidem faciant. Neque enim ex naturæ notis quidquam eſt reliquum, ut agnoſci poſſint. Hi ſoli ex omnibus ſe ipſos oderunt: ſoli diem ſuum natalem execrantur. Ac jure quidem deteſtantur illum diem, qui talis vitæ principium fuit; homines qui ſe communi appellatione nominare erubeſcunt, ne ea ipſa nominis communione naturam communem dedecorent. Semper in miſeriis vitam degunt, perpetuam luctus materiam habent. Quamdiu enim ſe ipſos aſpiciunt, tamdiu lugendi habent occaſionem. Dubitant autem quas magis deplorent corporis partes; easne, quæ non adſunt amplius, an illas, quæ ſuperſunt, quas morbus abſumpſit: an quæ morbo relictæ ſunt abſumendæ; dolendumne magis ſit, quod in ſe ipſis eas miſe-

rias cernant, an quod eas, adempta etiam morbo videndi facultate, intueri non poſſint: quod talia de ſe narrare queant, an quod ſibi ab ipſo morbo erepta etiam voce ne illa quidem valeant explicare: quod tali veſcantur cibo, an quod ne illo quidem commode veſci poſſint, impedita propter oris corruptas a morbi particulis edendi poteſtate: quod ſentiendo ea, quæ mortuorum ſunt propria perpetiantur, an quod ipſis etiam ſenſibus ſpoliati ſint. Ubi enim illis aut videndi, aut odorandi, aut tangendi vis? ubi reliquorum ſenſuum ſedes, quas paulatim depaſcente morbo ulcus arrodit? Per omnia igitur vagantur loca ad uberiorem paſtum, ut animalia rationis expertia, identidem ſe transferentes. Quæſtus cibique parandi inſtrumenta calamitatem circumferunt, & ſupplicationis loco omnibus morbum oſtendunt. Equidem ægritudinis cauſa egent miniſtris, a quibus manuducantur; verum ob inopiam ſeſe viciſſim (ipſimet) ſuſtentant. Sic enim alter alterius utitur membris pro iis, quæ ſibi deſunt; ut qui per ſe ſinguli ſunt imbecilli, mutua illa acceſſione fulciantur. Atque ita in hominum conſpectum ſingulatim non veniunt; verum (adeo ad parandum victum ingenioſos quoque, & ſolertes egeſtas facit) univerſi interque ſe congregati conſpici volunt. Inde fit, ut cum ſinguli miſerabiles ſint, hominibus ita conjuncti magis miſerandi, atque una juvandi videantur. Aliquid enim quisque in commune confert: & alius ex alia calamitate miſericordiam comparat. Hic prætendit mutilatas manus: ille tumidum ventrem oſtendit: alius dilaniatam faciem, crus putreſcens alius: qua denique quisque ægrotat corporis parte, eam denudat, & ſuam miſeriam oſtentat. Quid ergo faciendum eſt nobis, ut nihil in naturæ legem peccaſſe videamur? Satisne ſit eorum affectiones deplorare, & oratione morbum extollere, atque

ipſa

ipſa commemoratione commoveri: an neceſſe eſt, ut facto etiam aliquo miſericordiam, & benevolentiam erga illos noſtram declaremus? Sic eſt profecto. Nam quæ proportio eſt inter res veras, & pictura adumbratas, eandem obtinent verba, ſi ab operibus ſejungantur. Non enim in verbis ſalutem conſiſtere dicit Dominus, ſed in ſalutis operibus faciendis. *Idem oratione 2. de pauperibus, & beneficentia.*

Et quo ore, quæſo, qua impudentia panem de cœlo * accipientes nos panem de terra non damus fratribus? *Creditus* AMBROSIUS *Sermone 64. in Dominicam VIII. poſt Pentecoſten, circa medium; nunc omiſſus eſt.*

Panem poſtulat homo: & equus tuus aurum ſub dentibus mandit! *Verus* AMBROSIUS *Libro de Nabuth cap.* 13.

Ne quis a collatione miniſterii paupertatis pudore revocetur. Nec ſibi divites blandiantur, quod plus videantur conferre, quam pauperes. Uberior eſt enim nummus e parvo, quam theſaurus e maximo; quia non quantum detur; ſed quantum reſideat, expenditur. Nemo plus tribuit quam qui nihil ſibi relinquit. Quid tu dives egeni comparatione te jactas: & cum tota onereris auro, pretioſam per humum trahens veſtem, quaſi inferior tuis & parva divitiis honorari deſideras quia inopiam collatione viciſti? Et flumina ſuperfluunt cum redundant; gratior tamen hauſtus e rivulo eſt. Spumant & muſta dum fervent, nec damnum putat Agricola quod defluxerit. Non ergo quod faſtidio exſpuas, ſed quantum devotione conferas æſtimandum eſt. *Idem Libro de Viduis, ante medium.*

* *Euchariſtiam.*

Ex CHRYSOSTOMO, *qui totus eſt in iſto argumento, locos plures alias dedi; in ſpeciminibus ſcilicet. Unum, eumque breviſſimum, quem præ oculis habeo, non omittam:* Ne recondita quidem nobis attingere audemus, innumeras videntes animas everſas. Rodat enim, inquit ille, tinea, & non rodat pauper: edat vermis, & non induatur nudus. Omnia conſumantur tempore, & non alatur Chriſtus, dum eſurit. Ecquis hoc dicit, inquies? hoc enim grave admodum eſt, quod non verbis, ſed factis hæc dicantur. Nam minus grave eſſet, ſi verbis diceretur, quam cum reipſa efficitur. *Homilia* 21. *in I. ad Corinthios.*

Ex eo tempore, quo Virginitati perpetuæ conſecrata es, tua non tua ſunt; imo vero tua; quia Chriſti eſſe cæperunt. S. HIERONYMUS *Epiſtola* 130. *alias* 8. *ad Demetriadem.*

Optimus diſpenſator eſt, qui ſibi nihil reſervat. *Idem Epiſtola* 52. *alias* 2. *ad Nepotianum, prope finem.*

Da, quod non potes retinere; ut accipias, quod non poteris amittere. S. AUGUSTINUS *Concione* 3. *in pſalmum* 36.

Attende, quid faciat fœnerator. Minus vult dare certe, & plus accipere. Hoc fac et & tu. Da modica; accipe magna. Vide quam late creſcat fœnus tuum! da temporalia; accipe æterna: da terram; accipe cœlum. *Idem ibidem.*

Habet ſemper unde det, cui plenum pectus eſt charitatis. *Idem Concione* 2. *in pſalmum eundem.*

Da pauperi, ut des tibi; quia quidquid pauperi dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter. S. CHRYSOLOGUS *Sermone* 8.

Cum

---

* Hoc ipſum perpulchre urget Chryſoſtomus *Homilia* 2. *alias* 9. *de Pœnitentia.*

Cum quælibet neceſſaria indigentibus miniſtramus, ſua illis reddimus, non noſtra largimur. Juſtitiæ debitum potius ſolvimus, quam miſericordiæ opus implemus. S. GREGORIUS M. *Paſtoralis curæ Parte III. admonitione* 22.

Ecce importune ſe pauperes offerunt. Rogant nos, qui tunc pro nobis interceſſores venient. Certe nos omnino rogare debuimus; ſed tamen rogamur. Videte ſi negare debemus quod petimur; quando patroni ſunt qui petunt. *Idem Homilia* 40. *in Evangelia verſus finem.*

CAPUT II.

Fontes.

S. CYPRIANUS *Libro de Opere & Eleemoſyna.*

LACTANTIUS *Libro VI. divinarum Inſtitutionum, fuſe.* Item *Epitomes cap.* 5.

S. BASILIUS M. *Homilia* 6. *in:* Deſtruam horrea mea &c.: *Homilia* 7. *in Divites:* Et *Homilia* 8. *in famem, & ſiccitatem.*

S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione* 16. *de pauperum amore.*

S. GREGORIUS NYSSENUS *Orationibus duabus, nomen ſimile præferentibus. & jam ante laudatis:* atque etiam *Oratione* 5. *de Beatitudinibus.*

S. AMBROSIUS *Libro I. de Officiis, capitibus* 11. 30. 31. & *Libro II cap.* 15. 16. 21. * 25. 28. 29. & *Libro III. capitibus* 6. & 7. Adde *Librum de Viduis.* & *Sermonem ſuppoſitum ſupra dictum.*

S. GAUDENTIUS *Tractatu, ſive Sermone* 13.

S. CHRYSOSTOMUS *Homilia de Eleemoſyna, Tomo III. Montfauconi.*

* Probe autem hoc caput notandum, quo prohibet, ne valentibus & otioſis eleemoſynam largiamur.

S. CHRYSOSTOMUS *Homilia in illud:* oportet & hæreſes eſſe, *eodem Tomio.*

Homiliis tribus aliis, quæ proxime ſequuntur in illud Apoſtoli: Habentes eundem ſpiritum.

Homilia, ne ſcrutemur pauperes curioſe.

Homilia 2. *de Lazaro,* ubi docet, etiam improbo, cum egeret, non negandam ſtipem.

Homiliis 3. *&* 7. *hodierna de pœnitentia.*

Homilia 35. *in Geneſin.*

Homiliis 17. 24. 36. 67. 78. 89. *in Matthæum.*

Homiliis 7. 11. 14. 15. 21. *in ad Romanos.*

Homilia in illud: Salutate Priſcillam, *in mendicos otioſos.*

Homiliis 10. 11. 21. 30. *in I. ad Corinthios,* quas inter præcipue notanda eſt 21.

Homiliis 16. 19. *&* 20. *in II. ad Corinthios.*

Homilia 1. *in ad Philippenſes.*

Homilia 6. *in II. ad Timotheum.*

Homilia 11. *&* 32. *in ad Hebræos &c. &c.* quæ ſane univerſa infinitum foret hic recenſere. Certe, quod non ſemel dicebam amicis, hic palam omnibus affirmo: Si ſola illa, quæ vir ſanctus de danda Eleemoſyna, & contemptu divitiarum conſcripſit, ſimul & in unum ederentur, Tomos duos formæ maximæ nullo negotio implerent.

S. HIERONYMUS *Epiſtola* 66. *alias* 26. *ad Pammachium: Epiſtola* 77. *alias* 30. *ad Oceanum: Epiſtola* 118. *alias* 34. *ad Julianum &c.*

S. ISIDORUS PELUSIOTA *Libro II. epiſtola* 214.

S. AUGUSTINUS præter *laudatam Concionem in pſalmum* 36. videri poteſt.

S. AUGU-

S. AUGUSTINUS *in pſalmum* 146: *in pſalmum* 147. atque etiam in alios pſalmos quam ſæpiſſime.

Homilia 47. *ex* 50. *nunc Sermone* 310. *in Appendice.*

Sermone 50. *alias* 15. *de diverſis,* & *homilia* 30. *ex* 50.

Sermone 61. *alias* 5. *de Verbis Domini.*

Sermone 113. *alias* 35. *de iisdem verbis Domini,* ubi agit de eleemoſynis ex alieno.

Sermone 178. *alias* 19. *de verbis Apoſtoli.*

In Enchiridio a capite 69. *fuſius.*

Libro XXI. de Civitate cap. 27. ubi late in eos, qui putant peccata, cum facimus Eleemoſynam, nihil obeſſe.

Adde *Sermones aliquot ad finem Appendicis novæ;* quorum aliqui ſunt S. Cæſarii, aliqui incerti auctoris.

S. PAULINUS *Sermone de Gazophylacio:* Et *Epiſtola olim & nunc* 33. *ad Alethium.*

S. NILUS *de virtutibus excolendis capite* 4.

S. CHRYSOLOGUS *Sermone* 14.

S. LEO *Sermonibus de Collectis:* & *de Jejunio decimi menſis.*

SALVIANUS *Libris quatuor ad Eccleſiam catholicam, adverſus avaritiam.*

S. LAURENTIUS *Novarienſis homiliis duabus de pœnitentia, & Eleemoſyna.*

S. GREGORIUS M. *Curæ Paſtoralis Parte III. capitibus* 21. *&* 22.: *Libro XIX. Moralium cap.* 23. & *Libro XXI. Moralium capitibus pluribus.* Idem *Homilia* 14. *in Evangelia, initio,* obiter, ſed pulchre pro eleemoſynis Clericorum.

S. ISIDORUS HISPALENSIS *ad finem Libri II. Synonimorum,* & *Libro III. capite* 60. *ſententiarum.*

S. JOAN-

S. JOANNES DAMASCENUS *Libro II. Parallelorum*, *capitibus* 16. *&* 17. *nunc Titulis VIII. & IX. Litera ε.*

INNOCENTIUS III. PAPA *Libello de Eleemoſyna.*

Sed quod præcipua objectatio, quæ fit contra Eleemoſynam, eſt amor liberorum atque cognatorum, egregie illum eximunt *Cyprianus opere laudato*: *Baſilius homilia 6. in illud*: Deſtruam horrea; & *homilia 7. in divites*; & *homilia illa dicta in Lacizis*: *Chryſoſtomus homilia 7. in ad Romanos*; *homilia* 10. *in I. ad Theſſalonicenſes*; *Homilia 9. de Pœnitentia &c.* *Auguſtinus de decem chordis*; *de diſciplina chriſtiana cap. 8.*; *Ennarratione in pſalmum 38. & alias ſæpe. Salvianus in Libris ad Eccleſiam catholicam, fuſiſſime*: *S. Joannes Damaſcenus Parallelorum Titulo IX. jam citato.*

Porro ſententias de Eleemoſyna quam plurimas collegit Julius Fulcus, quæ ſunt editæ *Romæ* 1558.; ſed, ut candide dicam, labore majori quam delectu.

Accedunt Tituli: *Amor Proximi, Miſericordia, Recta Intentio*, & ſimiles.

TITULUS XVIII.

De *Feſtis* *Diebus.*

CAPUT I.

Loci.

Dominica dies regina, & maxima omnium dierum . . . . . in qua & vita noſtra exorta eſt, & in Chriſto mors eſt devicta. S. IGNATIUS *Martyr Epiſtola ad Magneſianos*, *numero* 9.

Malorum morum licentia pietas erit? occaſio luxuriæ religio deputabitur? TERTULLIANUS *Apologetici*

logetici cap. 35. Loquitur autem de Feſtis gentilium; ubi & alia huc faciunt, negotio nullo feſtis noſtris accommodanda.

Non profanus melius eſſet quam ſic religioſus? aut quomodo Deum violat qui hoc modo placat? MINUTIUS FELIX *in Octavio poſt medium.*

Qui Dominum verentur, Dominicam diem præſtolantur ut Deo preces adhibeant: & corpore & ſanguine Domini recreentur. Inertes vero & ſocordes Dominicum diem expectant, ut ab opere feriati vitiis dent operam. Quod autem non mentiar, res ipſæ faciunt fidem. Alio die in plateam prodi, & neminem reperias; die Dominico egredere, atque alios cythara canentes, alios applaudentes, ſaltantesque, & ſedentes alios & proximos dicteriis inſectantes, alios denique luctantes invenias. Præco ad Eccleſiam vocat? omnes torpeſcunt, & moras nectunt. Cythara, aut tuba perſonuit? tum omnes tanquam alis inſtructi currunt. EUSEBIUS (quem ego *Emeſenum* puto) *apud S. Damaſcenum Libro III. Parallelorum cap.* 47.

Intus ſacerdos Deo ſupplices pro mundi ſalute preces offert; & foris ludi celebrantur! Sic nimirum Iſraëlitæ quoque ludebant, tumque eos exitium invaſit. Moſes enim in monte pro ipſis Deo ſupplicabat; plebs interim, poſteaquam cibo, & mero operam dedit, ad ludendum ſurrexit, eoque nomine divina ira in eos ruente uno die viginti quatuor millia procubuerunt. *Idem* EUSEBIUS *apud eundem ibidem Titulo IV. litera* λ alias *Libro II. cap.* 83.

O ſtultitiam hominum, qui ebrietatem ſacrificium putant! qui æſtimant illos ebrietate placari, qui paſſionem jejunio ſuſtinere didicerunt! S. AMBROSIUS *Libro de Elia & jejunio cap.* 17. de comeſſantibus in feſtis *Martyrum.*

Hæc

Hæc dico fratres de iis, qui feſtiviſſima die ne in Eccleſiam procurrerent, patrimoniorum ſuorum compedibus ſunt detenti, & terreno quodam obligati ſunt vinculo, ut venire eis ad domum Domini non liceret. Non quod eos quidpiam detineat; ſed quod ita propriis ſunt actibus implicati, ut jam arbitrium vivendi ſua poteſtate amiſerint; & dum ſolicitudinem patrimoniis exhibent, animarum medicinam penitus non requirant. Quid mihi o dives! difficultatem temporis objicis? quid neceſſitatem ingeris repentinam? Si cor habes, intellige, quia omni neceſſitate major neceſſitas eſt ſalutis: & utilior eſt cauſa prius curare vitam, tunc peculii damna ſarcire; ne dum augmentum patrimoniis quærimus, ſentiamus animæ detrimentum . . . Conſidera itaque judicii imminentem diem, & inextinguibiles gehennæ flammas, ſtridorem horrendum dentium, tenebrarum ultimum cruciatum; &, ſi potes, relicta Eccleſia ſæcularibus ſolicitudinibus implicare! Vereor enim, ne dum mundi divitias quæritis, inveniatis potius divitias peccatorum, & repertis theſauris ſæculi cœleſtes theſauros amittatis. *Creditus* Ambrosius *Sermone in Dominica XIV. poſt Pentecoſten, hodie* 39.

Accepiſti ſabbathum ut animam tuam liberares a vitiis; tu vero tum magis illa committis. S Chrysostomus *homilia* 1. *de Lazaro, circa medium.*

Centum ſexaginta octo horas habente hebdomade, unam & ſolam horam ſibi ipſe ſegregavit Deus: & hanc in opera ſæcularia, & in ridicula, & in vana colloquia inſumis? *Idem homilia nunc* 9. *de Pœnitentia.*

Obſerva diem Sabbathi non carnaliter, non judaicis deliciis, qui otio abutuntur ad nequitiam (melius enim utique tota die foderent quam tota die ſaltarent) ſed tu cogitans requiem in Deo tuo; & propter ipſam requiem omnia faciens, abſtine ab opere ſervili.

ſervili. Omnis enim qui facit peccatum ſervus eſt: & utinam hominis, non pecccati! S. AUGUSTINUS *Concione* 1. *in pſalmum* 32. *circa medium.*

Quæ ſunt ſacrilegia, ſi iſta ſunt ſacra? *Idem de Feſtis gentilium loquens Libro II. de Civitate Dei cap.* 4.

Diabolus numeroſa genuit, & perniciosa portenta, ut ridiculum de religione captaret, in ſacrilegium verteret ſanctitatem, de honore Dei Deo pararet injuriam. S. CHRYSOLOGUS *Sermone* 155.

Si quando evenerit, quod ſcilicet ſæpe evenit, ut eodem die & Feſtivitas eccleſiaſtica, & ludi publici agantur: quæro ab omnium conſcientia, quis locus majores Chriſtianorum virorum copias habeat; caveane ludi publici, an atrium templi: & templum omnes magis ſectentur, an theatrum: dicta evangeliorum magis diligant an thymelicorum; verba vitæ, an verba mortis: verba Chriſti, an verba mimi? Non eſt dubium quin illud magis amemus, quod anteponimus. SALVIANUS *Libro VI. de gubernatione Dei, propius initium.*

Dum in ipſa Eccleſia ſunt, ſi ludos agi audiunt, Eccleſiam derelinquunt. Spernitur Dei templum, ut concurratur ad theatrum. Eccleſia vacuatur, circus impletur. *Idem ibidem.*

Curate qui his ſolennitatibus intereſtis, ne ab æterna ſolennitate ſeparemini. Quid prodeſt intereſſe feſtis hominum, ſi deeſſe contingat feſtis angelorum? Umbra futuræ ſolennitatis eſt ſolennitas præſens; idcirco hanc agimus, ut ad illam, quæ non eſt annua ſed continua, perducamur. Cum hæc ſtatuto tempore geritur, ad illius deſiderium memoria noſtra refricatur. Frequentatione ergo gaudii temporalis ad æterna gaudia mens incaleſcat, & ferveat, ut ex veritate lætitiæ perfruatur in patria, quod de umbra gaudii meditatur in via. S. GREGORIUS M. *homilia* 26. *in Evangelia.*

Inſi-

Inſidiante humani generis inimico quod ſtatutum fuerat ad Dei gloriam & noſtram ſalvationem, jam utique converſum eſt ad Dei ignominiam & noſtram damnationem. S. Bernardinus Senensis *Tomo II. Sermone* 10. *initio.*

CAPUT II.

Fontes.

Philo *Hebræus de Septenario & Feſtis.*

Clemens Alexandrinus *Libro III. Pædagogi cap.* 11. quam profanos ſe multi præbeant diebus feſtis.

Origenes *homilia* 23. *in Numeros.*

S. Athanasius, aut quisquis eſt auctor egregius, *de Sabbathis, & Circumciſione ex Libro Exodi Tomo II. novo pagina* 55. Agit autem de fine Sabbathi. Idem, ut putabatur, *homilia de ſemente* de vana obſervatione Sabbathi alia ſuppeditat.

S. Ephræm *de feſtis diebus Tomo III. novo græco-latino.* Et *ibidem, quod ludicris rebus abſtinendum ſit Chriſtianis, & de pauperum amore.* Idem *Sermone in pretioſam & vivificam crucem &c. Tomo II. novo græco-latino.* Denique *Sermone, quomodo convertatur quis retrorſum &c. Tomo III. itidem novo a pag.* 381. Hic tam argumento, quam rebus ipſis convenit cum ſuperiore: *Quod ludicris rebus &c.*

S. Basilius M. *homilia* 14. *in Ebrioſos.* Et *Epiſtola* 42. *ad Chilonem alias primo loco, atque etiam ſeorſim poni ſolita.*

S. Gregorius Nazianzenus *Orationibus* 4. 6. 38. 44. Lege etiam, quæ interpretes illius Elias & Nicetas addunt.

S. Chrysostomus *Homilia nova in eos, qui relicta Eccleſia ad Circenſes & Theatra currunt.*

S. Chry-

S. Chrysostomus *Homilia de baptiſmo Chriſti.* Fuſus enim, & palmaris locus eſt adverſum eos, qui ne feſtos quidem dies ad cultum Dei, & curam animæ impendunt.
Oratione in S. Julianum.
Homilia de B. Philogonio.
Homilia de conſubſtantiali.
Sermonibus 4. & 5. de Anna.
Homilia 27. in I. ad Corinthios.
Sermone 8. ex adſcriptis illi de Reſurrectione.

S. Hieronymus *Libro XXVI. in Eſaiam, cap.* 58.

S. Augustinus *Epiſtolis 22. alias 64. ad Aurelium, & 29. nova ad Alipium,* de abuſu commeſſationum diebus ſacris. Ultimam nuper repertam dedi in Diſſertatione de eloquentia S. Auguſtini. Adde *Librum X. de Civitate, capitibus* 4. 5. 6. de cultu & ſacrificio, quem ſolemus his diebus vero Deo exhibere. Idem *Libro IV. de Geneſi ad literam, fuſe* de origine Sabbathi *a capite* 8.

S. Chrysologus *Sermone* 127. *ad finem* de abuſibus cavendis in celebratione feſtorum.

S. Eucherius, *ſeu* Eusebius Gallicanus *homiliis de S. Geneſio, & de SS. Epipodio & Alexandro,* de ratione vera celebrandi dies feſtos.

S. Cyrillus Alexandrinus *in homiliis de feſtis Paſchalibus, præſertim* 5.

S. Leo *Sermone* 3. *de Quadrageſima.*

Salvianus *Libro citato.*

S. Joannes Damascenus *Parallelorum Titulo IV. Litera* λ. jam ſupra dato. Item *Titulo III. Litera* μ, *de Pœnitentia & Confeſſione*, ne quis conſcientia culparum ſe ſinat retrahi a cætu fidelium adeundo. Eſt, ni fallor, ex una homiliarum Chryſoſtomi *de Pœnitentia.*

THEOPHYLACTUS *in fragmento de riſu*, *cantilenis ac vociferationibus in feſtis majoribus.* Forte integratum eſt in noviſſima illius Editione, quæ nunc quidem mihi non eſt ad manus.

S. PETRUS DAMIANI *Libro VI. epiſtola* 16.

HUGO A S. VICTORE, ſi tamen ipſe ſit auctor, *Miſcellaneorum Libro I. Titulo* 93.

S. BERNARDUS *Epiſtola* 174. contra novas feſtivitates. *Sermone I. in die ſancto Paſchæ, ad finem*, de injuriis majorum ſolennitatum.

S. BERNARDINUS SENENSIS *Sermone jam laudato, fuſiſſime.*

TITULUS XIX.

De *Fide*, & Religione.

CAPUT I.

Loci.

EO' magis credendum, ſi, quia mirandum eſt, ideo non creditur. Qualia enim decet eſſe opera divina, niſi ſuper omnem admirationem? TERTULLIANUS *Libro de Baptiſmo cap.* 2.

Nec ignoro pleroſque conſcientia meritorum nihil ſe eſſe poſt mortem magis optare quam credere. Malunt enim extingui penitus quam ad ſupplicia reſtaurari. MINUTIUS FELIX *in Octavio, verſus finem.*

Si me ipſum neſcio, ſi animæ meæ ſubſtantiam & naturam ignoro: ſi eorum quæ intra me ſunt rationem non intelligo: qua audacia ſupra me erigam oculos, ut videam principium ſine principio & finem ſine fine attingam? A talibus auſibus deſiſtendum excellentia majeſtatis imperat, & ipſa impo-

impoſſibilitas omnes ingenii conatus repellit. Ea igitur quæ licita ſunt, & conceſſa tangamus. *Creditus* CYPRIANUS *Præfatione de cardinalibus Chriſti operibus.*

Nonne purior ratio eſt ex duobus incertis & in ambigua expectatione pendentibus id potius credere, quod aliquas ſpes ferat, quam omnino quod nullas. In illo enim periculi nihil eſt ſi quod dicitur imminere caſſum fiat, & vacuum; in hoc damnum eſt maximum, id eſt ſalutis amiſſio ſi cum tempus advenerit, aperiatur hoc fuiſſe mendacium. Quid dicitis o neſcii! etiam fletu & miſeratione digniſſimi! Ita non extimeſcitis ne forte hæc vera ſint, quæ ſunt deſpectui vobis, & præbent materiam riſus? Nec ſaltem vobiscum ſubobſcuris cogitationibus volvitis ne quod hoc die credere obſtinata renuitis perverſitate, redarguat ſerum tempus & irrevocabilis pœnitentia caſtiget? ARNOBIUS *Libro II. adverſus gentes, initio.*

Si credis, cur ergo rationem requiris, quæ poteſt efficere ut non credas? Si vero rationem requiris & quærendam putas, ergo non credis. Ideo enim quæris ut eam ſequaris, cum inveneris. LACTANTIUS *Libro II. divinarum inſtitutionum cap. 6.*

Idem de Spiritibus noſtris fortibus, ut dicunt: Quod ſi aſino, aut cani, aut ſui facultas loquendi tribuatur . . . quid aliud reſpondebunt? . . . . Ab his ergo ſapere diſcere, quos a pecudibus, ac belluis non ſententia, ſed lingua diſcernit? *Libro III. earundem inſtitutionum cap. 8. Et iterum:* Quæſo quis illa vidit unquam? quis ſenſit? quis audivit? an ſolus Leucippus oculos habuerit? ſolus mentem? Qui profecto ſolus omnium cæcus & excors fuit qui ea loqueretur quæ nec æger quisquam delirare, ne dormiens poſſit ſomniare? *Idem Libro de Ira Dei cap. 10. Rurſum ad eorum ora obſtruenda pari contemptu ita reſpondet:* Quanto melius

lius fuerat tacere quam in uſus tam miſerabiles tam inanes habere linguam? Et quidem vereor, ne non minus delirare videatur qui hæc putet refellenda. *Idem eodem libro & capite.*

Hoc ſaltem requiro: Sentisne te genitum, & quæ ex te generantur intelligis? Non quæro ſenſum unde hauſeris, vitam unde ſortitus ſis, intelligentiam unde adeptus ſis: quale ſit, quod in te eſt, odor, viſus, ſenſus, auditus? Certe nemo quod facit neſcit. Quæro unde iſta iis quos generes indulgeas? qualiter ſenſum inſeras? oculos accendas? cor affigas? Hæc ſi potes enarra! Habes ergo quæ neſcis & tribuis quæ non intelligis; æquanimiter imperitus in tuis, inſolenter in Dei rebus ignarus. S. Hilarius Pictaviensis *Libro* 2. *de Trinitate, propius initium.*

Dum plures fiunt fides, ad id cœperunt ut nulla ſit. *Idem Libro contra Conſtantium Auguſtum.*

Nihil in divinis affectibus humanæ mentis opinione tractandum eſt, neque de creatore opificii ſui materia decernat. *Idem Libro III. de Trinitate.*

Contundendæ ſunt ergo inſolentes adverſum Deum diſputationes, & deſtruenda rationum fallacium munimenta, & elevata ad impietatem ingenia conterenda: nec carnalibus armis, ſed ſpiritualibus: nec terrena doctrina, ſed cœleſti ſapientia; ut quanta rerum divinarum humanarumque diſcretio eſt, tantum ultra terrena ſtudia ratio cœleſtis excedat. Ceſſet igitur ſolicitudo perfidiæ, neque negare nos, quia ipſa non intelligit exiſtimet, quod ſolum a nobis bene & intelligitur, & creditur. *Idem ejusdem operis Libro XII.*

Aufer hinc argumenta, ubi Fides quæritur! In ipſis gymnaſiis ſuis jam Dialectica taceat! Non quæro quid loquantur Philoſophi; requiro quid faciant. Soli in gymnaſiis remanſerunt. Vide quam fides

fides argumentis præponderet! Illi quotidie a ſuis conſortibus deſeruntur qui copioſe diſputant; ſti quotidie creſcunt qui ſimpliciter credunt. Non creditur Philoſophis; creditur Piſcatoribus; non creditur *Dialecticis, creditur* Publicanis. S. AMBROSIUS *Libro I. de fide Gratianum Imperatorem cap.* 5.

An aſſerentis perſona diſcutitur? Deus eſt. Si Deo non creditur, cui credemus? *Idem Libro IV. in Lucam ad caput* 5. *Et alio modo:* Quam indignum, ut humanis teſtimoniis de alio credamus; Dei oraculis de ſe non credamus? *Idem Libro de Abraham cap.* 15.

O Miraculum! ſervi vincti ſunt, Dominus crucifixus; & prædicatio quotidie creſcit: & per quæ putabatur opera prohiberi, per hæc accenſa eſt: & crux & vincula, quæ eſſe videbantur abominatio, nunc ſalutis ſigna ſunt facta: & quolibet auro ferrum illud nobis pretioſius. S. CHRYSOSTOMUS *Homila* 16. *ad populum.*

Non humanæ mentis (eſt) quærere; ſed credere tantum oportet: neque dictum illud ſcrutari, cujus ſufficiens ſit demonſtratio dicentis potentia. *Idem Homilia* 6. *in Joannem.*

Auctoritati credere magnum compendium eſt, & nullus labor. S. AUGUSTINUS *Libro de quantitate animæ cap.* 7.

Compeſcat ſe humana temeritas; & id quod non eſt non inquirat, ne illud quod eſt non inveniat! *Idem Libro I. de Geneſi contra Manichæos cap.* 2.

Numquid ideo negandum eſt quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt quod occultum eſt? Numquid, inquam, dicturi ſumus quod ita eſſe perſpicimus, non eſſe; quia cur ita ſit non poſſumus invenire. *Idem libro de dono perſeverantiæ cap.* 14.

Hic ſi ratio quæritur, non erit mirabile: ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus Deum

aliquid poſſe, quod nos fatemur inveſtigare non poſſe. In talibus rebus tota ratio facti eſt, potentia facientis. *Idem Epiſtola* 137. *alias* 3 *ad Voluſianum cap.* 2. *Et brevius*: Deus eſt qui facit: & tu dicis: fieri non poteſt? paganus negare Chriſtum poteſt; negare omnipotentem Deum non poteſt. *Idem Sermone* 240. *alias* 139. *de Tempore.*

Hoc fides credat, intelligentia non requirat; ne aut non inventum putet incredibile, aut repertum non credat ſingulare. *Idem Libro contra Felicianum cap.* 8

Tria ſunt incredibilia, quæ tamen facta ſunt. Incredibile eſt Chriſtum reſurrexiſſe in carne, & in cœlum aſcendiſſe cum carne. Incredibile eſt mundum rem tam incredibilem credidiſſe. Incredibile eſt, homines ignobiles, infirmos, pauciſſimos, imperitos rem tam incredibilem tam efficaciter mundo & in illo etiam doctis perſuadere potuiſſe. Horum trium incredibilium primum nolunt iſti cum quibus agimus credere. Secundum coguntur & cernere; quod non inveniunt unde ſit factum, ſi non credunt tertium. *Idem Libro XXII. de civitate cap.* 5.

Quem non moveat ad credendum tantus ab initio ipſe rerum geſtarum ordo, & ipſa connexio temporum; præteritis fidem de præſentibus faciens, priora poſterioribus, & recentioribus antiqua confirmans? *Idem Epiſtola ad Voluſianum ſupra laudata, inferius.*

Sed jam pudet me iſta refellere, cum eos non puduerit iſta ſentire. Cum vero auſi ſint etiam defendere, non jam eorum, ſed ipſius generis humani me pudet, cujus aures hæc ferre potuerunt! *Idem Epiſtola* 118 *alias* 56. *ad Dioſcorum, verſus finem.*

Idem in pſalmum 58. *concione* 1. *de vana foritudine, qualem ſcilicet Libertini noſtri ſibi arrogant.* Fortitudo iſta non ſanitatis eſt, ſed inſaniæ. Nam & phre-

phreneticis nihil fortius. Valentiores ſunt ſanis. Sed quanto majores vires, tanto mors vicinior.

Ne minima quidem operum Dei aſſequi poteris ſine fide; dicente ſcriptura: *Omnia opera ejus in fide.* Sed tu hic totum vis de ratione conſtare, ub totum conſiſtit ex fide. Quod tamen non ſine ratione ſubſiſtit; ſed ratione Dei, non tua homo! Quid tam rationabile, niſi ut Deus quidquid voluerit poſſit? Qui quod vult non poteſt, Deus non eſt. S. Chrysologus *Sermone* 141.

Non ergo contra fidem tuam venias, nec dicas: quomodo hoc fieri potuit, qui te credere in omnipotentem prima confeſſione teſtatus es. In operibus Dei ſolicito quamlibet homini magis admiratio ſe poteſt offerre, quam ratio. Eusebius Gallicanus *in fragmenio homilia de Symbolo quod inſcribitur:* de B. Virginis conceptione.

Sed pulchrius *Homilia 2. de Symbolo* ad verba: *Credo & in filium &c.* Quando audis Deum ex homine natum eſſe, & majeſtatem ſub fragilitate latuiſſe: virginem prole ditatam, nec tamen virginitatem fuiſſe ſolutam; non ſe objiciat ſenſibus novitas operis, ſed virtus operantis: nec dicas, illud poſſibile eſt, illud fieri non poteſt; quia qui te magna credere juſſit omnipotens eſt.

Væ quibus hæc prius experienda ſunt quam credenda! *Idem Homilia I. ad Monachos.*

Si quid itaque in hac re per hominis opus actum eſt, humanas quære rationes: ſi autem totum quod actum eſt, Dei virtus eſt, quid impoſſibilitatem ſpectas humanam, ubi efficientiam vides eſſe divinam? S. Cassianus *Libro V. de Incarnatione Domini cap.* 1.

Quid mihi quærere, quomodo verum ſit, quod Deus dixerit; cum dubitare non debeam, quin verum ſit, quod Deus dixerit? *Idem Libro IV. cap.* 6.

Piſcatorum ſolœcismis diſſolutos fuiſſe Atticos ſyllogysmos ait Theodoretus *Libro ſeu Sermone* 5. *contra gentiles*, *ſive græcarum affectionum curatione.*

Sciendum nobis eſt, quod divina operatio ſi ratione comprehenditur, non eſt admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Sed hæc ipſa noſtri redemptoris opera, quæ ex ſemetipſis comprehendi nequaquam poſſunt, ex alia ejus operatione penſanda ſunt, ut rebus mirabilibus fidem præbeant facta mirabiliora. S. Gregorius M. *Homilia* 26. *in Evangelia. initio.*

Hinc eſt quod nonnulli inquieti ſpiritus, dum plus exquirunt contemplando quam capiunt, usque ad perverſa dogmata erumpunt: & dum vetitatis diſcipuli eſſe humiliter negligunt, magiſtri errorum fiunt. *Idem.*

Quid prodeſt ſi quis catholice credat, & gentiliter vivat? S. Petrus Damiani *Sermone de S. Eleucadia.*

Quid magis contra rationem quam ratione rationem conari tranſcendere? Et quid magis contra fidem quam credere nolle quidquid non poſſis ratione attingere? S. Bernardus *Epiſtola* 190. *ad Innocentium Papam.*

Utinam attenderent Judæi! utinam animadverterent Pagani, quanta conſcientiæ ſecuritate pro hac parte ad divinum judicium poterimus accedere! nonne cum omni confidentia Deo dicere poterimus: Domine ſi error eſt, a te ipſo decepti ſumus? Nam iſta in nobis tantis ſignis & prodigiis confirmata ſunt & talibus, quæ niſi per te fieri non poſſunt. Richardus a S. Victore *Libro I. de Trinitate cap.* 2.

Finio verbis ſapientiſſimi viri, qui etſi Patribus jungi minime poſſit, haud indignus eſt viſus Bourdalouæo, quem nullo diſcrimine inter Patres pro concione allegaret, Picum videlicet Mirandulanum, qui ſecun-

ſecunda Epiſtolarum ſuarum, ita pronuntiat: Magna inſania Evangelio non credere, cujus veritatem ſanguis Martyrum clamat, Apoſtolicæ reſonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, dæmones confitentur; ſed longe major inſania, ſi de veritate Evangelii non dubites, vivere tamen, quaſi de ejus falſitate non dubitares.

CAPUT II.

Fontes.

Præter eos, quos laudavi in Diſſertatione de ratione Patres legendi (ubi de *Operibus Dogmaticis adverſum infideles*) ſequentes etiam cupio commendatos.

Tertullianum *in Scorpiaco.* Item *in Libro de Idololatria capitibus* 14. 16. 17. Et *in Apologetico capitibus* 2. & 27. de profeſſione fidei non ſimulanda.

S. Cyprianum, qui & ipſe de hoc agit *Libro de lapſis*, & *Epiſtola* 56. Adde *Pontium Diaconum, ejus vitæ Scriptorem*, ubi de fuga ipſius.

S. Athanasium *in illud Matthæi* 11. *verſu* 17.: Omnia mihi tradita ſunt. *Item in Apologia de fide ſua &c.*

S. Hilarium Pictaviensem *in Libris de Trinitate*, ubi paſſim tuetur partes fidei contra rationem.

S. Basilium *Homilia* 15. *de fide*: & *Opuſculo de vera ac pia fide.*

S. Gregorium Nazianzenum *in Carminibus arcanis, præſertim* 4. Item *Carmine alio ad Nemeſium, quod eſt numero* 61. Idem *in Orationibus ſæpiſſime.*

S. Chrysostomum *Homilia de fide & lege naturæ.*

Homilia 6. *in Matthæum.*

S. Chryſostomum *Homiliis* 4. 5. 6. *&* 7. *in ad Romanos.*

Homilia 9. *in II. ad Corinthios.*

Homilia 7. *in I. ad Theſſalonicenſes &c.*

S. Gregorium Bæticum *Libello de fide adverſus Arianos* *.

S. Hieronymum, cujus locos quam plurimos collegit Schultingus *Tomo II. Confeſſionis Hieronymianæ cap.* 4. De fide profitenda legendus S. Doctor in ſcriptis *contra Ruffinum & Joannem Hieroſolymitanum.*

S. Augustinum *Libro de fide & ſymbolo.*

Libro de fide & operibus.

Enchiridio ad Laurentium de fide, ſpe & charitate.

Libro X. de Trinitate cap. 10. ubi ſtrangulat Idealiſtas, de rebus omnibus dubitantes.

Libro contra mendacium ad Conſentium cap. 2. de profitenda fide.

Citatis Epiſtolis 137. *alias* 3. *ad Voluſianum*, & 118. *alias* 56. *ad Dioſcorum.* Item 228. *alias* 180. *ad Honoratum.*

Enarratione in pſalmum 31. de operibus quæ fiunt extra fidem præclare.

Sermonibus 201. *alias* 31. *de Tempore:* 374. *alias* 67. *de diverſis &c. &c.*

S. Isidorum Pelusiotam *Libro IV. epiſtola* 28.

S. Cyrillum Alexandrinum *homilia* 11. *Paſchali*, quantum diverſitas religionum noceat reipublicæ.

S. Chrysologum *Sermone* 151. de fuga in perſecutione.

Euse-

* Quamquam in iſto & ſequentibus quibusdam vix ſiſtitur in Fide *generatim;* verum illico ad *Dogmata ſingularia* excurritur.

Euſebium Gallicanum *homilia 2. de S. Joanne Baptiſta*, in Judæos adventum Meſſiæ expectantes.

S. Proclum *Epiſtola de fide ad Armenos.*

S Cyrillum Alexandrinum *Libris tribus de recta fide ad Theodoſium & Reginas.*

Theodoretum *Libro I. adverſus gentiles, ſive de græcarum affectionum curatione*, qui & ipſo titulo de fide inſcribitur.

Creditum Prosperum *Libro de Promiſſionibus & Prædictionibus Dei.*

Severinum Boethium *Libro de fide ad Joannem Diaconum.*

S. Fulgentium *de fide ad Petrum*, ubi habet regulas fidei quadraginta.

S. Isidorum Hispalensem *Libro II. de officiis Eccleſiaſticis, capitibus 22. & 23. Libro item II. Sententiarum cap. 2.*

S. Antiochum *Homilia I.*

S. Joannem Damascenum *Libro IV. de orthodoxa fide, capitibus* 11. *&* 12.

S. Paschasium Ratbertum *Libris tribus de fide, ſpe & charitate.*

S. Petrum Damiani *Opuſculo de fide catholica.*

S. Brunonem *de Ornamentis Eccleſiæ cap.* 1. de præſtantia fidei.

Hugonem Victorinum *Tractatu de fide.*

Petrum Blesensem *in inſtructione fidei ad Soldanum Iconienſem: & opere novello de aſſertione fidei.*

S. Bernardinum Senensem *in Quadrageſimali de Religione chriſtiana*, late & egregie.

S. Thomam Villanovanum *Sermone in octava Paſchæ.*

Plures alios in *Prodromo II. pag.* 250. adducit Joannes Baptiſta Genér, etſi non omnino accurate.

Porro

Porro fidei gratiam nulli negari, præclare oſtendunt *S. Athanaſius Libro de Incarnatione: S. Chryſoſtomus Libro ad ſcandalum paſſos: S. Auguſtinus Epiſtola olim 49. nunc* 102: *Theodoretus Libro 6. adverſus græcos.*

TITULUS XX.

De *Gratia*, tam habituali quam actuali.

CAPUT I.

Loci.

Natura opus eſt Creatoris; gratia munus eſt redemptoris. S. AMBROSIUS *Libro de Joſeph cap.* 11.

Hoc ſcito baptismum præterita donare peccata, non futuram ſervare juſtitiam, quæ labore, & induſtria, ac diligentia, & ſemper ſuper omnia Dei clementia cuſtoditur; ut noſtrum ſit rogare, illius tribuere quod rogatur: noſtrum incipere, illius perficere: noſtrum offerre quod poſſumus, illius implere quod non poſſumus. S. HIERONYMUS *Libro 3. adverſus Pelagianos, initio.*

Non mihi ſufficit quod ſemel donavit, niſi ſemper donaverit. Peto ut accipiam, & dum accepero, rurſus peto. Avarus ſum ad accipienda Dei beneficia. Nec ille deficit in dando, nec ego ſatior in accipiendo. Quanto plus bibero, tanto plus ſitio. *Idem Epiſtola* 133. *ad Cteſiphontem, olim præfixa libris adverſus Pelagianos.*

Iſta quæſtio, ubi de arbitrio voluntatis & Dei gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem aſſeritur Dei gratia,

tia, liberum arbitrium putetur aufferri. S. Augustinus *Libro de gratia Chriſti cap.* 47.

Quisquis tibi Domine enumerat vera merita ſua, quid tibi enumerat niſi munera tua? *Idem Doctor gratiæ Libro IX. Confeſſionum cap.* 13.

Ego creavi, ego recreo: ego formavi: ego reformo: ego feci, ego reficio. Si non potuiſti facere te, quomodo potes reficere te? *Idem Enarratione in pſalmum* 45. *verſus finem.*

Imaginem in nobis Dei deformare potuimus; reformare non poſſumus. *Idem Sermone* 49. *alias* 27. *de verbis Apoſtoli.*

Natura humana etiamſi in illa integritate, in qua condita eſt, permaneret, nullo modo ſe ipſam creatore ſuo non adjuvante ſervaret. Cum igitur ſine gratia Dei ſalutem non poſſet cuſtodire, quam accepit: quomodo ſine gratia Dei poteſt reparare, quam perdidit? *Idem Epiſtola* 186. *alias* 106. *ad Paulinum.*

Feciſti ut eſſem; & non tu feciſti, ut bonus eſſem? Dediſti mihi ut ſim; & potuit mihi alius dare, ut bonus ſim? Si tu mihi dediſti, ut ſim, & alius mihi dedit ut bonus ſim: melior eſt ille qui dedit mihi ut bonus ſim quam ille qui mihi dedit ut ſim. Porro quia te nemo melior, nemo te potentior, nemo te in miſericordia largior, a quo accepi ut eſſem, ab illo accepi ut bonus eſſem. *Idem Concione* 2. *in pſalmum* 58.

Divinam poſcamus gratiam; nam quidquid aliud petitur, nihil petitur; non quia nulla omnino res eſt; ſed quia tantæ rei comparatione quidquid concupiſcitur nihil eſt. *Idem Tractatu* 102. *in Joannem.*

Duæ vitæ ſunt, una corporis, altera animæ. Sicut vita corporis anima, ſic vita animæ Deus. Quomodo ſi anima deſerat moritur corpus; ſic anima

anima moritur ſi deſerat Deus. *Idem Concione* 2. *in pſalmum* 70.

Rurſum S. Doctor in illud pſalmi 49.: Deus! tuus ego ſum. Quid vis amplius? pretium quæris a Deo, ut aliquid tibi det Deus? ut quod tibi dederit tuum ſit? Ecce ipſe Deus, qui dabit, tuus eſt. Quid eo ditius? dona quærebas, ipſum donatorem habes. *Enarratione in eundem pſalmum.*

Audite me, o pauperes! quid non habetis ſi Deum habetis? audite me o divites! quid habetis ſi Deum non habetis? *Idem Sermone* 115. *alias* 3. *de S. Cypriano, ſeu* 15. *de Diverſis.*

Fur tibi tollit aurum; quis tollit tibi Deum? *Idem ſermone* 85. alias 205. *de tempore.*

Hæc gratia cur ad illum veniat, ad illum non veniat, occulta eſſe cauſa poteſt, injuſta non poteſt. *Idem Libro I. de peccatorum meritis, & remiſſione cap.* 21.

Quærimus meritum obdurationis & invenimus. Merito namque peccati univerſa maſſa damnata eſt. . . . Quærimus autem meritum miſericordiæ, nec invenimus, quia nullum eſt; ne gratia evacuetur, ſi non gratis donatur, ſed meritis redditur. *Idem Epiſtola* 194. *alias* 105. *ad Sixtum.*

Nunquam Deus deſerit hominem, niſi prius ab homine deſeratur. *Idem Sermone* 22. *alias* 88. *de Tempore. Eſt* 13. *S. Cæſarii.*

Opus Dei eſt mutare hominem; quia ſolus poteſt inſtaurare, quod fecit. S. Paulinus *Epiſtola* 38. *alias* 29. *ad Aprum.*

Credamus nos Dei filios, reſpondeamus generi, vivamus cœlo, patrem ſimilitudine referamus, ne perdamus vitiis, quod ſumus per gratiam conſecuti. S. Chrysologus *Sermone* 10.

Intellige eſſe tibi genus e cœlo, cui pater habetur in cœlo; & age ut vivendo ſancte ſancto reſpondeas patri. Dei filium ille ſe probat, qui vitiis

tiis non obſcuratur humanis, qui divinis virtutibus etiam creſcit. *Idem ſermone* 67.

Homo! quid commune cum terris tibi, qui confiteris tibi genus eſſe de cœlis? Ergo cœleſtem vitam monſtra in habitatione terrena; quia ſi quid in te geſſerit terrena cogitatio, cœlo maculam, cœleſti generi injuriam intuliſti. *Idem Sermone* 71.

Poculum quippe immortalitatis, quod confectum eſt de infirmitate noſtra, & virtute divina, habet quidem in ſe, ut omnibus proſit, ſed ſi non bibitur, non medetur. S. Prosper *in Reſponſ. ad objectionem* 1. *Vincentii.*

O bonum! o pium! o inæſtimabilis miſericordiæ Dominum! qui ad hoc nobis in præſenti religionis munera tribuit, ut ipſa in nobis poſtea quæ nunc dat munera muneretur! Salvianus *Libro* 7. *de Gubernatione initio.*

Juſte inſtat præcepto, qui præcurrit auxilio. S. Leo *Sermone* 16. *de Paſſione.*

Omnia dona excedit hoc donum, ut Deus hominem vocet filium, & homo Deum nominet patrem! *Idem Sermone I. de Nativitate.*

Agnoſce o homo dignitatem tuam, & divinæ conſors factus naturæ noli in priſtinam vilitatem degeneri converſatione redire. *Idem eodem ſermone.*

O quanta eſt miſericordia conditoris noſtri! ſervi digni non ſumus, & amici vocamur! S. Gregorius M. *Homilia* 27. *in Evangelia.*

Hominis meritum ſuperna gratia non ut veniat invenit; ſed poſtquam venerit facit, Atque & ad indignam mentem veniens Deus dignam ſibi exhibet veniendo, & facit in ea meritum, quod remuneret, qui hoc ſolum invenerat, quod puniret. *Idem Libro XVIII. Moralium cap.* 40.

Cum augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum. *Idem Homilia* 9. *in Evangelia.*

Non

Non eſt deſperanda invicta Dei gratia, quantamcunque hoſtis fraudem, quantamcunque noſtram fragilitatem attenderimus. Qui vel hoſtium fraude vel noſtro vitio anguſtiorem Dei gratiam conſtituimus, ſi hoſtem potentiorem ad nocendum, quam Deum ad liberandum, nos autem habiliores ad labendum, quam ipſum ad ſtabiliendum crediderimus. Quid vero eſt, quod ait Apoſtolus: *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & Gratia,* niſi hæc potentior ſit ad ſalvandum, quam illud ad perimendum? Non eſt ergo metuenda bene operandi neceſſitas, quibus in Deo tanta ipſius neceſſitatis eſt facultas, ut quidquid bene voluerimus per eum, qui omnia poteſt, poſſimus. ALGERUS *Libro I. de Sacramento corporis & ſanguinis Domini, cap.* 22.

Quærant alii meritum: nos invenire gratiam ſtudeamus. S. BERNARDUS *Sermone in Nativitate B. Mariæ de aquæ ductu.*

Omnes nobis cauſamur deeſſe gratiam; ſed juſtius forſitan ipſa ſibi queratur gratia deeſſe nonnullos. Idem *Sermone de diverſis* 18. *de triplici cuſtodia.*

Vide quanta largitate toto orbe gratia Spiritus effuſa ſit. Non ſolum juſtis confirmandis, ſed & peccatoribus juſtificandis! quomodo ubique gentium Spiritu creante novum genus hominum, renovata ſit facies terræ! imo quanta quotidie mutatio fiat per dexteram excelſi; ut repente perditiſſimi hominum, publicani, & meretrices juſtos quam plurimos præcedant in regno Dei, & noviſſimi fiant primi. Prorſus non ſicut delictum ita & donum; quia ubi abundavit delictum, ibi ſuperabundans gratia non ſolum donat delicta, ſed etiam virtutum accumulat merita, & ſublimius reſtituit lapſos redemptio quam conſtituerat prima creatio. Sane in his omnibus quanto mirabilior Dei gratia prædicatur, tanto damnabilior hominis duritia convincitur,

citur, ſi gratiam vel oblatam recuſet, vel acceptam non ſervet. *Guerricus Abbas Sermone I. in die Pentecoſtes.*

Ut illa ſola gratia, ſine qua nullus a te diligitur ſalva nobis maneat, omnem aliam gratiam tua nobis gratia ſubtrahat, aut certe gratiam utendi ſimul conferat. *Idem Sermone III. de S. Benedicto initio.*

CAPUT II.

Fontes.

S. Cyprianus *Epiſtola* 2. *ad Donatum, poſt initium;* quam efficax, quam paratu facilis ſit divina gratia.

Arnobius *Senior Libro* 2. *adverſus gentes*, eleganter de æquali vocatione ad ſalutem per Dei gratiam.

Lactantius *Libro III. divinarum inſtitutionum cap.* 25.

S. Ephræm *de divina gratia Tomo III. novo, græco-latino pag.* 42.

S. Macarius *pluribus in homiliis.*

S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 40. quam promptus ſit Deus ad gratiam nobis tribuendam.

S. Gregorius Nyssenus *Oratione* 7. *de Beatitudinibus, initio.*

S. Ambrosius *Libro I. de Abel & Cain, cap.* 7. *Libro de Elia & Jejunio, capite ultimo: Sermone item* 8. *in pſalmum* 118. *verſu* 64; ubi docet, nemini, modo ipſe velit, Dei gratiam deeſſe. *Idem Epiſtola* 63. *alias* 82.: & 25. *ad Eccleſiam Vercellenſem.*

S. Chrysostomus *Catecheſi* 2. *ad illuminandos, poſt homilias ad populum,* de virtute illuminandi, quæ eſt in gratia.

S. CHRYSOSTOMUS *Homilia* 50. *in Joannem* de vi & copia gratiæ.

Adde *Homiliam* 18. *in ad Romanos.*
Homiliam 12. *in I. ad Corinthios.*
Homiliam 11. *in I. ad Theſſalonicenſes.*
Homiliam 34. *in ad Hebræos.*
Homiliam ipſi tributam de Adam & Heva.

S. HIERONYMUS *in Libris contra Pelagianos:* & *Epiſtola* 133. *ad Cteſiphontem, quæ his olim præmitti ſolebat.* Ex aliis quoque operibus locos ejus omnes collegit Cornelius Schultingus *Confeſſionis Hieronymianæ Tomo II. cap.* 5.

S. AUGUSTINUS ut ordine temporum, quo ſcripſit, in tanta librorum copia progrediar:

tribus Libris de peccatorum meritis, & remiſſione.
Epiſtola 140. *alias* 120. *ad Honoratum, quæſtione* 6. *de gratia novi Teſtamenti.*
Libro de Spiritu & litera.
Libro de Natura & Gratia.
Libro de geſtis Pelagii.
Epiſtola 287. *alias* 57. *ad Dardanum, de præſentia Dei.*
Libris duobus, uno de gratia Chriſti, altero de peccato originali.
Libris duobus de Nuptiis, & Concupiſcentia.
Libris ſex contra Julianum.
Libris quatuor contra duas Epiſtolas Pelagianorum.
Libris quatuor de anima & ejus origine.
Libro de perfectione Juſtitiæ contra Cæleſtinum.
Libro de gratia & libero arbitrio, & duabus epiſtolis adjectis.
Libro de correptione, & gratia.
Opere imperfecto contra Julianum.

Atque

Atque iſta vir ſanctus ſcripſit contra Pelagianos. Accedunt alia contra Semipelagianos eodem ordine ſervato, puta

Epiſtola 217. alias 107. ad Vitalem.
Libris duobus ad Simplicianum.
Libro de Prædeſtinatione Sanctorum.
Libro de Dono perſeverantiæ.

Sunt autem & alia innumera, quæ ſparſim contra utramque hanc hæreſin apud eum reperiuntur; & quidem de ſermonibus * & literis ipſe teſtatur *Libro II. retractationum cap.* 33. De aliis docent *Enchiridium ad Laurentium: Tractatus in Joannem* ** *Conciones duæ in pſalmum* 58: *Enarratio, & conciones duæ in pſalmum* 70.: *Expoſitio in pſalmum* 144. atque innumera alia. Addi poſſunt *Reſcripta, & Epiſtolæ ſummorum Pontificum Innocentii*, & *Cæleſtini* in hac ipſa cauſa Pelagianorum.

S. Cassianus *Collationibus* 13. & 23.

S. Prosper *Carmine de ingratis.*
Libro ad capitula objectionum Vincentianarum.
Libro ad Excerpta Genuenſium.
Libro contra Collatorem.
Libris duobus de vocatione omnium gentium; ſi tamen ſunt illius.

S. Valerianus Cimeliensis *Homilia* 11. Qui gloriatur, in Domino glorietur.

Arnobius Junior *Libro de gratiæ & liberi arbitrii concordia.*

L 2 S. Ful-

---

* Tales ſunt *Sermo* 26. *alias* 11. *de verbis Apoſtoli*: 30. *alias* 12. *de verbis Apoſtoli*: & 156. *alias* 13. *de verbis Apoſtoli.*

** Ubi notari ſpeciatim volo *Tractatum* 26. ubi de ſuavi illa efficacitate divinæ gratiæ.

S. FULGENTIUS *Libro I. ad Monimum: Libro de incarnatione, & gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti: Libris tribus de veritate prædeſtinationis & gratia.* Item *Epiſtola 6. ad Theodorum Senatorem.*

S. GREGORIUS M. *Libro II. Moralium cap.* 49. & *Libro XXIII. Moralium cap.* 27. egregie de ſubtracta ad tempus gratia. *Libro XXXIII. Moralium cap.* 21. quam juſte agat Deus in negotio gratiæ. Alia quædam dat *Libro VIII. ejusdem operis. Homilia 9. in Ezechielem, initio* de neceſſitate Gratiæ.

RATRAMNUS CORBEJENSIS *Libris duobus de Prædeſtinatione.*

S. ANSEMUS *Libro de concordia præſcientiæ, & prædeſtinationis & gratiæ cum libero arbitrio.* In *Dialogo de libero arbitrio.*

FRANCO AFFLIGINENSIS *in Libris de Gratia, ſeu beneficentia Dei.*

S. BERNARDUS *Libro de gratia, & libero arbitrio: Sermone 2. de S. Andrea: Sermone* 1. *in pſalmum* 90. *poſt initium: Sermonibus* 21. & 54. *in Cantica: Sermone* 34. *de diverſis, de altitudine & baſſitudine cordis;* ubi comparat ſtudium gratiæ cum ſtudio pecuniæ.

Plura de gratia *habituali* dabunt Tituli *Baptiſmus, Perſeverantia* &c.: de gratia *actuali*, Tituli *Inſpirationes, Cæcitas ſpiritualis, Obduratio, Judicia Dei, Tentationes &c.*

TITU-

TITULUS XXI.

De *Gula*, Jejunio, & ceteris huc ſpectantibus.

CAPUT I.

Loci de Gula.

Monſtrum haberetur libido ſine gula; cum duo hæc tam unita, atque concreta ſint, ut ſi disjungi omnino potuiſſent, ipſi prius ventri pudenda non adhærerent. Specta corpus; & una regio eſt. Denique pro diſpoſitione membrorum ordo vitiorum. Prior venter, & ſtatim cetera ſaginæ ſubſtructa laſcivia eſt; per edacitatem ſalacitas tranſit. TERTULLIANUS *Libro de Jejuniis cap.* I.

In hunc theſaurum (ſtercoris ſcilicet) omnes illæ ciborum copiæ reconduntur! S. ZENO *Sermone de Jejunio.*

Quid ſaginas teipſum & pinguefacis? an ignoras quanto pinguius tibi corpus conficis, tanto graviorem carcerem animæ ſtruis? *Idem in pſalmum* 29. *verſus finem.*

Nec enim quidquam eorum laudamus, quæ ſemel in fauces tranſmiſſa pari poſtea honore ſunt, vel ut rectius loquar, pari ignominia. S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione* 25. *ante medium.*

Præpingues nimium carnes ventremque tumentem
Haud capit æthereæ janua parva domus.

Idem Carmine inter varia 59. *in fictos Monachos.*

Sufficit corpori malitia ſua. Quid flammæ materia opus eſt, aut belluæ copioſiori alimento, ut effrenatior reddatur, ac ratione violentior? *Idem Oratione* 44. *in S. Pentecoſten, ſub initium.*

Num immolandi ſumus, qui nos ita inpinguamus? cur vermi lautam paras menſam? cur majorem facis ſaniem? cur fontes ſudorum & fœtores deponis? cur te ad omnia inutilem reddis? S. CHRYSOSTOMUS *Homilia* 27. *in Acta.*

Chriſtus fame tabeſcit, & tu præ crapula dirumperis! *Idem ibidem paulo ante.*

Cogita quid ſint cibi, in quæ mutentur, quid efficiantur. An non hæc vel audiens indignaris? cur ergo ſtudes illa ſemper accumulare? nihil aliud eſt illud deliciarum additamentum, quam ſtercorum incrementum. Habet enim natura menſuram, & quod ſuperabundat, jam alimentum non eſt, ſed pernicies, & ſtercus abundantius. Nutri corpus, ne eneces. Ideo alimentum vocatur, non ut perdamus corpus, ſed ut alamus. Ideo ut puto alimentum ad hoc ſecernitur, ut ne deliciarum ſimus amatores. Niſi illud ita ſe haberet, nec deliciæ inutiles eſſent, nec corpori nocerent, nunquam ceſſaremus nos invicem devorare. Nam ſi quantum vellemus venter exciperet, diggereret, & corpori mitteret, innumera videremus bella, & pugnas. Si enim nunc cum alia in ſtercus ſecernuntur, alia in ſanguinem & phlegma inutile & adulterinum, deliciis tamen incumbimus, & ſæpe opes integras in menſa una conſumimus, niſi talis eſſet deliciarum finis, quid non faceremus? *Idem ſanctus Doctor Homilia* 13. *in I. ad Timotheum.*

Natus in paupere domo, & in tugurio ruſticano; qui vix milio & cibario pane rugientem ſaturare ventrem poteram, nunc ſimilam, & mella faſtidio. Novi & genera & nomina piſcium, in quo littore concha lecta ſit calleo. Saporibus avium diſcerno provincias, ac ciborum me raritas, ac noviſſime damna ipſa delectant. S. HIERONYMUS *Epiſtola* 52. *alias* 2. *ad Nepotianum.*

Apoſto-

Apoſtolus macerat corpus ſuum, & animæ ſubjicit imperio, ne quod aliis præcipit, ipſe non ſervet: & adoleſcentula fervente cibis corpore de caſtitate ſecura eſt? *Idem epiſtola* 54. *alias* 10. *ad Furiam.*

Cum variis nidoribus fumant patinæ, ad eſum ſui expleta eſurie quaſi captivos trahunt, unde & morbi ex ſaturitate nimia concitantur, multique impatientiam gulæ vomitu remediantur; & quod turpiter ingeſſerunt, turpius egerunt. *Idem Libro II. adverſus Jovinianum, propius initium.*

Deum ventrem vis habere pro Chriſto, & quaſi pinguis hoſtia in mortem propriam ſaginaris, imitariſque eorum vitam, quorum tormenta non metuis. *Idem Epiſtola* 147. *alius* 48. *ad Sabinianum.*

Per licitos uſus ad immoderatos tranſitur exceſſus, dum per curam ſalutis irrepit delectatio voluptatis, & non ſufficit concupiſcentiæ, quod poteſt ſatis eſſe naturæ. S. Leo *Sermone* 12. *de Quadrageſima.*

Menſa, in qua nulla Dei mentio fit, a brutorum ſtabulo nihil diſſimilis eſt. S. Joannes Damascenus *Parallelorum Titulo* 28. *litera* δ, *olim Libro II. Parallelorum cap.* 6.

Nequaquam totus manduces; ſed corpore tuo ſuam refectionem procurante mens ſuam non negligat. Guilielmus Abbas S. Theodorici *ad fratres de monte Dei.*

CAPUT II.

Fontes de Gula.

Clenens Alexandrinus *Libro II. cap.* 1. & 4. *Pædagogi.*

Tertullianus *Libro de Jejuniis adverſus Pſychicos.*

NOVATIANUS, aut ſi quis eſt alius Auctor, *Epiſtola de libris judaicis.*

S. BASILIUS *in homiliis de Jejunio; Libro de vera Virginitate; homilia* 14. *in Ebrioſos*, *& Epiſtola ad Gregorium Theologum*, *alias* 1. *hodie* 2.

S. GREGORIUS NYSSENUS *Oratione de funere Placillæ, de* cura corporis præſtanter: *Oratione I. de pauperibus amandis*: *Oratione* 4. *de Oratione Dominica.*

S. AMBROSIUS *Libro de Elia & Jejunio, fuſe.*

S. CHRYSOSTOMUS *Libro de Virginitate*, *capitibus* 69. 70. 71.

Libro, quod nemo læditur, niſi a ſe ipſo.

Oratione 6. *de fato* , *& Providentia*, quæ eſt contra ingluviem.

Homilia 2. *ad populum*, ubi pulchre inter ſe comparat vitam temperantem & intemperantem.

Homilia 10. *in Geneſin.*

Homiliis 45. 49 *&* 71. *in Matthæum.*

Homilia 21. *in Joannem.*

Homiliis 16. 27. 35. *in Acta.*

Homilia 12. *in II. ad Corinthios.*

Homilia 13. *in I. ad Timotheum &c.*

S. HIERONYMUS *in Epiſtolis ſæpe, uti* 79. *alias* 9.; 54. *alias* 10. Item 130. *alias* 8. *& quæ olim ac nunc eſt* 22.; *maxime vero Libro II. adverſus Jovinianum.*

S. AUGUSTINUS *Libro X. Confeſſionum cap.* 31. Et *Epiſtola* 21. *alias* 109. *ad Sanctimoniales.*

S ISIDORUS PELUSIOTA *Libro II. epiſtola* 240. *præclare.*

S. CHRYSOLOGUS *ſermone* 174.

S. NILUS *initio Libri de octo vitioſis cogitationibus.* Et *Narratione de cæde Patrum Sinaitarum, numero* 16.

S. JOANNES CASSIANUS *Libro V. Inſtitutionum fere toto.* Et *collatione V. pluribus capitibus.*

SAL-

SALVIANUS *in Libris de Gubernatione*, graviſſimis verbis invehitur in comeſſationes.

S. GREGORIUS M. *Libro I. Moralium, capitibus pluribus.*

S. ANTIOCHUS *Homiliis* 3. 4. 6.

HUGO A S. VICORE *Libro II. de Clauſtro animæ, capitibus* 6. 7. 19.

S. BERNARDUS *Sermone* 2. *de verbis Apoſtoli ad Romanos:* Regnum Dei non eſt eſca & potus. *Eſt* 19. *de Diverſis.*
Sermone 30. *in Cantica.*
Libro de Converſione ad Clericos.
Apologia ad Guilielmum Abbatem.
Epiſtola 1. *ad Robertum Nepotem.*
Et *tributo ipſi Tractatu de Paſſione Domini cap.* 24 *num.* 139.

GUERRICUS *Abbas Sermone in die Purificationis.*

AELREDUS *Abbas Sermone* 3. *de oneribus Eſaiæ.*

PETRUS BLESENSIS *Epiſtola* 85.

JOANNES SARESBERIENSIS *fuſe Libro VIII. Policratici.*

APPENDIX.

De *Jejunio.*

Loci.

Per cibum offenſus eſt Deus; per Jejunium mitigatur. S. ZENO VERONENSIS *Sermone de Jejunio.*

Reverere jejunii canitiem. Tam vetus eſt, ut ſimul cum homine condito cœperit. In paradiſo præſcriptum eſt. S. BASILIUS *homilia* 1. *de Jejunio.*

Quoniam non jejunavimus, exulamus a paradiſo. Jejunemus igitur, ut ad illum revertamur. *Idem eadem Homilia.*

In obtendentes infirmitatem idem graviſſimus Pater: Jejunare non potes, & potes continue expleri cibis: potes conficere corpus pondere eſcarum? Atqui infirmis non ciborum varietatem, ſed inediam, & abſtinentiam a medicis ſolere præſcribi ſcio. Qui fit igitur, ut cum iſta poſſis, illa te non poſſe cauſeris? *Ibidem.*

Labor quidem eſt in jejunando; at nondum pro Jeſu crucifixi ſumus. S. Gregorius Nyssenus *Oratione in principium jejuniorum, quam alii Aſterio Amaſeno tribuerunt. Egregie autem locus facit pro verno jejunio, quo alias patientis Domini memoria recolitur.*

Si vis Chriſtianus eſſe, debes quod Chriſtus facere. Ille qui peccatum non habebat, quadrageſimam jejunavit: tu non vis quadrageſimam jejunare qui peccas? Ille, inquam, peccatum non habebat, ſed pro noſtris jejunavit peccatis: qualis ergo apud conſcientiam tuam chriſtianus es, cum Chriſto pro te eſuriente tu prandes? S. Ambrosius *creditus Sermone* 36. *nunc* 21.

Etiam ipſis jejunium conviviis dat gratiam. Dulciores poſt famem epulæ fiunt, qui aſſiduitate faſtidio ſunt, & diuturna continuatione vileſcunt. Condimentum cibi jejunium eſt. Quanto avidior appetentia, tanto eſca jucundior. *Verus* Ambrosius *Libro de Elia & Jejunio cap.* 9.

In quadrageſima ventris ingluviem decoquit, & in cochlearum morem ſucco victitans ſuo futuris dapibus ac ſaginæ aqualiculum parat. S. Hieronymus *Epiſtola* 107. *alias* 7. *ad Lætam.*

Solam abſtinentiam carnium putant, & leguminibus onerant ſtomachum. *Idem Epiſtola* 54. *alias* 10. *ad Furiam.*

Quid

Quid prodeſt tenuari abſtinentia corpus ſi animus intumeſcat ſuperbia? Quam laudem merebimur de pallore jejunii, ſi invidia lividi ſumus? *Apud eundem* AUCTOR *Epiſtolæ ad Celantiam.*

Si volumus bene jejunare a cibis, ante omnia jejunemus a vitiis; quid enim prodeſt vacuare corpus ab eſcis, & animam replere peccatis? quid enim prodeſt pallidum eſſe jejuniis, ſi odio & invidia liveſcas? quid enim prodeſt vinum non bibere, & iracundiæ veneno inebriari? quid prodeſt abſtinere a carnibus ad edendum creatis, & malignis obtrectationibus fratrum membra lacerare? quid prodeſt ſi abſtineamus ab his quæ aliquando licent, & faciamus illa quæ nunquam licent? S. AUGUSTINUS *Sermone* 64. *de Tempore, nunc* 143. *in appendice.*

Cum corpus caſtigatur, & ſervituti ſubjicitur, reſtringendæ ſunt deliciæ non mutandæ. *Idem Sermone* 208. *alias* 27. *de diverſis.*

Qui ſic ſe a carnibus temperant, ut alias eſcas & difficilioris præparationis, & pretii majoris inquirant, multum errant. Non enim eſt hoc ſuſcipere abſtinentiam ſed mutare luxuriam. *Idem Sermone* 209. *alias* 73. *de diverſis.*

Jejunant non ut ſolitam temperando minuant edacitatem, ſed ut immoderatam differendo augeant aviditatem. Nam ubi tempus reficiendi advenerit, opimis menſis tanquam pecora præſepibus irruunt, numeroſioribus ferculis corda obruunt, ventresque diſtendunt, artificioſis & peregrinis condimentorum diverſitatibus gulam ne vel compeſcatur irritant. Denique tantum capiunt manducando quantum diggerere non ſufficiant jejunando. *Idem Sermone* 210. *alias* 74. *de diverſis.*

S. CHRYSOLOGUS *de filio prodigo eſuriente loquens:* Si tantum præſtitit vel invita fames, probate, quid voluntarium poſſit conferre jejunium. *Sermone* 2.

Semper

Semper virtuti cibus jejunium fuit. S. LEO *Sermone 2. de jejunio decimi menſis, & collectis.*

Caro nos læta traxit ad culpam: afflicta reducat ad veniam. Auctor etenim mortis noſtræ per fructum ligni vetiti vitæ præcepta transgreſſus eſt. Qui ergo a paradiſi gaudiis per cibum cecidimus, ad hæc, in quantum poſſumus, per abſtinentiam reſurgamus. S. GREGORIUS M. *Homilia 16. in Evangelia.*

Per abſtinentiam carnis vitia extinguenda, non caro. *Idem Libro XX. Moralium cap. ult.*

De jejunio in ſatisfactionem injuncto eleganter beatus PETRUS DAMIANI: Cuncta languorum genera ſimulant ut quod potiſſimum metuunt languorem jejunii non incurrrant. *Libro I. epiſtola* 15.

S. BERNARDUS *de jejunio Domini imitando Sermonem habens:* Non eſt magnum, *ait*, ſi jejunat cum Chriſto, qui ſeſſurus eſt ad menſam Patris cum ipſo. *Sermone* 1. *in capite jejunii.*

Fontes.

Præter ſupra apertos ex TERTULLIANO, NOVATIANO, BASILIO M., AMBROSIO, CASSIANO, adde:

ORIGENIS *homiliam* 10. *in Leviticum.*

S. CYPRIANI *crediti Sermonem de jejunio, & tentatione Chriſti;* ubi præclare de periculo ſuperbiæ ex jejuniis.

S. ZENONIS *Sermonem allegatum de jejunio.*

S. EPHRÆM *Sermonem de jejunio Tomo III. novo græco-latino, pag.* 22.

S. BASILII M. præter *homilias tres de jejunio, admonitionem ad filium ſpiritualem,* in ſuperbientes propter jejunia ſua.

S. GREGORII NYSSENI *Orationem laudatam in jejunii initium.*

AMBRO-

AMBROSII *crediti ſermones complures; veri Epiſtolam ad Eccleſiam Vercellenſem, nunc* 62. *alias* 82. & 25.

PRUDENTII *Hymnos* 7. *Jejunantium*, & 8. *poſt Jejunium.*

S. CHRYSOSTOMI *Homilias* 1. 8. 11. 30. *in Geneſin: Homilias* 3. 15. & 18. *ad populum: Homilias de jejunio ſeptem, Tomo IX. Montfauconi inter ſpuria.* Verum magno hic opus delectu, ſi quid egregium vis extundere.

S. HIERONYMI *Librum* 2. *contra Jovinianum.*
Epiſtolam 2. *nunc* 52. *ad Nepotianum.*
Epiſtolam 10. *nunc* 54. *ad Furiam.*
Epiſtolam 22. (etiam nunc) *ad Euſtochium.*
Epiſtolam 54. *nunc* 41. *ad Marcellam, adverſus Montanum.*
Vitam S. Hilarionis Abbatis.

S. AUGUSTINI *Librum de utilitate jejunii*, & *Epiſtolam* 86. *nunc* 36. *de jejuniis veterum.*

S. CYRILLI ALEXANDRINI *Homilias aliquot paſchales.*

S. CHRYSOLOGI *Sermones* 8. 41. 42. & 43.

EUSEBII GALLICANI *Homiliam de initio quadrageſimæ*, & *Homiliam* 4. *ad Monachos.*

S. LEONIS *Sermones de quadrageſima*, & *ſermones de jejunio decimi menſis.*

S. CASSIANI *Librum V. de inſtitutis renuntiantium*, & *Collationem XXI. pluribus utrobique capitibus.*

S. MAXIMI TAURINENSIS *Homilias de jejunio.*

JULIANI POMOERII *ultima capita Libri II. de vita contemplativa.*

S. GREGORII M. *Homiliam* 16. *in Evangelia.*

S. ANTIOCHI *Homiliam* 7.

S. ELIGII NOVIOMENSIS *Homiliam* 3.

THEOPHANIS *Homiliam* 16.

S. THEODORI STUDITÆ *Catecheſin* 55.

THEO-

Theodori Balsamonis *Epiſtolam ad Antiochenos de Jejuniis*, apud *Joannem Bapt. Cotelerium, Tomo II. Monumentor. Eccleſiæ græcæ.*

S. Bernardi *Sermones in capite jejunii*, & *Sermones de quadrageſima. Sermones* 16. *in Cantica; Apologiam ad Guilielmum Abbatem;* ubi fuſe de ſuperbis, atque etiam de delicatis jejunatoribus.

Petri Blesensis *Commentarium in caput* 1. *Jobi.*

TITULUS XXII.

De *Hæreſi.*

CAPUT I.

Loci.

Equid veriſimile eſt, ut tot, ac tantæ (Eccleſiæ) in unam fidem erraverint? variaſſe debuerat error doctrinæ eccleſiarum, ceterum quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum. Audeat ergo aliquis dicere, illos erraſſe qui tradiderunt? Quo quomodo ſit erratum, tamdiu utique regnavit error, quamdiu hæreſes non erant. Aliquos Marcionitas, & Valentinianos liberanda veritas expectabat. Interea perperam evangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam adminiſtrata, tot virtutes, tot chariſmata perperam operata, tot ſacerdotia, tot miniſteria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata. Aut ſi nec perperam, nec in vacuum: quale eſt, ut ante res Dei currerent, quam cujus Dei notum eſſet? ante chriſtiani, quam Chriſtus inventus? ante hæreſes, quam vera doctrina? Sed enim in omnibus veritas imaginem antecedit, poſtremo ſimilitudo ſucce-

ſuccedit. Ceterum ſatis ineptum, ut prior in doctrina hæreſis habeatur, vel quoniam ipſa eſt, quæ futuras hæreſes, & cavendas prænuntiavit. Ad ejus doctrinæ Eccleſiam ſcriptum eſt, imo ipſa doctrina ad Eccleſiam ſuam ſcribit: *Etſi angelus de cœlo aliter evangelizaverit citra quam nos anathema ſit!* TERTULLIANUS *de Præſcriptionibus adverſus hæreticos cap.* 29.

Oportebat hæreſes eſſe. Nec tamen ideo bonum hæreſes, quia eſſe eas oportebat. Quaſi non & malum oportuerit eſſe. Nam & Dominum tradi oportebat, ſed væ traditori! *Idem ibidem cap.* 30.

Idem, cum hæreſiarcharum ortum, atque doctrinam memoraſſet: Hos, *inquit,* ut inſigniores, & frequentiores adulteros veritatis nominamus. Ceterum & Nigidius neſcio quis, & Hermogenes, & multi alii adhuc ambulant pervertentes vias Dei. Cupio oſtendant mihi ex qua auctoritate prodierunt. Si alium Deum prædicant, quomodo ejus Dei rebus & literis, & nominibus utuntur adverſus quem prædicant? Si eundem quomodo aliter? Probent ſe novos Apoſtolos eſſe, dicant Chriſtum iterum deſcendiſſe, iterum ipſum docuiſſe, iterum crucifixum, iterum mortuum, iterum reſuſcitatum. Sic enim Apoſtolos ſolet facere, dare illis præterea virtutem eadem ſigna edendi, quæ & ipſe. Volo igitur & virtutes * eorum proferre. Niſi quod agnoſco maximam virtutem eorum, qua Apoſtolos in perverſum æmulantur. Illi enim de mortuis vivos faciebant, iſti de vivis mortuos faciunt. *Ibidem cap.* 30. & 31.

De verbi autem adminiſtratione quid dicam? cum hoc ſit negotium illis, non Ethnicos convertendi. Hanc magis gloriam captant ſi ſtantibus ruinam,

* **Miracula.**

ruinam, non ſi jacentibus elevationem operentur. Quoniam & ipſum opus eorum non de ſuo proprio ædificio venit, ſed de veritatis deſtructione. Noſtra ſuffodiunt, ut ſua ædificent. *Idem ibidem cap.* 42.

Non poteſt Evangelium ex parte conſiſtere, & in parte nutare. Aut utrumque oportet ut valeat, aut utrumque vim veritatis amittat. S. CYPRIANUS *ſermone de lapſis, circa medium.*

Profecto mirum eſt, cum omnes hæreſes adverſus ſeipſas dimicent, ut unaquæque ea, quæ commenta eſt, tueatur, ſolum in mentiendo inter ſe conſentiunt; nimirum unum omnes patrem habent, qui mendacium ipſis ſuperſeminavit. S. ATHANASIUS *Epiſtola encyclica ad Epiſcopos Ægypti & Lybiæ, initio.*

Sequitur fidei defectionem hyprocriſis mendax, ut ſit vel in verbis pietas, quam amiſerat conſcientia. S. HILARIUS PICTAVIENSIS *Libro* 10. *de Trinitate, initio ſere.*

In crudelitatem, & inhumanas artes hæreticorum mirifice convenit GREGORII NAZIANZENI *graviſſima, atque ſcitiſſima ſententia:* Quonam pacto hominibus parcerent, qui divinitati minime pepercerunt.

De monaſteriis exierunt, & nunc luxuriæ ſunt magiſtri. S. AMBROSIUS *in pſalmum* 36. *ad verſum* 23.

Quem potiſſimum legam? plura nomina, ſed una perfidia. *Idem Libro I. de Fide ad Gratianum cap.* 4.

Reliquerunt Apoſtolum, ſequuntur Ariſtotelem. *Idem in pſalmum* 118 *Enarratione* 22. *ante medium.*

Age iterum adverſus infideles Anomœos certamen ineamus. Qui ſi indigne ferant ſe infideles vocari, rem ipſam fugiant, & ego nomen obtegam. Abſiſtant ab infideli mente, & abſiſtam a contumelioſo vocabulo. Sin autem ipſi operibus fidem inhonorantes, ſeque ipſi turpitudine replentes nullo

pudore

pudore afficiuntur, cur mihi ſuccenſent, ſi verbis ea objiciam, quæ operibus ipſi exhibent? S. Chrysostomus *Sermone 2. contra Anomæos.*

Et non animadvertitis idcirco nos ſcribere, ut vos reſpondere cogamini, & aperte aliquando dicere, quod pro tempore, perſonis & locis vel loquimi vel tacetis? nolo vobis liberum eſſe negare quod ſemel ſcripſeritis. Eccleſiæ victoria eſt vos aperte dicere, quod ſentitis. Aut enim idem reſponſuri eſtis, quod & nos loquimur; & nequaquam eritis adverſarii, ſed amici: aut ſi contraria noſtro dogmati dixeritis in eo vincemus, quod omnes cognoſcent Eccleſiæ, quid ſentiatis. Sententias veſtras prodidiſſe ſuperaſſe eſt. Patet prima fronte blaſphemia. Hieronymus *Epiſtola* 133. *ad Cteſiphontem, olim libris adverſus Pelagianos præfixa. Et brevius Epiſtola* 41. *alias* 54. *ad Marcellam*: Hæc ſunt, quæ coarguitione non indigent. Perfidiam eorum expoſuiſſe, ſuperaſſe eſt.

Quiſquis es aſſertor novorum dogmatum, quæſo te, ut parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apoſtolico ore laudata eſt. Cur poſt annos quadringentos docere nos niteris, quod ante neſcivimus? Cur profers in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Uſque ad hanc diem ſine iſta doctrina mundus chriſtianus fuit. Illam ſenex tenebo fidem, in qua natus ſum. *Idem Epiſtola* 84. *alias* 65. *ad Pammachium, & Oceanum.*

Contemplemur hæreticos, quomodo ſemel deſperantes ſalutem gulæ ſe tradant, & deliciis, veſcantur carnibus, frequenter adeant balneas, muſco fragrent, unguentis variis delibuti quærant corporum pulchritudinem. Semel enim futura non ſperant, neque credunt reſurrectionem. Quod cum ſermone pandant, oſtendunt operibus. Si enim non crederent iſta non facerent. *Idem in caput* 23 *Hieremiæ.*

Quid maledictorum pannos hinc inde conſuitis, & eorum carpitis vitam, quorum fidei reſiſtere non valetis? Num idcirco non eſtis hæretici, ſi nos quidam aſſertione veſtra crediderint peccatores. *Idem epiſtola* 97. *alias* 78. *ad Pammachium, & Marcellam.*

In uno tibi conſentire non potero, ut parcam hæreticis. Mori poſſum, tacere non poſſum. *Idem Apologia ultima adverſus Ruffinum, ad finem.*

In extrema Epiſtola ſcribis manu tua, opto te pacem diligere. Ad quod breviter reſpondeo: Si pacem deſideras, arma depone. Blandienti poſſum aquieſcere; non timere comminantem. Sit inter nos una fides, & illico pax ſequetur. *Idem ibidem, in fine.*

Hæretici per totam faciem terræ. Alii hic, alii ibi. Nuſquam tamen deſunt. Ipſi ſe non noverunt. Alia ſecta in Africa, alia hæreſis in Oriente, alia in Ægypto, alia in Meſopotamia verbi gratia. Diverſis locis ſunt diverſæ; ſed una mater ſuperbia omnes genuit. S. Augustinus *Libro de Paſtoribus cap.* 10.

Non ad eum (Diabolum) pertinet, ſive quis iſto aut illo modo erret. Omnes errantes vult quibus libet erroribus. *Idem ibidem cap.* 12.

Nonne iſti palpant in meridie, quaſi in media nocte? quod quidem omnium hæreticorum eſt, qui rem manifeſtiſſimam (Eccleſiam) in luce omnium gentium conſtitutam videre non poſſunt. *Idem Libro II. contra Epiſtolam Parmeniani cap.* 3.

Videtis ergo, id vos agere, ut omnis de medio ſcripturarum auferatur auctoritas, & ſuus cuique animus auctor ſit, quid in quaque ſcriptura probet, quid improbet, id eſt, ut non auctoritati ſcripturarum ſubjiciatur ad fidem, ſed ſibi ſcripturas ipſe ſubjiciat, non ut ideo illi placeat aliquid, quia hoc in ſublimi auctoritate ſcriptum legitur; ſed ideo recte

recte ſcriptum videatur, quia hoc illi placuit. Quo te committis anima miſera, infirma, carnalibus nebulis involuta, quo te committis? *Idem Libro XXXII. contra Fauſtum cap.* 19.

Idem in hæreticos conquerentes de perſecutionibus etiam cruentis quas paterentur a Catholicis, data non conceſſa rei veritate iſtuc reponit: Talia facere volunt, & ſaltem talia pati nolunt. Nam videte, qualia faciunt, & qualia patiuntur. Occidunt animas, affliguntur in corpore: ſempiternas mortes faciunt, & temporales ſe perpeti conqueruntur! *Idem Tractatu* 11. *in Joannem, ubi fuſe pertractabat hanc theſin. Nec minus eleganter, brevius tamen ad Donatum Presbyterum Donatiſtam*: Diſplicet tibi, quia traheris ad ſalutem; cum tam multos noſtros ad perniciem traxeris? *Epiſtola* 204. *nunc* 173. *ad Donatum.*

Vincentius Lirinensis *inconſtantiam, & fluctuationem hæreticorum deſcribens*: Heu, *exclamat*, miſeranda conditio! quantis illi curarum æſtibus quantis turbinibus exagitantur! nunc etenim qua ventus impulerit, incitato errore rapiuntur, nunc in ſemetipſos reverſi tanquam contrarii fluctus reliduntur: nunc temeraria præſumptione ea quæ incerta videntur, approbant, nunc irrationali metu etiam quæ certa ſunt expaveſcunt; incerti qua eant, qua redeant, quid appetant, quid fugiant, quid teneant, quid dimittant. *Commonitorii* 1. *cap.*

Fruſtra utuntur catholico nomine, qui iſtis impietatibus non reſiſtunt. Poſſunt hæc (noſtra) credere, qui poſſunt talia (hæreticorum) patienter audire? S. Leo *Epiſtola* 15. *alias* 93. *ad Turibium Epiſcopum Aſturicenſem, ad calcem.*

Ubi apoſtolica forma & vita, quam jactatis? illi (Apoſtoli ſcilicet) clamant; vos ſuſurratis. Illi ut nubes volant; vos in tenebris & ſubterraneis domibus deliteſcitis. Quid ſimile illis in vobis oſtenditis? an quod vobiscum mulierculas non

 utique

utique circumducitis * ſed includitis? Non æque comitatio ut cohabitatio ſuſpicioni patet? Verum quisnam de illis ſiniſtrum quidpiam ſuſpicaretur, qui mortuos ſuſcitabant? fac tu ſimiliter, & una recubantem putabo fœminam virum. Alioquin temere tibi uſurpas illorum diſpenſationem, quorum ſanctitatem non habes. Cum fæmina ſemper eſſe, & non cognoſcere fœminam, nonne plus eſt, quam mortuum ſuſcitare? Quod minus eſt, non potes: & quod majus eſt, vis credam tibi? S. BERNARDUS *Sermone* 65. *in Cantica.*

CAPUT II.

Fontes.

Præter ea, quæ libro nono, Diſſertatione prima, contra hæreticos legenda ſuadebam, addi præterea ſequentia poſſunt:

NOVATIANUS *Libro de Trinitate cap.* 11.

LUCIFER CALARITANUS *Libro de non conveniendo cum hæreticis.*

S. HILARIUS PICTAVIENSIS *Libro contra Conſtantium Auguſtum;* ubi plura habet de moribus hæreticorum.

S. BASILIUS M. *Epiſtolis compluribus,*

S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Orationibus præſertim* 23. *&* 49. In illa enim de crudelitate, & in iſta de ſimulatione hæreticorum agit.

S. PACIANUS *Epiſtolis tribus ad Sympronianum* multa, eaque præclara dat, quæ in omnes ex æquo hæreticos intorqueantur.

S. CHRYSOSTOMUS præclare explicat illud: *Oportet hæreſes eſſe.* Locum dedimus Libro quarto, ubi

* Reſpicit ad ſanctas mulieres, quæ Apoſtolos, ut neceſſaria eis præberent, nonnunquam comitabantur.

ubi egimus de claritate in docendo. *Idem Homilia* 19. *in ad Hebræos* docet unum caput fidei credi ab eo minime poſſe, qui non & reliquis aſſentiatur. Adde *Auctorem operis imperfecti apud eundem Chryſoſtomum homilia* 19.

S. HIERONYMUS *Epiſtola* 130. *alias* 8. *ad Demetriadem, poſt medium.*

Epiſtola 108. *alias* 27. *ad Euſtochium, propius finem.*

Epiſtola citata ad Pammachium, & Oceanum, de artibus & inſinuationibus hæreticorum.

Epiſtola 133. *ad Cteſiphontem,* etiam ſupra laudata, de mulieroſitate hæreticorum.

In libris contra Ruffinum, quam exhorruerit, atque etiam excanduerit ad calumniam hæreſis ſibi impactam,

In Caput 5. *ad Galatas*, ipſis ſtatim initiis eſſe hæreſi obſiſtendum.

Lege etiam eundem *in caput* 23. *Hieremiæ,* & *in caput* 6. *Oſeæ.*

Plurima addit Cornelius Schultingus in *Confeſſione Hieronymiana.*

S. AUGUSTINUS *Libro de utilitate credendi,* quam ſtulte hæretici petant, ut potius ipſis quam catholicis credant.

Quæſtione 11. *in Matthæum*, non poſſe unum articulum ſine altero credi.

Libro XVI. de Civitate, cap. 2. hæreſes profuiſſe Eccleſiæ.

Libro XXI. de Civitate, cap. 25. hæreticos eſſe pejores gentilibus.

Libro de Paſtoribus, cap. 7. ne ægre ferant hæretici, ſi ſcribamus adverſum eos.

Enarratione in pſalmum 57. *poſt medium,* quod hæreſes non ferant ætatem.

S. AUGUSTINUS *Sermone* 164. *alias* 22. *de verbis Apoſtoli cap.* 10. ad Paſtores eorum, convictos quidem, ſed id fateri non audentes, egregie.

SALVIANUS *Libro* 5. *de gubernatione Dei*, ubi pulchre excuſat hæreticos, quos dicimus *materiales*, iisque malos catholicos longe poſtponit.

ARNOBIUS *Junior in conflictu cum Serapione, poſt initium Libri* 1. dogma unum credi haud poſſe, quin & alterum credatur.

S. GREGORIUS M. *in Libris Moralium præſertim V. & XX.* ubi plura habet capita in hæreticos.

S. ISIDORUS HISPALENSIS *Libro I. Sententiarum cap.* 16. generatim de hæreticis: & *Epiſtola* 4. ne quis indoctus cum iis diſputet.

S. ANASTASIUS SINAITA *in viæ duce, ſæpius.* Sic *capite* 7. oſtendit, quomodo hæretici cum SS. Patribus agant.

S. ANTIOCHUS *homilia* 130. *de hæreticis.*

GUITMUNDUS AVERSANUS *in fine libri* 3. *de corpore & ſanguine Domini* graviſſimam habet adhortationem ad hæreticos.

S. BERNARDUS *Sermonibus continuis* 64. 65. & 66. *in Cantica* de hæreticis clancularíis.

PETRUS VENERABILIS in *Summula* quadam brevi *contra hæreſes:* Et *Tractatu adverſus Petrobruſianos.*

GUILIELMUS PARISIENSIS *Libro* I. *de moribus*, ubi egregie deſcribit hæreticos.

Quæ pertinent ad hæteticos puniendos, & adimendam eam, quam identidem crepant, conſcientiæ libertatem egregie, & ſpeciatim faciunt *S. Pacianus Epiſtola* 2. *ad Sympronianum: S. Auguſtinus Epiſtolis* 88. *alias* 68; 93. *alias* 48; 105. *alias* 166; 134. *alias* 160; 183. *alias* 159; 185. *alias* 50. Item *Libro I. contra Epiſtolam Parmeniani: Libro I. contra duas Epiſtolas Gaudentii: Libro III.*

contra

contra Creſconium cap. 51. *S. Leo Sermone* 5. *de jejunio decimi menſis*, & *in Epiſtolis non ſemel. Gelaſius Papa in Epiſtola ad Euphemianum. S. Joannes Damaſcenus contra Manichæos. S. Bernardus Sermonibus citatis.* Quo autem ſenſu *Sermone* 65. *in Cantica* hæreticos non armis, ſed argumentis velit capi, vide Notam Merlonis Horſtii in eundem locum.

Adde Titulo *de Hæreſi* titulos affines *de Eccleſia: de Fide: de Scriptura: de Traditione: de Conciliis: de Summo Pontifice.*

TITULUS XXIII.

De *Inferno*, ejusque duplici pœna, damni & ſenſus.

CAPUT I.

Loci.

Nec tormentis aut modus ullus aut terminus. Illic ſapiens ignis membra urit, & reficit, carpit & nutrit. MINUTIUS FELIX *in Octavio, prope finem.*

Continuus & ſuperfluus erit illarum lacrimarum decurſus. Stridorem illum dentium flammæ inextinguibiles agitabunt. Immortales miſeri vivent: incendia & inconſumptibiles flammæ nudum corpus allambent. Ardebit purpuratus dives, nec erit qui æſtuanti linguæ ſtillam aquæ infundat. In proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter ſartagines flammeas miſerabilia corpora cremabuntur, & omni tormento atrocius deſperatio condemnatos affliget. *Creditus* CYPRIANUS *Sermone de Aſcenſione Chriſti, ſub finem.*

Idem divinus ignis una eademque vi atque potentia & cremabit impios, & recreabit: & quan-

tum e corporibus abſumet, tantum reponet, ac ſibi ipſe æternum pabulum ſubminiſtrabit. Lactantius *Libro VII divinarum inſtitutionum cap.* 21.

Timete dilectiſſimi juſta judicia, ommittite errorem, damnate delicias! Properat jam tempus extremum. Tartarus & gehenna laxatos impiis ſinus pandunt. Poſt animarum tempeſtiva ſupplicia redivivis quoque perpetua corporibus pœna ſervatur. Nemo Titii jecur credat, & vulturem Poëtarum. Ipſe ſibi materiam recreſcentium corporum reparat ignis æternus. S. Pacianus *in Parœneſi ad Pœnitentiam, verſus finem.*

Vim ejus & de præſentibus æſtimate, cujus fumariola quædam montes ſubterranenis ignibus decoquunt. Æſtuat indefeſſis flammarum globis Æthna Siculus, & Veſuvius Campanus: &, quo nobis judicii perpetuitatem probent, diſſiliunt, devorantur, nec ullis tamen ſæculis finiuntur. *Idem eadem Parœneſi.*

Sæculares ecce ignes timemus, & carnificum ungulas expaveſcimus! comparate cum his æternas torquentium manus, apicesque flammarum nulla ætate morientium. Per ego vos Eccleſiæ fidem fratres! per ſolicitudinem meam, per communes omnium animas obteſtor, & deprecor, ne pudeat in hoc opere, ne pigeat oportuna quamprimum remedia ſalutis invadere, dejicere mœroribus animum, ſacco corpus involvere, cinere perfundere, macerare jejunio, mœrore conficere, multorum precibus adjuvare. In quantum pœnæ veſtræ non peperceritis, in tantum vobis Deus parcet. *Idem ibidem.*

Si ejus qui eſt e patria ejectus omnes miſerentur, & qui amiſit hæreditatem videtur omnibus miſerabilis: qui a cœlo excidit a bonis quæ illic ſunt repoſita, quam multis plorari debet lacrimis? imo vero nec plorari. Ploratur enim quiſpiam quando aliquid ei acciderit, cujus ipſe non eſt cauſa; quando

autem

autem libero ſuo arbitrio ſeipſum vitio quisquam dediderit, non lacrimis, ſed lamentationibus atque luctu tunc erit dignus . . . . Innumerabilibus revera ejulatibus, innumerabilibus lamentationibus digni ſumus. Si univerſus orbis terræ, & lapides, & ligna & arbores & feræ & aves, & ut ſemel dicam totus orbis terræ voce accepta nos defleat qui a bonis illis excidimus, nihil ut par eſt deflebit vel lamentabitur. S. CHRYSOSTOMUS *Homilia* 23. *in ad Hebræos.*

Cogitemus quantum ſit malum uri perpetuo, & eſſe in tenebris, & innumerabiliter emittere ejulatus, & ſtridere dentibus, & ne audiri quidem! *Idem homilia* 1. *ad Hebræos, in Morali.*

Quantas delicias & quantum temporis illis ſuppliciis vis comparari? Vis ne centum annos, aut duplo amplius? Quid hoc erit ſi comparetur cum ſæculis infinitis? Quod enim eſt ſomnium unius diei ad totam vitam collatum, id ipſum eſt rerum præſentium uſura, futurorum ſtatui comparata. Num aliquis eſt qui ſuave ſomnium optet ea conditione, ut per totam vitam crucietur? Ecquis ita ſtultus eſt, ut ad talem retributionem accedat? *Idem S. Doctor Paræneſi* 1. *ad Theodorum.*

At verborum (de Inferno) times importunitatem? Num ſi ſileas gehennam extinxeris? num ſi dixeris accenderis? Seu dixeris, ſeu non dixeris exardeſcet ignis. De ea dicatur aſſidue, ut nunquam in eam incidas. Fieri non poteſt, ut anima de gehenna ſolicita cito peccet. Audi enim optimam admonitionem. In memoriam revoca noviſſima tua, & in æternum non peccabis. . . . Nullus ex iis, qui gehennam habent ante oculos, incidet in gehennam: nullus ex iis qui gehennam deſpiciunt, effugiet gehennam. *Idem Homilia* 2. *in II. ad Theſſalonicenſes.*

Sed quonam in loco, inquies, erit (gehenna?) Extra mundum hunc totum, ut ego puto. Quemadmodum enim regum carceres & metalla procul poſita ſunt: ita extra mundum hunc erit gehenna. Ne ergo quæramus ubinam ſit; ſed quomodo illam effugiamus, *Idem Homilia* 31. *in ad Romanos, & Homilia in ſecundum Chriſti adventum, inter Spuria, Tomo VIII. Montfauconi.*

Hic quando contingit ille conflictus (ſupplicii ſcilicet, & ſenſus) aut dolor vincit, & ſenſum mors adimit: aut natura perdurans vincit, & dolorem ſanitas tollit; ibi autem & dolor permanet, ut affligat, & natura perdurat, ut ſentiat; quia utrumque ideo non deficit ne pœna deficiat. S. AUGUSTINUS *Libro XIX. de Civitate cap.* 28.

Quare in inferno mors quæritur, & non invenitur? quia quibus in hoc ſæculo vita offertur, & nolunt accipere, in inferno quærent mortem, & non poterunt invenire. *Idem Sermone* 252. *de Tempore, nunc* 229. *in Appendice nova. Eſt Cæſarii Arelatenſis* 52.

Sicut nullum gaudium rerum temporalium ex aliqua parte ſimile poteſt inveniri gaudio vitæ æternæ, quam ſancti accepturi ſunt: ita nullus cruciatibus comparari. *Idem Libro de catechizandis rudibus cap.* 24.

Quæ quisque gravia valde patitur in hac vita, in comparatione æterni ignis non parva ſed nulla ſunt. *Idem Sermone* 22. *alias* 109. *de Tempore.*

Si non veniret ignis Dei judicii, & ſola peccatoribus immineret ſeparatio a facie Dei, in qualibet eſſent affluentia deliciarum, non videntes a quo creati ſunt, & ſeparati ab illa dulcedine ineffabili vultus ejus, in qualibet æternitate, & impunitate peccati plangere ſe deberent. Sed quid loquor, aut quibus loquor? hæc amantibus pœna eſt, non contemnentibus. Qui dulcedinem ſapientiæ, & veritatis

tatis utcunque ſentire cœperunt, noverunt quod dico, quanta pœna eſt tantummodo a facie Dei ſeparari. Qui autem illam dulcedinem non guſtaverunt, ſi nondum deſiderant Dei faciem, timeant vel ignem. Supplicia terreant, quem præmia non invitant Vile tibi eſt quod Deus pollicetur? contremiſce quod minatur. Veniet dulcedo præſentiæ. Non mutaris? non excitaris? non ſuſpiras? non deſideras? Amplexaris peccata tua, & delicias carnis tuæ? Stipulas ad te congeris. Veniet ignis: *Ignis in conſpectu ejus ardebit.* Non erit iſte ignis ſicut focus tuus; quo tamen ſi manum mittere cogaris, facies, quidquid (ille) voluerit, qui hoc minatur. Si tibi dicat: Scribe contra caput patris tui, ſcribe contra capita filiorum tuorum; nam ſi non feceris, manum tuam mitto in focum tuum: facies; ne ardeat manus tua, ne ardeat ad tempus membrum tuum, non ſemper in dolore futurum. Minatur ergo inimicus tam leve malum, & facis malum: minatur Deus æternum malum, & non facis bonum. *Idem Enarratione in pſalmum* 49.

Ardens inferni puteus aperietur. Deſcenſus erit, reditus non erit. Illic denudati & capitaliter mortui in perpetuum demergentur, dejiciendi in tenebras exteriores, infeliciter excluſi, infelicius excludendi. De hoc puteo Propheta commemorat: *Neque abſorbeat me profundum, neque urgeat ſuper me puteus os ſuum.* Ideo autem dixit: Neque urgeat ſuper me os ſuum, quia cum ſuſceperit reos, claudetur ſurſum, & aperietur deorſum, dilatabitur in profundum. Nullum ſpiramen, nullus liber anhelitus clauſtris deſuper urgentibus relinquetur. Detrudentur illuc valedicentes rerum: ultra neſcientur a Deo, qui Deum ſcire noluerunt, morituri vitæ, & morti ſine fine victuri. EUSEBIUS GALLICANUS *homilia* 3. *de Epiphania.*

Illud autem quomodo trepidus, & male conſcius ſermo poterit explicare, cum cœperit inexpiabilis caro, & infectæ carnis medullæ ſævis gehennæ æſtibus penetrari, & more ferventium, ac decoquentium metallorum inextinguibili ardore tota hominis ſubſtantia infundi, & depaſcentibus flammis corpora atque animas ex parte conſumi, ex parte nutriri, ut inter medios ignium globos damnata natura det pabulum, & accipiat incrementum! *Idem Homilia* 1. *ad Monachos.*

Occidente itaque pœna, & vivificante ſententia ſtabit ſæculis materia reparabilis, & nunquam ad metam malorum termino fugiente perveniet: & dum ſibi nullam ſpem promittere poterit, vel poſt immenſa tempora jam etiam in præſenti ſentientur conſequentium tormenta ſæculorum, ac ſic dolorem mortis conſcientiæ impoſita immortalitas augebit. *Idem ibidem.*

Væ, qui hæc lugenda impoſterum, ridenda nunc deputant! væ, quibus hæc prius experienda ſunt, quam credenda! *Idem ibidem.*

Non tanti eſt vita, ſi ad hoc vivat homo, ut in paucis hujus vitæ annis conſumat æternos, & ſub brevi fine congreget ſibi pœnas ſine fine manſuras. *Idem homilia de latrone beato.*

Julianus Pomoerius *de inferni cruciatibus eleganter:* Torquent animas, nec extorquent, puniunt corpora damnata, nec finiunt. *Libro III. de vita contemplativa cap.* 12.

Memoria æterni ignis tecum ſingulis noctibus dormiat, tecumque evigilet. S. Joannes Climacus *de luctu, gradu* 7.

Idem *Gradu* 4. narrat, ſe dum monaſteria viſitat, reperiſſe fratrem, miniſterio culinæ occupatum, qui dono lacrimarum mirabili polleret, quem rogans, unde id adeptus eſſet, audivit: Ex ignis, quem perpetuo cernebat, conſpectu vaſta ignis inferni

ferni incendia animo verſaſſe, quæ conſideratio uberes ex oculis lacrimas ſoleret elicere.

Fit ergo miſeris mors ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu; quia & mors vivit, & finis ſemper incipit, & defectus deficere neſcit. S. Grregorius M. *Libro X. moralium cap.* 66.

Ecce, quæ maneat damnatos pœna, cognovimus: & inſtruente nos ſacro Eloquio quantus in damnatione ignis, quanta in igne obſcuritas, quantusque in obſcuritate pavor ſit nullatenus ambigimus. Sed quid prodeſt iſta prænoſſe, ſi non contingat evadere? *Idem ibidem.*

Ne nos ipſos decipiamus. Detur enim quod voluptati per totam vitam noſtram vacaverimus: ſed quid ad infinita ſæcula? hic enim & bona & mala finem habent: illic autem immortales pœnæ. Hic ſi ardeat corpus, egreditur anima: illic vero incorrupto reſurgente corpore ſemper anima comburitur, & peccatores enim incorrupti reſurgunt. Non ut honorentur, ſed ut immortaliter in tormentis permaneant. Si itaque balnei vehementiorem vaporem non ferimus, quomodo feremus igneum flumen? Joannes Jejunator Patriarcha Conſtantinopol. *homilia de pœnitentia, continentia & virginitate.* Eſt ultima apud Chryſoſtomum *Tomo I. Ducæano.*

Sic morientur, ut ſemper vivant; & ſic vivent, ut ſemper moriantur. Hugo a S. Victore *Libro I. de anima cap.* 3.

Hæc levia ſunt meditanti flammas perpetuas. S. Bernardus *Epiſtola I. ad Robertum nepotem, ante finem.*

Mors depaſcet eos; quia ſemper morientur ad vitam, & ſemper vivent ad mortem. *Idem Sermone* 2. *in illud:* Regnum Dei non eſt eſca, & potus. *Eſt.* 19. *de diverſis.*

Quid tam pœnale, quam ſemper velle, quod nunquam erit & ſemper nolle, quod nunquam non erit?

erit? . . . in æternum non obtinebit, quod vult, & quod non vult, in æternum nihilominus ſuſtinebit. *Idem Libro V. de Conſideratione cap.* 12.

Deſcendant in infernum viventes; videlicet ne deſcendant morientes. Guilielmus *Abbas S. Theodorici, ad fratres de monte Dei, propius initium.*

CAPUT II.

Fontes.

Tertullianus *Libro de Pœnitentia cap.* 12.

Origenes *Homilia* 9. *in Hieremiam*, de utilitate gehennæ.

S. Cyprianus *Libro ad Demetrianum, prope finem,* & *Libro de laudibus martyrii cap.* 12.

Lactantius *Libro VII. divinarum Inſtitutionum cap.* 21.

S. Ephræm *Parœneſi* 48. *ad Monachum acediæ deditum &c. Tomo II. novo græco-latino.* Adde ejusdem de tormentis in inferno perferendis *interrogationes & reſponſiones, Tomo II. græco-latino novo pag.* 382.

S. Basilius M. *Homilia in Pſalmum* 33. *verſ.* 12.

S. Chrysostomus *Parœneſi* 1. *ad Theodorum lapſum*, jam ante laudata, egregie de pœnis inferni dicit.

Sed etiam *Libro* 1. *de Providentia.*

Homiliis 24. 37. 38. 44. 77. *in Matthæum.*

Homilia 21. *in Acta.*

Homiliis 25. & 31. *in ad Romanos.*

Homilia 9. *in I. ad Corinthios.*

Homiliis 9. & 10. *in II. ad Corinthios*, practice & præclare.

Homiliis 6. & 13. *in ad Philippenſes.*

S. Chry-

S. Chrysostomus *Homilia 7. in I. ad Theſſalonicenſes.*

Homilia 15. in I. ad Timotheum,

Homilia 3. in ad Philemonem.

Homilia 28. in ad Hebræos.

Sermone item de præmiis Sanctorum, & de gehenna ſi ſit, & ubi ſit.

S. Augustinus *Libro XXI. de Civitate fere toto.*

In Enchiridio capitibus 111. 112. 113.

Tractatu de triplici habitaculo.

Libro de Spiritu & Anima cap. 56.

In pſalmos 48. & 49.

S. Cyrillus Alexandrinus *Oratione de exitu animi, & de ſecundo adventu. Tomo V. Parte* 2.

Salvianus *Libro* 4. *de Gubernatione*, quod ipſimet inferni flammas ſuccendamus.

Julianus Pomoerius *loco ſupra allegato.*

S. Fulgentius *Libro de Fide ad Petrum Diaconum cap.* 43. Et *Libro II. de remiſſione peccatorum capitibus* 13. & 21.

S. Gregorius M. *Libro IX. Moralium, capitibus ultimis.*

Libro XV. Moralium, capitibus pluribus.

Libro XXXIV. Moralium cap. 19.

Libro IV. Dialogorum, capitibus 28. & 44.

Idem videndus etiam capitibus 12. & 13. *ejusdem operis, ac libri.*

Esaias *Abbas Oratione* 29.

Hugo Victorinus *Libro I. de anima cap.* 3. & *opuſculo antepenultimo de fide hominis, capitibus* 3. 4. 5. ac *Opuſculo ultimo de ſtatu futuri ſæculi.*

S. Bernardus *Sermone* 16. *in Cantica: Libro V. de conſideratione cap.* 12.

Richardus a S. Victore *Libro de poteſtate judiciaria in extremo judicio.*

S. Ber-

S. BERNARDINUS SENENSIS *Tomo II. Sermone* 12 cur culpa temporalis æterna pœna plectatur. *Idem* de Inferno agit *Tomo eodem Sermone* 22. & *Tomo III. Sermone* 18 *extraordinario.*

S. THOMAS A VILLANOVA *Concione I. in Dominicam I. Adventus.*

Supereſſent multi alii; verum iſti omnia occuparunt, quæcunque dici poſſunt.

TITULUS XXIV.

De *Judicio* divino, Generali & Particulari.

CAPUT I.

Loci.

Deſcribe mihi in mente tua extremum communis vitæ finem, cum veniet filius Dei in gloria ſua cum Angelis ſuis. *Veniet enim, & non ſilebit.* Nimirum quando veniet judicaturus vivos & mortuos, atque unicuique ſecundum opus ſuum redditurus: quando tuba illa magnum quiddam ac horrendum ſonans excitabit eos, qui ab orbe condito dormierint, & procedent qui bona fecerint in reſurrectionem vitæ, qui vero mala, in reſurrectionem judicii. Revoca tibi in memoriam Danieli oblatam Dei viſionem quomodo nobis ob oculos judicium ponat! Aſpiciebam, inquit, donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit. Veſtimentum ejus candidum quaſi nix, & capillus capitis ejus quaſi lana munda. Rotæ ejus ignis ardens. Flumen ignis trahebat in conſpectu ejus. Mille millia deſerviebant ei, & dena millia denum millium aſſiſtebant ei. Judiciique locum conſtituit, & libri aperti ſunt, Bona, mala, manifeſta, occulta, actiones, verba, cogitationes, omnia acervatim,

vatim, ut ab omnibus & Angelis & hominibus exaudiri poſſint, clare, & aperte revelantes. Ad hoc quomodo affectos neceſſe eſt eſſe eos qui male vixerint? Ubi itaque anima illa abſcondetur, quæ in oculis tot ſpectatorum ſubito viſa fuerit dedecoris plena? Quali vero corpore infinita illa & intolerabilia perferet ſupplicia, ubi ignis inextinctus & vermis indeſinenter puniens, & imum inferi tenebricoſum & horrendum, & ululatus amari, & ejulatus ingens, & ploratus, & ſtridor dentium, & ubi mala finem non habent? Ab his poſt mortem liberari non datur, neque eſt induſtria ulla neque ars effugiendi amara ſupplicia. Hæc nunc vitare licet. Dum autem licet, erigamus noſmet ipſos ex caſu, neque de nobis ipſi deſperemus, ſi a malis diſceſſerimus. S. Basilius M. *Epiſtola 46. alias 5. ad Virginem lapſam.*

Quando viderint terram moveri, pulverem miſceri, ex æquo undique excitari corpora, nemine ad hoc inſerviente, ſed juſſu ſufficiente ad terram repletam exinaniendam (cogita enim quantum ſit omnes ab Adamo usque ad ejus adventum tunc illic ſtare cum uxoribus & filiis) Quando inquam in terra tantum viderint tumultum, tunc ſcient. . . Qualis ergo tremor, qualis metus invadet eos qui vivent in terra? una enim rapitur, & una dimittitur: & unus aſſumitur, & unus dimittitur. Quis erit eorum animus cum illos quidem in altum tolli, ſe vero dimitti viderint? An non quavis gehenna terribilius poterunt hæc perterrere? Ponamus ergo verbis, jam hoc adeſſe. Si enim mors repentina, vel in urbibus terræ motus & ruinæ ita noſtros afficiunt animos: quando viderimus effractam terram & illis omnibus repletam: quando tubas audierimus; quando Archangeli vocem quavis tuba clariorem: quando viderimus cœlum contrahi: quando ipſum adeſſe omnium Regem

Deum

Deum, quis erit nobis animus? Horreamus rogo & extimeſcamus tanquam hæc jam fiant. Ne dilatione & mora nosipſos conſolemur. Nam cum omnino fieri oporteat, nihil juvat dilatio. Quantus tunc eſt tremor, quantus metus! Vidiſtis aliquando eos qui abducuntur ad mortem. Quo animo eos eſſe putatis ingredientes viam usque ad portam quot mortibus non pejorem? Quid non eligant & agere & pati ut ab illa liberentur caligine & nube? Ego multos audivi qui Imperatoris clementia poſtquam abducti fuerant, erant revocati, quod nec homines viderint tanquam homines; adeo erat turbatus & ſtupefactus & emotus animus. Si nos ita terret mors corporalis, quando advenerit æterna quomodo erimus affecti? Et quid dico de iis qui ad mortem abducuntur? Tunc eos circumſiſtit turba, plures ipſos ignorantes; ſi quis tamen illorum animos circumſpexerit, nemo eſt adeo ſævus, nemo tam forti & magno animo, qui non ipſam habeat animam conſternatam, ac dejectam, & metu & ægritudine diſſolutam. Si autem aliis hanc mortem ſuſcipientibus, quæ a ſomno nihil differt, ita afficiuntur, qui ejus non ſunt participes: quando nos ipſi in majora inciderimus, quomodo nos habebimus? Non poteſt, non poteſt, credite, verbis explicari, quomodo afficiemur. S. CHRYSOSTOMUS *homilia* 8. *in ad Theſſalonicenſes.*

Idem homilia 10. *in* 2. *ad Corinthios*: Exiſtimemus igitur diem illum extremum nunc adeſſe; quisque conſcientiam conſideret, fingatque animo adeſſe jam judicem, omniaque detegi, atque in medium proferri An non erubuiſtis? An non mente exceſſiſtis? Quod ſi nunc re nondum præſente ſed efficta duntaxat atque animo adumbrata conſcientia noſtra pene nos exanimat: quid tandem faciemus cum dies ille venerit, cum totus orbis terrarum

rum adfuerit, cum Angeli, & Archangeli, cum denſa agmina atque omnium curſus & raptus in nubibus, & acies tremoris plena? cum tubæ aliæ atque aliæ & continuæ illæ voces? Nam etiamſi nulla gehenna eſſet, tamen in tanto ſplendore rejici, & cum ignominia ſecedere quantum tormentum eſſet? &c.

Unusquisque igitur in ſuam conſcientiam veniens, & peccata recogitans, rationem accurate ab ſe repetat, ne tunc cum mundo damnemur. Horrendum quippe eſt: judicium illud, tremendum tribunal, terroris plenæ rationes reddendæ, & fluvius igneas undas agens. *Frater non redimit: redimet homo?* Recordare eorum quæ in Evangelio dicuntur, Angelorum circumcurſantium, clauſi thalami, lampadum extinctarum, poteſtatum in fornaces trahentium; & illud tecum reputa: ſi noſtrum cujusſpiam occultum facinus aliquod in medium hodie afferretur, in Eccleſia tantum, an non mallet interire, & terram ſibi dehiſcere potius, quam tot nequitiæ teſtes habere? Quid ergo tunc patiemur, cum coram orbe toto omnia afferentur in tanto, tam ſplendido theatro, & notis, & ignotis omnia conſpicientibus? at væ mihi, undenam territare vos cogor? ab hominum æſtimatione, cum a timore Dei oporteret, & ab ejus condemnatione. Quinam quæſo te, erimus, cum vincti, dentibus ſtridentes, in exteriores tenebras ducemur? imo quid faciemus, quod omnium terribiliſſimum eſt, cum Deo occurremus? Si quis enim ſenſum & mentem habeat, certe jam gehennam ſuſtinuerit, cum a facie Dei expulſus erit. *Idem homilia 5. in ad Romanos.*

Idem homilia 14. in ad Romanos, quam ad ſtuporem ipſum ſummi Judicis adventum ob oculos ponit! Cogitatione aſcende, & ſupra hoc cœlum inſtans contemplare ipſum hoc ſuperius cœlum, ſublimi-

 tatem

tatem immenſam, lucem horrore plenam, angelorum populos, archangelorum cœtus innumeros, alias incorporeas virtutes. Ac rurſus a ſuperioribus illis deſcendens imaginem rerum quæ in terra ſunt aſſume, depinge tibi terrenum Imperatorem; nimirum homines auro onuſtos, bigas alborum mulorum, qui auro ornantur, currus lapillis decoratos ſtratum niveum, & candidum, laminas in curribus agitatas, dracones in veſtibus ſericis exhibitos, clypeos aureis umbilicis ornatos, lora ex iis ad ſummas rotas per lapillos multos extenſa, equos auro onuſtos, & frena aurea. At cum ipſum Imperatorem videmus, nulli jam dictorum attendimus. Tunc ille ſolus nos ad ſe convertit, purpurea indumenta, diadema, cathedra, fibula, calcei, oris ſplendor magnus. His omnibus accurate collectis rurſus ad ſuperna cogitationes erige, atque ad illum tremendum diem quo Chriſtus adveniet. Non enim bigas mulorum tunc videbis, neque currus aureos, neque dracones & clypeos, ſed quæ multo plena ſunt honore, tantumque terrorem immittunt, ut ipſæ incorporeæ virtutes percellantur. Nam ait: *Virtutes cœlorum movebuntur.* Tunc aperietur totum cœlum, & apſidum illarum portæ expandentur. Deſcendet unigenitus Dei filius non viginti, non centum haſtatis ſatellitibus ſtipatus, ſed millenis, decies millenis Angelis, Archangelis, Cherubim, Seraphim, ceteriſque virtutibus: omniaque erunt timore & tremore plena, dirupta terra, hominibus omnibus ab Adamo uſque ad illum diem de terra aſcendentibus & raptis, ipſo Chriſto cum tanta gloria ſeſe exhibente, ut & luna & ſol & omne lumen occultetur a tanto ſplendore illuminatum. Quis ſermo illam beatitudinem repræſentabit, illum ſplendorem & gloriam. Heu mihi o anima! nunc enim lachrymari ſubit, & valde ingemiſcere cogitanti ex quantis bonis excidimus,

a quanta

felicitate alieni evadimus. Nam alieni ſumus (de me ipſo loquor) niſi magnum quidpiam, & mirabile operemur.

Vere vox magna tubæ terribilis, cui omnia obaudiunt elementa, quæ petras ſcindit, inferos aperit, clauſuras tenebrarum pertranſit, portas æreas conterit, vectes adamantinos, & ferreos confringit, vincula mortis disrumpit, & de profundo abyſſi animas liberatas corporibus ſuis aſſignat! AUCTOR OPERIS IMPERFECTI *in Matthæum homilia* 49.

Judicaturo Domino lugubre mundus immugiet, tribus ad tribus pectora ferient, potentiſſimi quondam reges nudo latere palpitabunt. Exhibebitur cum prole ſua vere tunc ignitus Jupiter. Adducetur & cum ſuis ſtultus Plato diſcipulis. Ariſtotelis argumenta non proderunt. Tunc tu ruſticanus, & pauper exultabis, & ridebis. *Idem Epiſtola* 14. *alias* 1. *ad Heliodorum, in fine.*

Sedebit Judex qui ſtetit ſub judice. Damnabit vero reos, qui factus eſt falſus reus. S. AUGUSTINUS *Sermone* 127. *alias* 64. *de Verbis Domini.*

Ipſe judicat. Securi ſint boni! judicem ipſorum nullus adverſarius corrumpit, nullus advocatus circumvenit, nullus teſtis illudit. Sed quam ſecuri ſunt boni, tantum timeant mali. *Idem Libro de ovibus, circa medium.*

Curioſitas abſcedat; pietas ſuccedat. Quid ad te quando veniet (tempus judicii). Sic vive quaſi hodie venturum ſit: & non timebis cum venerit. *Idem Sermone* 265. *alias* 6. *inter additos a Pariſienſibus cap.* 3.

Quamdiu in hoc corpuſculo poſiti ſumus, conceditur nobis ſciſſa redintegrare, maculata diluere, vulnerata ſanare: quidquid autem hic non redemerimus mortifera ſecuritate decepti, integrum nobiscum inſanabili cum dolore reportabimus ad ſanctorum præſentiam, atque ad ipſum tremendi Judi-

cis majeſtatem. Et quid de nobis erit, ſi cum talibus ornamentis proceſſuri ſumus in illum conventum omnium Sanctorum? qui dies ille, quæ trepidatio, quæ terræ, & cœli ſpectatio erit, cum inter aliorum præclara geſta, & illuſtria merita, aliorum probra, & dedecora proferentur! Et quid gravius, quid intolerabilius, quam ſi illo tempore malorum ignominia reveletur, quo bonorum gloria manifeſtabitur? multo enim invidioſior, & damnabilior erit cauſa criminum ſub aſſiſtentium comparatione virtutum. Quid erit terroris, quid miſeriæ, quid mœroris, quando ſub illo admirabili Apoſtolorum, Martyrumque concilio, ſub illo angelorum ſydereo, ac præfulgente conſeſſu cum rubore veterum delictorum diverſis tetra maculis anima producetur! quando latiſſimam iniquitatum ſuarum, confuſibilemque vitæ totius hiſtoriam ante oculos ſuos videbit exponi, ut illam inaudita clamantium vox malorum conſcientia obmuteſcente, & deficiente condemnet! EUSEBIUS GALLICANUS *homilia* I. *de aſcenſione.*

Ille veniet ad judicandum nos, qui ſe judicio meminit addictum pro nobis. Ille veniet ad diſcutiendam vitam noſtram, qui eam reſtituit per mortem ſuam. Ille inquam pro commiſſa nobis ſalute noſtra rationem exacturus eſt, qui pro noſtra redemptione damnatus eſt. Qui tantum contulit, ſcit quantum repoſcat. *Idem homilia* I. *de ſymbolo.*

Prima erit in reos intoleranda ſententia reverendarum præſentia cicatricum. Quid igitur illo tempore facturi ſumus, quando contra illos crucifixi Domini livores notæ peccatorum noſtrorum, ac maculæ libidinum proferentur? aut quo putas vultu reſpiciet redemptio noſtra perditionem noſtram? Tanto graviora erunt humana delicta, quanto majora ſe oſtenderunt divina beneficia. Verendum

rendum eſt autem, ne illam vocem Reſurrectionis etiam in judicio ſuo ad vaſa iniquitatis prolaturus, atque dicturus ſit: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum:* & agnoſce, quæ pro te, & a te impietas humana! pertulerim. Illa utique clavornm ſigna bonis ſalutaria, malis terribilia, quæ usque ad diem judicii non delentnr, ſine dubio objicienda ſervantur. Et quid poſt hæc ſequitur, niſi illud interpoſitum inter vivos, & mortuos expaveſcendum chaos, vaſtumque diſcrimen, excluſæ a natura viventium tenebræ exteriores, dura ſeparatio a dulci intuitu Sanctorum, & a ſocietate fidelium: & e contrario inter lachrymabiles gemitus, planctusque lugentium collegium triſte miſerorum, & a beata patria æternum teterrimæ noctis exilium? Quam lugubre erit homini Deum videre, & perdere, & ante pretii ſui perire conſpectum! Et ideo chariſſimi! iſta, dum tempus eſt, cogitantes, ita indefeſſo ſtudio laboremus, ut quod nobis contulit judicatus, integrum in nobis inveniat judicaturus. *Idem homilia* 4. *ad Monachos.*

Sublato ex oculis cœlo erunt in proſpectu angelicarum virtutum ordines cum fulgore. Mille millia procurrent, & decies mille millia. Conſpicitur vero deſcendens Dominus, dum nimia luce circa ſe præfulgurat univerſa. Quis ejusmodi ſpectando par erit? quis terrori moderabitur? Nam ſi fulgur crebro intermicans non ferimus, & non raro ſplendor intuentem ſolo affligit: quid tum dicet, qui eum ipſum qui facit fulgura, vederit emicantem? S. BASILIUS SELEUCIENSIS *Oratione* 43. *in Transfigurationem Domini.*

Præcones venturi Judicis ſumus. Quis ergo venturum judicem nuntiet, ſi præco tacet? S. GREGORIUS M. *homilia* 16. *in Evangelia, ante medium.*

Hoc tempus miſericordiæ eſt. Illud tempus judicii erit. Per iſta ergo hujus temporis flagella ſignificas, quomodo tunc percuſſurus es, quando non parcens judicas, qui ſic diſtricte modo percutis, quando parcis. *Idem Libro XIX. Moralium cap.* 28.

O anima ſterilis quid agis? quid torpes anima peccatrix! Dies judicii venit, juxta eſt dies Domini magnus, juxta & velox nimis. Dies iræ dies illa: dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ: dies tenebrarum & caliginis: dies nebulæ & turbinis: dies tubæ, & clangoris. O vox diei Domini amara! Quid dormitas anima tepida, & digna evomi? quid dormitas? Qui non expergiſcitur, qui non tremit ad tantum tonitruum non dormit, ſed mortuus eſt. S. ANSELMUS *Meditatione* 2. *de terrore judicii.*

O anguſtiæ! hinc erunt accuſantia peccata; inde terrens juſtitia, ſubtus patens horridum chaos inferni, deſuper iratus Judex, intus urens conſcientia, foris ardens mundus. Juſtus vir ſalvabitur, peccator ſic deprehenſus in quam partem ſe premet? conſtrictus ubi latebo, ubi apparebo! Latere erit impoſſibile, apparere intolerabile. *Idem ibidem inferius.*

Libenter illius judicium ſubeo, & amplector ſententiam, qui pro miſerrimo, & indigno ſervo ſuo judicatus & mortuus eſt, & ne me damnaret ad gehennam, ad crucem ſe damnari permiſit. Hunc non recuſo judicem, quem habui Redemptorem. S. THOMAS VILLANOVANUS *Concione* I. *in I. Dominicam Adventus.*

TITU-

CAPUT II.

Fontes.

TERTULLIANUS *Libro de ſpectaculis, capite ultimo* graviſſimis verbis docet, quanta ſint orbi ſpectacula exhibenda in die illo judicii.

ORIGENES *Libro IX. in ad Romanos cap.* 14. Et jam ante *Libro II. cap.* 2.

S. HIPPOLITUS *Martyr* (ſi tamen ipſe eſt auctor) *Oratione de conſummatione mundi, & Antichriſto, ac ſecundo Adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti*

LACTANTIUS *Epitomes cap.* 8. *de fine mundi.* Et fuſius *Libro VII. inſtitutionum divinarum, pluribus capitibus.*

S. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS *Catecheſi* 15. *ad Illuminatos.*

S. EPHRÆM *ſermonibus de reſurrectione: de Antichriſto: de apparitione crucis: de judicio ipſo: Opuſculo de variis quæſitis:* Et *ſermone de compunctione animi &c. De Panoplia ad Monachos.* Et recte de eo S. Joannes Damaſcenus, *de iis, qui in fide dormierunt:* Ad hæc beatus Ephræm, cui ſecundus Chriſti adventus exactiſſime manifeſtatus fuit, ſic etiam loquitur &c.

S. BASILIUS M. *homilia in pſalmum* 33. de pudore graviſſimo hoc in judicio a reis omnibus ſuſtinendo.

Oratione de futuro judicio, quam inter opera divi Ephræm vulgavit primus Gerardus Voſſius.

Homilia 7. in divites pathetice de expoſtulationibus pauperum oppreſſorum, ipſorumque etiam ſcelerum coram Dei judicio.

S. BASILIUS *Libro de vera virginitate*, ubi iterum fuſe de pudore.

Adde *homiliam* 11. *in Hexaemeron, & Proœmium in Ethica.*

S. GREGORIUS NYSSENUS *in ſextum pſalmum de octava: Oratio* 2. *in verba:* Faciamus hominem: *Et Oratine* 5. *de Beatitudinibus. ad finem.*

S. AMBROSIUS *Libro* I. *in Lucam, fuſe.*

S. CHRYSOSTOMUS *in Epiſtolis ad Olympiadem,*
Paræneſi I. *ad Theodorum lapſum.*
Homiliis 5. 14. *&* 25. *in ad Romanos.*
Homilia 10. *in II. ad Corinthios.*
Homilia 2. *in ad Coloſſenſes.*
Homilia 2. *in II. ad Theſſalonicenſes.*
Homilia 3. *in II. ad Timotheum.*
Homilia in 2. *Adventum Chriſti, quæ eſt conſarcinata ex homiliis* 25. *&* 31. *in ad Romanos, Tomo VIII. Montfauconi. Præcipue vero in caput* 24. *&* 25. *Matthæi.*

SULPITIUS SEVERUS *Epiſtola* I. *tota ad Claudiam ſororem,* ubi eſt plurimus in oſtendendo, quod nullam ibi excuſationem habituri ſimus.

S. HIERONYMUS frequens eſt in argumento judicii, præſertim *Commentariis in Eſaiam: in Danielem: in Joëlem: in Amos: in Sophoniam: in Malachiam.* Adde *Epiſtolam ipſi tributam ad amicum, quem inſtituit in ſcientia divinæ Legis, & Commentarium in pſalmum* 49.

S. AUGUSTINUS *locis innumeris, præſertim Libro XX. de Civitate fere toto, & ſequentibus duobus: Epiſtolis* 197. *&* 199. *alias* 78. *&* 80. *ad Heſychium: Enarratione in pſalmum* 49: *Et adſcripto ipſi Tractatu de vanitate Sæculi cap.* 3.

S. ISIDORUS PELUSIOTA praeclare in eos, qui non credunt inſtituendum judicium, *Libro II. epiſtola* 157.

SIX-

SIXTUS III. *creditus, ſub finem Libri de malis Doctoribus,* de ſententia, de ſeparatione, de pudore eorum, qui ſunt probi habiti, cum ſcelerati eſſent.

EUSEBIUS GALLICANUS *homilia* 1. *de Epiphania ad finem, & homiliis* 4. *ac* 8. *ad Monachos, etiam ad finem.*

THEODORETUS *Libro* 11. *adverſus gentiles, qui eſt de fine & judicio.*

JULIANUS POMOERIUS *Libro III. de vita contemplativa cap.* 12.

S. CÆSARIULS ARELATENSIS *Sermone* 55. *alias* 67. *Auguſtini de Tempore.*

S. GREGORIUS M. *homiliis* 26. *&* 29. *in Evangelia,* præclare, ut nos paremus, commonet: *Libro XVII. Moralium capitibus* 32. *&* 33.

S. ISIDORUS HISPALENSIS *Libro I. Sententiarum, a capite* 25.

S. JULIANUS TOLETANUS *in Libris tribus Prognoſticorum,* ubi agit *de futuro ſæculo.*

S. JOANNES DAMASCENUS *Libro IV. de orthodoxa fide, capitibus* 27. *&* 28. Item *in Parallelis* huc facit non ſemel.

THEOPHANES CERAMEUS *Homilia* 18.

S. PETRUS DAMIANI *Opuſculo* 59. *de noviſſimis & Antichriſto.*

S. ANSELMUS *Opuſculo de terrore judicii ad excitandum in ſe timorem. Eſt* 2. *inter Meditationes.*

HUGO A S. VICTORE *Tractatu de fine Sæculi, & de ſtatu futuri ſæculi.* Idem *Libro III. de anima cap.* 23. *apud Bernardum de interiori domo* (quod eſt idem opus) *cap.* 38.

S. BERNARDUS *Sermone* 8. *in pſalmum* 90: *Sermone* 6. *de adventu Domini,* ubi agit de reſurgente corpore. Adde *Sermonem* 16. *in cantica.*

RICHAR-

Richardus a S. Victore *de judiciaria poteſtate in finali & univerſali judicio:* Et *alio*, *qui hunc proxime antecedit, Tractatu de meditandis plagis, quæ circa finem mundi evenient.*

APPENDIX.

De Judicio *particulari.*

Loci.

Nemo ſe ſeducat inanibus verbis. Nam repentinus tibi imminebit interitus, & exitium procellæ ſimile aderit. Veniet Angelus triſtis abductus violenter, trahensque animam tuam peccatis vinctam, crebro ſe ad quælibet præſentia obvertentem, ac ſine voce gementem, occluſo jam gemituum ac lamentorum organo. O quam dilaniabis te ipſe! quantum ingemiſces! S. Basilius M. *Homilia* 13. *in S. Baptiſma.*

Quemadmodum qui carcerem inhabitant, ſemper quidem in anxietate ac doloribus ſunt, ſed maxime eo die quo educendi ſunt, & ad ipſas judicis fores ducendi & ante cancellos ſtantes, vocemque judicantis intus audientes metu obrigeſcunt, & nihilo meliore ſunt ſpecie quam mortui; ſic & anima ipſo quidem etiam prævaricationis tempore maxime affligitur, & premitur; ſed multo magis quando hinc avulſa ad rationes illic reddendas, & ad terribile illud judicium abducenda eſt. Propterea ſæpe refugit, & intro recedit: metuit & exhorreſcit cum a carne diſceſſura eſt. Tunc enim ſi quis rapuerit, ſive aliena invaſerit, ſive alios infeſtaverit, ſive injuſte alicujus inimicus fuerit, ſive aliud quodlibet malum deſignaverit, univerſus peccatorum chorus revocatur, & oculis ſeſe offert, ſtatque acerbus conſcientiae accuſator. S. Chryso-

stomus

STOMUS *Ecloga* 8. *de anima*, *Tomo XII. Montfauconi.* Eſt *ex concione* 2. *in Lazarum*, etſi nonnihil immutatus ſit locus.

Vinctus tum maxime dolet cum educunt eum ad judicium: tunc maxime tremit, cum prope tribunal eſt; quando rationes dare oportet. Idcirco terribiles viſiones narrant multi hoc in ſtatu oblatas, quarum ſpeciem non ferentes ii, qui decedunt, lectum ipſum cum magno impetu ſuccutiunt jacentes, & eos qui adſint torvis inſpiciunt oculis, anima intus ſeſe exagitante, & a corpore avelli renuente, nec adventantium angelorum conſpectum ferente. Nam ſi cum homines terribiles conſpicimus, formidamus: cum angelos comminantes & virtutes immanes videbimus, quid non patiemur, anima a corpore abſtracta & incaſſum, multumque lugente? *Idem Sanctus homilia* 54. *in Matthæum.*

Rurſus homilia 2. *in II. ad Theſſalonicenſes*: Dic mihi, o homo! cum ſiſtendus ſis ad tribunal Chriſti de quavis potius quam de ea reloqueris? Et ſi tibi ſit lis apud judicem ſæpe verbis tenus, non noctu, non interdiu, non aliquo temporis momento, non hora aliqua aliquid aliud loqueris, ſed perpetuo de re illa: de tota autem vita tua rationem redditurus & judicium ſubiturus ne eos quidem toleras, qui hoc judicium tibi in mentem revocant? Propterea ergo omnia perierunt, & ſunt perdita ac profligata, quod ad humanum tribunal ſiſtendi pro rebus quæ ad hanc vitam pertinent omnia moveamus, quemlibet rogemus, aſſidue de eo ſimus ſoliciti, omnia pro illa re agamus; ad Chriſti autem tribunal non multo poſt venturi nihil nec per nos, nec per alios agamus, judicem non rogamus, quamvis nobis longum det temporis ſpatium, & nos rapiat in mediis peccatis, ſed permittat ut ea exuamus, & nihil eorum quae ad ipſum pertinent præter-

prætermittat illa bonitas, & benignitas. Sed nihil amplius efficitur; propterea majus eſt ſupplicium.

Ipſa eſt infelicitas hominum! propter quod peccant, morientes hic dimittunt: & ipſa peccata ſecum portant. S. Augustinus *Sermone* 58. *alias homilia* 42. *ex* 50.

Quid inter hæc cum eam cæperit ad definitam ſententiam, & immobili lege defixam importunus depoſiti exactor abſtrahere, & hinc inde inſultare, & inſilire infernalium diræ facies miniſtrorum? quid erit cum ab apparitoribus mortis per hunc vaſtum aërem ſeparari, & per ſemitas tenebrarum abduci trans diem cæperit, & nequaquam remeabile iter agere per fines illos, ubi ipſa lux deficit? cum peregrina ubique anima comitante malorum ſuorum triſti agmine viderit ſe per extremas mundi oras in illud inane, ac vacuum cadere de mundo, atque illud magnum chaos, quod vitæ mortisque regionem diſcernit intrare, & vitales auras naturæ ipſius exul amittere? cum rebus humanis vale ultimum dicens, mortem ante ſe habens, & vitam poſt ſe relinquens in illud horrendum, & vix oculis attingendum pertrahetur profundum, diverſis avaritiæ, ac malitiæ catenata criminibus, quantum perdidit pretium, tantum exceptura ſupplicium? Cum ad hæc itaque crudelis cuſtodiæ perventum fuerit loca, ubi jam futuri pœnarum judicii ipſa ſui expectatione deſæviet, ne dicam aliud, ſolus mœror excruciabit animam, univerſis ſolatiis deſtitutam; ſola torquebit cogitatio deſperatam, ſolus metus exanimabit attonitam, & quia ibi jam nulla erit parandi victus, aut veſtitus ſolicitudo, nulla laborandi, militandi, agendive occaſio, nulla facultatis, aut honoris ambitio, ſolus mentem omnibus aliis curis vacuam intolerandus reddendæ rationis terror implebit, ſolum, ac

totum

totum judicii pondus captivis ſenſibus imminebit * EUSEBIUS GALLICANUS *Homilia* I. ad *Monachos*.

Si judicandum ſe aliquis ab humana hac poteſtate & rapiendum ad tribunal terrenum eſſe cognoverit, advocatos requirit, patronos adhibet, officialium, atque apparitorum gratiam favoremque mercatur: & hæc omnia metu judicii futuri agit, cum tamen eventum judicii comparare non poſſit. Adeo etſi victoriam emere ipſam non valet, ſpem tamen victoriæ magno emit. Dic mihi quisquis ille es, qui credere te judicium Dei dicis, tu ſi vel ſupradictorum exemplo hominum judicandum te eſſe a Deo crederes, nonne ſpem ac ſalutem tuam quolibet pretio comparares? Sed non credis utique, non credis. Et licet credulitatem tuam verbis velis aſſeverare, non credis. Verbis enim, ut ait, Apoſtolus confiteris, ſed factis negas. . . . . Si enim crederes, quomodo non futuri judicii inæſtimabile malum fugeres, & immortalia ſuppliciorum tormenta vitares? Sed non credis utique, non credis: ac licet aliud & ſermone aſſeris, & profeſſione, non credis. Sermo enim & profeſſio tua jactitant fidem, ſed vita, atque obitus publicant infidelitatem. Alioqui vince me, vinci volo. Non quæro ut mihi credulitatem tuam ſuperioris vitæ actibus probes, uno contentus ſum teſtimonio ſupremorum tuorum. Ecce jam! ecce morieris egreſſurus de domo corporis tui, neſciens quo iturus, quo abducendus, ad quam pœnalia, & quam tetra rapiendus, cui unum tantummodo ſupereſt inter ſuprema perfugium, una effugiendi æterni ignis ſpecula datur, ut pro te offeras

---

* Ponit ſuſpendi aliquandiu ſententiam, differrique ipſum judicium; quæ opinio, ſi eſt univerſe loquendum, hodie penitus exolevit.

feras ſaltem quod in ſubſtantia habes; quia aliud quod poſſis Deo offerre jam non habes: & tu immemor tui, oblitus ſalutis tuæ de legatariis novis cogitas, de locupletando hærede ſuſpiras? Et hæc faciens credere te judicium Dei dicis, qui tibi cum judicandus ſis vel inter ſuprema non conſulis? & cogitare te aliquid de ſalute animæ tuæ loqueris, cui nullus eſt anima tua vilior, apud quem prope non intereſt, cui proſis, dummodo tibi noceas? Salvianus *Libro 3. ad Eccleſiam catholicam, poſt medium.*

Tanto diſtrictiorem juſtitiam in Judicio exigit, quanto longiorem patientiam ante judicium prærogavit. S. Gregorius M. *homilia 13. in Evangelia.*

Cum ſemper judicia diſtricta pertimeſcant (Electi): tunc tamen hæc vehementer metuunt, cum ad ſolvendum humanæ conditionis debitum venientes diſtricto judici appropinquare ſe cernunt: & fit tanto timor acrior quanto & retributio æterna vicinior. Ante oculos autem cordis nihil inane tunc transvolat de phantasmate cogitationis, quia ſubductis e medio omnibus ſe & illum tantummodo conſiderant, cui appropinquant. Creſcit pavor vicina retributione juſtitiæ, & urgente ſolutione carnis quanto magis diſtrictum judicium jam jamque quaſi tangitur, tanto vehementius formidatur. Etſi ea quæ ſciunt nunquam ſe prætermiſiſſe meminerunt, formidant tamen illa quæ neſciunt; quia videlicet ſemetipſos dijudicare & comprehendere omnino non poſſunt, atque urgente exitu ſubtiliori terrentur metu. Unde Redemptor noſter ſolutioni carnis appropinquans & membrorum ſuorum ſervans ſpeciem factus in agonia cœpit prolixius orare. Quid enim pro ſe ille cum in agonia eſſet, peteret, qui in terra poſitus cœleſtia cum poteſtate tribuebat? Sed appropinquante

morte noſtræ mentis in ſe certamen expreſſit, qui vim quamdam terroris, ac formidinis patimur, cum per ſolutionem carnis æterno propinquamus judicio. Neque enim tunc cujuslibet anima immerito terretur, quando poſt puſillum hoc invenit, quod in æterum mutare non poſſit. Conſideramus quippe quod viam vitæ præſentis nequaquam ſine culpa transire potuimus: conſideramus etiam quia ne hoc quidem ſine aliquo reatu noſtro eſt, quod laudabilitur geſſimus, ſi remota pietate judicemur. Quis enim noſtrum vitam præcedentium Patrum valeat vel ſuperare vel aſſequi? & tamen David dicit: *Ne intres in judicium cum ſervo tuo; quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Paulus cum diceret: *Nihil mihi conſcius ſum,* caute ſubjunxit: *ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Jacobus dicit: *In multis enim offendimus omnes.* Joannes dicit: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Quid ergo facient tabulæ, ſi tremunt columnæ? aut quomodo virgulta immobilia ſtabunt, ſi hujus pavoris turbine etiam cedri quatiuntur? *Idem Libro XXIV. Moralium cap.* 12.

Si nosmet ipſos dijudicaremus, non utique judicaremur. Bonum judicium, quod me illi diſtricto, divinoque judicio ſubducit, & abſcondit: Prorſus horreo incidere in manus Dei viventis! volo vultui iræ judicatus præſentari, non judicandus. S. Bernardus *Sermone* 55. *in Cantica.*

Præter hæc erui alia quam plurima poſſunt ex ſequentibus.

Fontes.

Origenes *homilia* 9. *in Leviticum, ſub medium,* de incuria in præparando nos ad hoc judicium.

S. Ephræm *Sermone in eos, qui in Chriſto obdormierunt, ante medium, Tomo III. græco-latino,* ubi

fuſe & horride de anguſtiis exeuntium ad tribunal animarum.

S. BASILIUS M. *epiſtola* 46. *numero* 5. jam laudata obiter, ſed nervoſe de judicio particulari.

S. CHRYSOSTOMUS *homilia de decem millium talentorum debitore.*

SULPITIUS SEVERUS *Epiſtola* I. *ex recens repertis ad Claudiam ſororem cap.* 5. ubi agit de exceſſu animæ piæ, ante Chriſtum comparituræ.

S. AUGUSTINUS *Epiſtola* 199. *alias* 80. *ad Heſichium*: *Libro de anima*, *&* *ejus origine capite* 4. Item in tributo ipſi *Tractatu de vanitate ſæculi cap.* I. & *Tractatu de Speculo peccatoris cap.* 7.

S. CYRILLUS ALEXANDRINUS *fuſe, & graviſſime* de anima jam ſeparata & judicanda *Oratione de exitu animi, & de ſecundo Adventu. Eſt Tomo V. Parte* 2. atque etiam pro *Generali* Judicio egregie facit.

EUSEBIUS GALLICANUS *homilia* I. *ad Monachos*, jam laudata, ubi pulchre docet, quomodo anima relictum corpus ſit aſpectura.

S. GREGORIUS M. *Libro V. Moralium cap.* 7. *& IX. Moralium cap.* 34 de timore, quo etiam ſanctiſſimi hoc judicium perhorreſcebant. *Libro XXV. Moralium primis capitibus*; item *homiliis* 12. *&* 39. *in Evangelia* alia quoque huc habet.

EUSTRATIUS *libris tribus de vita functorum animis.*

S. ANSELMUS *Meditatione I.* §. 12. *de anima a corpore ſeparata.*

HUGO VICTORINUS *Libro I. de anima cap.* 2. *& Libro II. de eadem capitibus* 17. *&* 18. Item *Parte XVI. de ſacramentis fidei*, quod eſt opuſculum antepenultimum, *cap.* 2.

S. BERNARDUS *Sermone* 28. *de diverſis ; de eo, quod dicitur in Job*: In ſex tributationibus, & *fuſe Sermone* 8. *in pſalmum* 90. Qui habitat. Timorem temperat *Sermone* 6. *in Cantica.*

TITU-

TITULUS XXV.

De *Juſtitia*, ejusque Officiis, Adminiſtris, Læſionibus.

CAPUT I.

Loci.

Bonum eſt, cum puniuntur nocentes. Quis hoc niſi nocens negabit. TERTULLIANUS *Libro de Spectaculis cap.* 19.

Lex juſta eſt, quæ & nocenti tribuit, quod meretur: & Judex integer ac bonus dicitur, cum malefacta vindicat. Bonorum enim ſalutem cuſtodit, qui malos punit. Ipſe autem eſt nocens, qui aut innocenti nocet, aut nocenti parcit, ut pluribus noceat. LACTANTIUS *Libro de ira Dei cap.* 17.

In ſumma, o Judex! te judicium ſubiturum eſſe ſcito. S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Epiſtola* 74. *ad Celeuſium.*

Juſtitia in alto quodam ſuggeſtu locata videt, exploratque omnia, quæ aliis potius nata quam ſibi non tam ſuas utilitates, quam publica emolumenta rimatur. S. AMBROSIUS *Libro* 3. *de virginibus, poſt medium.*

Dum illum punit, alios corrigit. Voluit enim, ut pœna ad unum, metus ad omnes perveniret. *Idem Sermone* 19.

Aliorum tormenta aliorum remedia ſunt, cumque punitur homicida, recepit quidem ipſe quod fecit; ſed alii deterrentur a ſcelere. S. HIERONYMUS *in caput* 3. *Jeremiæ.*

Memor tribunalis Domini, & de judicio tuo te intelligens judicandum, nec mihi nec adverſario faveas, neve perſonas loquentium, ſed cauſam con-

conſideres. *Idem adverſus errores Joannis Hieroſolymitani, propius initium.*

Juſtitia ea virtus eſt, quæ ſuum cuique diſtribuit. Quæ igitur juſtitia eſt hominis, quæ ipſum hominem Deo vero tollit, & immundis hominibus ſubdit? hoccine eſt ſua cuique diſtribuere? an qui fundum auffert ejus, a quo emptus eſt, & tradit ei, qui nihil in eo habet juris, injuſtus eſt: & qui ſeipſum auffert dominanti Deo, a quo factus eſt, & malignis ſervit ſpiritibus, juſtus eſt? S. AUGUSTINUS *Libro XIX. de Civitate cap.* 21.

Ignorantia Judicis plerumque eſt calamitas innocentis. Et quod eſt intolerabilius, magisque plangendum, ac rigandum ſi fieri poſſet fontibus lachrymarum, cum propterea Judex torqueat accuſatum, ne occidat neſciens innocentem, fit per ignorantiæ miſeriam, ut & tortum & innocentem occidat; quem ne innocentem occideret torſerat. *Idem ibidem ſuperius cap.* 6.

Plurimum intereſt, quo animo quisque parcat. Sicut enim eſt aliquid miſericordia puniens, ita & crudelitas parcens. *Idem Epiſtola* 153. *alias* 54. *ad Macedonium, num.* 17.

Virtutes, ſi ſeparatæ fuerint, dilabuntur. Aequitas ſine bonitate ſævitia eſt, & juſtitia ſine pietate crudelitas. S. CHRYSOLOGUS *Sermone* 145.

Jubet Chriſtus, ne litigemus. Quis jubenti obtemperat? nec ſolum jubet, ſed in tantum hoc jubet, ut ea ipſa nos, de quibus lis eſt, relinquere jubeat, dummodo litibus exuamur. *Si quis enim voluerit tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, relinque ei & pallium.* Interrogo, qui ſint, qui ſpoliantibus adverſariis cedant, imo qui ſint, qui adverſarios ſuos non ſpoliare conentur? Tam procul enim abeſt, ut cum tunicis etiam pallia relinquamus, ut ſi quo modo poſſumus, pallium ſimul

ſimul adverſariis tunicasque tollamus. Salvianus *Libro 3. de gubernatione, ante medium.*

Pœnam meruit lenitas, quam potuit intuliſſe diſtrictio. Ultionem ſuſcepit, qui detrectat inferre. Vim divini judicii aut extenuat, aut contemnit, qui, hoſte ſuo cum potitur, indulget. Juſtitia coërcendi ſunt, quos conſtat gratiam non ſeçutos. S. Ennodius *de vita S. Epiphanii Ticinenſis.*

Vitia transmittit ad poſteros, qui præſentibus culpis ignoſcit. *Idem ibid.*

Qui criminoſos patitur impune transire, ad crimina hortatur inſontes. *Idem ibidem.*

Bonis nocet, qui malis parcit. S. Martinus Bracarensis *in Sententiis de moribus.*

Culpa eſt, totam perſequi culpam. Immiſericordem ſe confitetur, cui quidquid licet, lubet. *Item* glorioſa virtus eſt in principe extra punire, quam liceat. Virtus eſt, ad vindictam neceſſitate trahi, non voluntate venire. Hildebertus Cenomanensis *Epiſtola* 25.

De Juſtitia diſtributiva *eleganter* Petrus Blesensis *ait*: Illud in curia deteſtabile eſt, quia qui magis diligunt, minus diliguntur. Imperiti etiam & omnino inutiles elegantioribus beneficiis ampliantur, divitiæ accumulantur divitibus, nec eſt qui reſpiciat ad inopem, & mendicum. Eliſæus implebat vaſa vacua, & deficientibus vaſis vacuis ſtetit oleum: in curia vero contemnuntur vaſa vacua, & plena implentur: ligna in ſylvas, & aquæ in maria deferuntur. *Epiſtola* 14.

Hæc de Juſtitiæ *Officiis*, & *Adminiſtris*: multo plura de *Læſionibus* ſuperſunt.

Graviſſime Tertullianus *ad Scapulam iniquum Judicem nomine Chriſtianoram, quos affligebat*: Parce tibi, ſi non nobis! *Libro ad Scapulam cap.* 5.

Adulteria prohibetis, & facitis! Minutius Felix *in Octavio, verſus finem.*

Inciſæ ſint licet leges, & publico ære præfixo jura præſcripta ſint, inter leges ipſas delinquitur, inter jura peccatur. Innocentia nec illic ubi defenditur reſervatur. Sævit invicem diſcordantium rabies, & inter togas pace rupta forum litibus mugit inſanum. Haſta illic, & gladius, & carnifex præſto eſt, ungula effodiens, equuleus extendens, ignis exurens. Ad hominis corpus unum ſupplicia plura quam membra ſunt. Quis inter hæc vero ſubveniat? Patronus? ſed prævaricatur, & decipit. Judex? ſed ſententiam vendit. Qui ſedet crimina vindicaturus, admittit, & ut reus innocens pereat, fit nocens Judex. S. Cyprianus *Epiſtola* 2. *ad Donatum.*

Interim nocentes nec cum innocentibus pereunt. Nullus de legibus metus eſt, de Quæſitore, de Judice pavor nullus. Quod poteſt redimi, non timetur, *Idem ibidem.*

Conſenſere jura peccatis, & cœpit licitum eſſe, quod publicum eſt. Quis illic rerum pudor, quæ eſſe poſſit integritas, ubi, qui damnent improbos, deſunt; ſoli illi, qui damnentur, occurrunt? *Idem ibidem.*

Quia ſtudent damnare tanquam nocentes, quos utique ſciunt innocentes, conſtare de ipſa innocentia nolunt. Quaſi vero major iniquitas ſit, probatam innocentiam damnaſſe, quam inauditam. Sed, ut dixi, verentur, ne ſi audierint damnare non poſſint. Lactantius *Libro V. divinarum inſtitutionum, cap.* 1.

Omne jus in viribus habet. S. Zeno *Sermone de Juſtitia.*

Legibus ſuis ſuas leges impugnat, jus jure diſtinguit. *Idem ibid.*

Præſcriptio induſtria vocitatur, & appetitio rei alienæ ſub prætextu propriæ defenſionis, ac diligentiæ callidiſſimis argumentis urgetur, ut qui indefen-

defenſus, aut innocens quod legibus habet, legibus perdat; quod eſt omni violentia deterius; quia illud quod vi eripitur nonnunquam repeti poteſt. Glorietur qui volet iſta juſtitia; verumtamen ſciat, quia miſero eſt miſerior, qui miſeriis ditatur alienis. *Idem ibidem.*

Hoc permultis ætatis noſtræ judicibus evenire conſpicio, qui magnis & excelſis viris graviſſima quæque facilius condonarint, quam humilibus & ajectis quidquam vel leviſſimi momenti. S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 6.

Injuſtos advocatos calumniæ patronos & diaboli oratores vocat S. Gregorius Nyssenus *Oratione de S. Stephano.*

Usque adeo hoc inolevit malum, ut jam quaſi ex conſuetudine vendantur leges, corrumpantur jura, ſententia ipſa venalis ſit, & nulla jam cauſa poſſit eſſe ſine cauſa. S. Ambrosius, aut quisquis eſt auctor, *Sermone olim* 66. *&* 7. *nunc omiſſo.*

Quid tibi vis cum libro & charta, & ſignaculo, & conſcriptione, & vinculo juris? non audiſti: *ſolve omnem colligationem injuſtitiæ, diſſolve obligationem violentarum commutationum, dimitte confractos in remiſſionem, & omnem conſcriptionem iniquam disrumpe.* Tu mihi tabulas offers: ego tibi recito Dei legem. Tu atramento ſcribis: ego ſpiritu Dei inſcripta repeto oracula Prophetarum. Tu teſtimonia falſa componis: ego teſtimonium conſcientiæ tuæ poſco. *Verus* Ambrosius *Libro de Nabuth cap.* 10.

Quæ ab ipſis facta contra omnem ſunt ordinem, contra omnes eccleſiaſticos canones: & quid dico canones eccleſiaſticos? Neque in gentilium judiciis, neque in barbarorum tribunalibus talia attentata ſunt unquam: neque Scythæ neque Sauromatæ unquam judicarunt, judicium dandum

uni parti, abſente ea quæ accuſatur, & vitante non judicium, ſed inimicitias & invocante multa millia judicum & proteſtante coram toto orbe, declaraturam ſe non eſſe ream, depulſuramque crimina & oſtenſuram ſuam innocentiam. S. CHRYSOSTOMUS *Epiſtola* I. *ad Innocentium Papam.*

O! & vere, Jus ſummum ſumma malitia. Poſt miracula adhuc ſæviunt leges! S. HIERONYMUS *de muliere ſepties icta.*

Illum, qui a potente ad falſum teſtimonium urgetur, ſic præclare firmat AUGUSTINUS: Quid mihi facit potens iſte, quid premit? carnem, corpus dicis premit. Dico ego, perimit. Quanto mitius mecum agit ille, quam ego, ſi mentitus fuero? ille occidit carnem meam, ego occido animam meam. Iratus potens occidit corpus. Os, quod mentitur, occidit animam. Corpus occidit? moriturum erat: etſi non occideretur. Animam vero, quam non occidit iniquitas, in æternum excipit veritas. Serva ergo, quod ſervare potes: pereat, quod quandoque periturum eſt. *Sermone* 81. *alias* 33. *ex Sirmondians.*

In judiciis quo aurum vergit, illuc etiam ſententia propendet. S. ISIDORUS PELUSIOTA *Libro II. epiſtola* 101.

Malum quidem eſt injuſte agere, ſed injuſtam ferre ſententiam id vero longe eſt deterius. Alterum enim ſpem auxilii relinquit ei, qui injuria affectus eſt; alterum vero hanc ipſam ſpem auffert, & injuſtum factum corroborat. Quapropter neque injuſte agamus, neque ſi forte Judices eligamur, injuſte calculum feramus. *Idem Libro IV. Epiſtola* 84.

Oportet æquos judices reo alteram aurem ſervare. Quod ſi adverſariorum ſermonibus utrumque præbent, & ex eorum arbitrio ſententiam promunt, amplectamur injuriam regni cœlorum con-

conciliatricem, & forum illud expectabimus in quo non accuſator futurus, nec patronus, nec teſtis, nec diſcrimen dignitatum; ſed dictorum, factorumque judicium, & congrua meritis retributio. THEODORETUS *Epiſtola* 91. *ad Eutrechium*, ubi quidem in favorem cauſæ propriæ.

De Seronato, non avaro minus quam inclementi judice, eleganter S. SIDONIUS APOLLINARIS: Non ceſſat, *inquit*, ſimul furta vel punire, vel facere. *Libro II. Epiſtola* 2. *ad Ecdicium.*

Hi ſunt qui cauſas morantur adhibiti, impediunt prætermiſſi, faſtidiunt admoniti, obliviſcuntur locupletati. Hi ſunt qui emunt lites, vendunt interceſſores, deputant arbitros, judicanda dictant, dictata convellunt. *Idem Libro V. epiſt.* 7. *ad Thaumaſtum*, quo quidem egregie depexuit Legulejos, atque Cauſidicos noſtros.

Quorum ſi nares afflaverit uſpiam rubiginoſi aura marſupii, confeſtim videbis illic & oculos Argi, & manus Briarei, & Sphyngarum ungues, & perjuria Laomedontis, & Ulyſſis argutias, & Sinonis fallacias. *Idem ibidem.*

Statuunt, non adulterandum; & primi adulterant. Statuunt, non furandum; & furantur. Quamvis pene non poſſim dicere, quod furentur; non enim ſunt, quæ agunt furta, ſed latrocinia. SALVIANUS *Libro* 7. *de Gubernatione, verſus finem.*

Arma iſta Juris ſunt, non furoris. Itaque cunctator eſſe debet, qui judicat de ſalute. Alia ſententia poteſt corrigi, de vita transactum non patitur immutari. CASSIODORUS *Libro VII. epiſt.* 1.

Dum vendunt judicia, aliena crimina ſua faciunt eſſe peccata. *Idem Libro VI. epiſt.* 21.

Nummus ſæpe momenta legibus præbuit, atque ad ſuum intellectum obſcuras ſententias fal-

ſus interpretator inflexit. S. Petrus Damiani *Opuſculo* 12.

Veniet, veniet, qui male judicata rejudicabit, illicite jurata confutabit, qui faciet judicium injuriam patientibus, qui judicabit in juſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ. Veniet pro certo, qui per Prophetam minatur, in pſalmo dicens: *cum accepero tempus, ego juſtitias judicabo.* Quid faciet de injuſtis judiciis, qui ipſas quoque juſtitias judicabit? Veniet, inquam, veniet dies judicii, ubi plus valebunt pura corda, quam aſtuta verba, & conſcientia bona, quam marſupia plena. Quandoquidem judex ille nec falletur verbis, nec flectetur donis. Tuum, Domine Jeſu, tribunal apello! tuo me judicio ſervo, tibi committo cauſam meam. Domine Deus Sabaoth, qui judicas juſte, & probas renes, & corda! cujus oculi ſicut fallere nolunt, ita falli non poſſunt. Tu vides, qui tua, vides, qui quærunt & ſua. S. Bernardus *Epiſtola* 1. *ad Robertum Nepotem, circa medium.*

Sæpe cauſas tamdiu differunt, ut litigantibus plus quam totum aufferant, quia major eſt expenſarum ſumptus, quam ſententiæ fructus, nec terminantur negotia pauperum, quousque eorum marſupia evacuentur. *Innocentius III. Papa de Vilitate conditionis humanæ.*

Sed ſuperſunt aliæ *Læſiones Juſtitiæ,* eæ videlicet, quæ extra cauſas & tribunalia fiunt.

Paſſim diſcurritur, rapitur, occupatur. Prædandi diſſimulatio nulla, nulla cunctatio. Quaſi ille qui non rapit, damnum, & diſpendium proprium ſentiat, ſic unusquisque rapere feſtinat. In latronibus eſt utcunque aliqua ſcelerum verecundia. Avias fauces, & deſertas ſolitudines diligunt, & ſic illic delinquitur, ut tamen delinquentium facinus tenebris, & nocte veletur. Avaritia palam ſævit,

vit, & ipſa audacia ſua in fori luce abruptæ cupiditatis arma proſtituit. Inde falſarii, inde venefici, inde in media civitate ſicarii tam ad peccandum præcipites, quam impune peccantes. A nocente crimen admittitur, nec innocens qui vindicet invenitur. S. Cyprianus *ad Demetrianum.*

Nullus rapiendi, modus ubi nulla menſura cupiendi. S. Ambrosius *Libro I. de Abel & Cain cap.* 5.

Nemo habet injuſtum lucrum ſine juſto damno. Ubi lucrum ibi & damnum; lucrum in arca, damnum in conſcientia. S. Augustinus *Sermone* 215. *de Tempore, nunc* 265. *in Appendice.*

In magna egeſtate ſunt, qui de iniquitate ſunt divites. *Idem*, vel quisquis eſt auctor Libri de *vera innocentia*, *cap.* 83.

Qui aliena concupiſcunt, ſua produnt, perduntque. S. Cyrillus Alexandrinus *Oratione de exitu animi, & de ſecundo adventu, prope finem.*

Quæ ſunt non modo urbes, ſed etiam municipia atque vici, ubi non, quot curiales fuerint, tot tyranni ſint? Salvianus *Libro* 5. *de Gubernatione Dei.*

Quotusquisque juxta divitem pauper aut intactus aut tutus eſt? ſiquidem pervaſionibus præpotentum aut ſua homines imbecilli aut etiam ſeipſos cum ſuis pariter amittunt. Ut non immerito de utrisque perſonis ſacer ſermo teſtatus ſit, dicens: *Venatio Leonis onager in eremo; ſic paſcua divitum ſunt pauperes.* Quamvis tyrannidem hanc non pauperes tantum, ſed pene univerſitas patiatur generis humani. Quid enim omnium aliud dignitas ſublimium quam proſcriptio civitatum? aut quid aliud quorundam quos taceo præfectura quam præda? nulla ſiquidem major pauperculorum eſt depopulatio quam poteſtas. Ad hoc enim honor a paucis emitur, ut cunctorum vaſtatione

ſol-

ſolvatur. Quo quid eſſe indignius, quid iniquius poteſt? Reddunt miſeri dignitatum pretia quas non emunt. Commercium neſciunt, & ſolutionem ſciunt. Ut pauci illuſtrentur mundus evertitur. Unius honor orbis excidium eſt. *Idem Libro de eadem Gubernatione.*

Talibus non dare tuliſſe eſt & merita; quando qui poteſt eſurientibus ſubvenire, ſi non paſcit, extinguit. Pudeat illis tollere quibus jubemur offerre. Ultra omnes crudelitates eſt divitem velle fieri de exiguitate mendici. CASSIODORUS *Libro X. epiſtola* 13.

Magnum ſcelus eſt rem pauperum præſtare divitibus, & de ſumptibus inopum aquirere favores potentum, arenti terræ aquam tollere, & flumina, quæ non indigent, irrigare. S. ISIDORUS HISPALENSIS *Libro III. ſententiarum cap.* 60.

CAPUT II.

Fontes.

S JUSTINUS MARTYR *Apologia* 2. *verius* I. de juſtitia nemini denegenda.

TERTULLIANUS *initio apologetici* præclare urget, ut ponantur præjudicia, & accuſati audiantur. Idem facit in *Libris contra Nationes, & in Libro ad Scapulam.*

PHILO HEBRÆUS de Judicis officio.

ORIGENES *homilia* 9. *in Jeremiam* adverſus clementiam intempeſtivam.

S. CYPRIANUS *Libro ad Demetrianum jam laudato* alia præterea de injuſtitiis & oppreſſionibus habet. Idem *libro de lapſis* præſtanti allegoria ſuadet, ne nocentes permittantur impune abire.

LACTANTIUS *Libro V. Inſtitutionum divinarum, capitibus pluribus*, prælare prorſus huc facit, & *initio*

tio ſtatim illud exigit, ne inauditus quis damnetur, qui fuit accuſatus. Adde *Librum VI. earundem Inſtitutionum cap.* 9. & *Epitomes capita* 1. & 2.

S. Zeno *Sermone de Juſtitia.*

S. Basilius M. *in caput* 1. *Eſaiæ ad illud*: Diligunt munera.

S. Gregorius Nyssenus *in Encomio S. Gregorii Neocæſarienſis* de juſtitia diſtributiva Eccleſiaſtica. Adde *Orationem* 4. *de Beatudinibus*, & *homiliam* 5. *in Eccleſiaſten*, qua agit de verſutiis Juriſperitorum.

S. Ambrosius *Concione* 16. *in pſalmum* 118. de publica utilitate adminiſtratæ Juſtitiæ.

Concione 8. *in eundem pſalmum*, quam neceſſario plectendi nocentes.

Concione 20. *in eundem pſalmum*, non licere prodeſſe ſibi cum damno alterius.

Libro I. de officiis, *pluribus capitibus* Juſtitiæ partes perſequitur.

Libro II. de officiis cap. 22. de importuna clementia.

Libro II. de Abel & Cain cap. 10. breviter, ſed eleganter contra impunitatem.

S. Chrysostomus *Libro III. de Sacerdotio* loquitur de Juſtitia diſtributiva Eccleſiaſtica.

Homilia 21. *ad populum* de clementia in reos.

Homilia 5. *in ad Romanos* de judicibus punientibus ea, quorum ipſimet ſunt rei.

Homilia in ad Romanos de plectendis noxiis.

Homilia 3. *in ad Philemonem* de neceſſitate Juſtitiæ divinæ.

Adde Auctorem *Operis imperfecti apud eundem Chryſoſtomum*, *homilia* 12. *in Matthæum* de periculis juſtitiæ in litibus.

S. Zosimus *Papa Epiſtola* 4. de cura inquirendæ veritatis in ſubſidium innocentiæ.

S. Au-

S. AUGUSTINUS *Epiſtola citata ad Macedonium*, ubi etiam de vendentibus patrocinium, teſtimonium, ſententiam. *Libro IV. de Civitate cap.* 4. de Juſtitia regnorum publica. *Libro XIX. de eadem cap.* 16. in intempeſtivam clementiam. *Concione* 2. *in Pſalmum* 100. non eſſe innoxium, qui vel noceat ſibi, vel nocentes aliis toleret.

S. ISIDORUS PELUSIOLA *Libro II. epiſt.* 277. in faventes divitibus. *Libro V. epiſt.* 182. de acceptione munerum. *Libro eodem epiſt.* 279. de clementia in puniendo.

S. CHRYSOLOGUS Sermone 138. de Publicanis.

SALVIANUS *in Libris de gubernatione* ſæpius. Ubi etiam de Juſtitia divina, quam ſceleribus noſtris cogimus ad puniendum.

CASSIODORUS *Libro I. epiſt.* 5. de finiendis litibus & appellationibus. *Libro III. epiſt.* 46. de animadvertendo in noxios. Idem alia quam plurima habet in aliis Epiſtolis, præſertim autem placet 1. *Libri VII.*

S. MARTINUS BRACARENSIS *Libro de virtutibus Cardinalibus a cap.* 4.

S. GREGORIUS M. de judicibus, qui jus non tam juſtitiæ quam lucri amore dicunt *Libro IX. Moralium cap.* 25.

S. ISIDORUS HISPALENSIS *Libro III. Sententiarum, capitibus ſeu a capite* 52.

S. MAXIMUS MARTYR *ad Theopemptum Scholaſticum de judice iniquitatis.*

S. JOANNES DAMASCENUS in *Paralellis* varia habet de juſtis, injuſtisque judicibus.

S. ANTIOCHUS *homilia* 9. de non acceptandis muneribus, & *homilia* 75. *de Juſtitia.*

THEODULPHUS AURELIANENSIS *Paræneſi poëtica ad Judices*, vulgata primum a Sirmondo *anno* 1646. *Pariſiis.*

S. AGO-

S. Agobardus *Epiſtola de coërcendis injuſtitiis ad ad Matfredum Comitem.*

S. Petrus Damiani *opuſculo* 57. in judices nimis indulgentes.

Hegesippus *creditus*, reipſa non antiquus auctor, *Libro II. de excidio Hieroſolymæ cap.* 9. ubi pœnam admonet eſſe culpæ attemperandam.

S. Bernardus *Libro I. de conſideratione cap.* 10. in cauſidicos. *Libro II. de eadem cap.* 11. ſuadet modum aliquem in puniendo. Idem *Sermone* 5. *in Natali Domini* de Juſtitia Dei, cui veluti vim inferimus. Addi etiam poteſt *Sermo* 61. opuſculi ipſi adſcripti *de modo bene vivendi ad ſororem,* ubi agit de acceptatione munerum.

Petrus Blesensis *Epiſtola* 10. de eadem acceptatione munerum. *Epiſtolis* 14. 25. & 26. contra advocatos. *Epiſtola* 70. circa juſtitiæ diſtributionem, ubi quidem idoneos cognatos ceteris præferri cupit. Idem opuſculo de *Inſtitutione Epiſcopi*, de *adminiſtratione Juſtitiæ*, *vehementer.*

Joannes Saresberiensis *Libro V. Policratici capitibus* 10. 15. 16. 17. de acceptatione munerum.

Raymundus Jordanus, Idiota dictus, in opere *de oculo ſpirituali cap.* 6. de eodem argumento.

S. Bernardinus Senensis *ſparſim Tomo I. operum* de partibus juſtitiæ, & ejusdem læſionibus publicis agit.

S. Laurentius Justinianus *Libro de Juſtitia, in opere de Ligno vitæ.*

DE

DE INJUSTITIIS ATQUE OPPRESSIONIBUS præ aliis commemorant.

S. ZENO *Veronenſis* Sermone jam laudato de Juſtitia.

S. BASILIUS M. *homilia* 6. *in illud*: Deſtruam horrea mea: *homilia* 7. *in divites*: *homilia* 8. *in famem & ſiccitatem*: *homilia* 2. *in Pſalmum* 14.

S. GREGORIUS NAZIANZENUS *oratione* 15. in abſcondentes frumenta. * Idem de eadem injuſtitia *paulo ante medium orationis* 20. *fuſe & præclare.*

S. AMBROSIUS *Libro de Nabuth*, *fuſe*. *Libro de Tobia*, *capitibus pluribus*. *Libro III. de officiis cap.* 3. & 6. *Libro V. Hexaëmeron cap.* 5. apud homines idem fieri, quod apud piſces, ubi minor eſca majoris eſt.

S. CHRYSOSTOMUS *homilia in Pſalmum* 11.
Homiliis 7. & 11. *in ad Romanos.*
Homilia 39. *in I. ad Corinthios* de abſcondentibus frumenta
Homilia 10. *in I. ad Theſſalonicenſes.*
Oratione ipſi tributa de Joſeph.

Maxime vero homiliis in utramque ad Timotheum, ubi in avaros eos, qui ſtudio augendæ rei bona ceterorum direptum eunt, invehitur ſane acerrime. *Neque alium ejus Commentarium reperias, ubi huic amovendo malo parem inſumpſerit operam*, uti recte monet Montfauconus *Præfatione in eundem hunc commentarium.*

S. ISIDORUS PELUSIOTA *Libro I. epiſt.* 178. vehementiſſimus eſt in eos, qui injuſtitias Præfectorum non inhibent. Idem *Libro V. epiſt.* 210.

---

* Hoc enim qui facit, non ſolum juxta hodiernos, verum etiam juxta veteres Theologos genus Injuſtitiæ proprie dictæ committit; ſed de iſto plura Libro noſtro ſequente, Titulo: *Uſura.*

210. non minus acriter invadit Zoſimum, eleemoſynas pro pauperibus collectas intervertentem, iisque ad luxuriam abutentem. Adde *Libro III. epiſtolam* 277. & *Libro V. epiſtolam* 183.

SALVIANUS *Libro* 4. 5. & 7. *de gubernatione*, ubi quidem latinos omnes ſuperat in hoc noſtro argumento.

S. LAURENTIUS NOVARIENSIS *homilia de Publicano*, ubi invehitur in Publicanos.

S. ANTIOCHUS *homiliis* 37. & 41.

S. JOANNES DAMASCENUS *Libro II. Parallelorum cap.* 17. *nunc Titulo IX. Litera ε.*

JONAS AURELIANENSIS *Libro II. de Inſtituto Laicali cap.* 23. contra eos, qui animi cauſa, præſertim quo liberius venari poſſint, opprimunt ſubditos, conjiciunt in vincula &c.

PETRUS BLESENSIS *opuſculo jam laudato de inſtitutione Epiſcopi.*

JOANNES SARESBERIENSIS *Libro VI. Policratici cap.* 1. in injuſtos officiales, & exactores. *Libro* item *VII. cap.* 17. de aliis generibus injuſtitiæ.

Vide Titulos *Avaritia, Uſura, Reſtitutio*, & ſimiles.

TITULUS XXVI.

De *Liberis*, eorumque erga parentes officiis.

CAPUT I.

Loci.

Paſce matrem tuam. Etſi paveris matrem, adhuc non reddidiſti cruciatus, quos pro te paſſa eſt: non reddidiſti alimenta quæ tribuit, tenero pietatis affectu immulgens labris tuis ubera: non reddidiſti famem, quam pro te illa toleravit, ne quid, quod tibi noxium eſſet, ne quid, quod lacti noce-

ret, hauriret. Tibi illa jejunavit, tibi manducavit: tibi illa, quem voluit cibum non accepit, tibi quem noluit cibum ſumpſit: tibi vigilavit, tibi flevit, & tu illam egere pateris? O Fili, quantum tibi ſumis judicium, ſi non paſcas parentem! illi debes quod habes, cui debes, quod es. S. AMBROSIUS *Libro VIII. in Lucæ caput* 18.

Tu matri debes pudoris injuriam, virginitatis diſpendium, partus periculum. Matri longa faſtidia: matri longa diſcrimina, cui miſeræ in ipſis votorum fructibus majus periculum eſt; & cum ediderit quod optavit partu abſolvitur, non timore. *Idem Libro II. in caput* 2. *ejusdem, in fine.*

Rurſum S. Doctor ad illud: Putatis, quod pacem veni dare in terram &c. Si advertamus, inquit, quia prima cauſa religionis, ſecunda pietatis eſt, enodatam etiam hanc putabimus quæſtionem. Oportet enim ut divinis humana poſthabeas. Nam ſi officium parentibus exhibendum eſt, quanto magis auctori parentum, cui gratiam etiam pro parentibus tuis debes? Aut ſi illi omnino non recognoſcunt parentem, quemadmodum tu recognoſcas?

Non igitur dicit renuntiandum eſſe pignoribus, ſed Deum omnibus præferendum. Denique habes in alio libro: *Qui diligit patrem, aut matrem plus quam me, non eſt me dignus.* Non diligere parentes, ſed Deo præferre prohiberis. Etenim naturæ pignora Domini beneficia ſunt, nec quisquam debet plus amare beneficium, quod accepit, quam Deum, a quo beneficium ſervatur. *Idem Libro VII. in Lucæ caput* 12.

Ubi jam ſolatium patres, ubi præſidium genitores invenient, ſi filios ſenſerint parricidas? Aut quando externa tuta ſunt, ſi domeſtica nobis obſiſtunt? (Vel) beſtiæ, & mutæ pecudes pietatis jura

jura conſervant, & quibus natura denegat rationem, non tamen denegat pietatem. S. CHRYSOSTOMUS *ſermone quodam ipſi tributo de Abſolom, qui, quod ſciam, non eſt in editione nova.*

Quid (parentibus) dabis quale ipſi tibi? *Idem homilia 2. in illud:* Salutate Priſcillam & Aquilam.

Merentur cæcitatis ſubire ſupplicium, qui parentum vultus vel torvo viſu deſpexerit, & elatis oculis læſerit pietatem. S. HIERONYMUS *Epiſtola ſuppoſita de honorandis parentibus, in Appendice.*

Mater, & filia! nomina pietatis, officiorum vocabula, vincula naturæ, ſecundaque poſt Deum fœderatio! non eſt laus ſi vos diligitis; ſcelus eſt, quod odiſtis. Dominus Jeſus Chriſtus ſubjectus erat parentibus ſuis: venerabatur matrem cujus ipſe erat pater, colebat nutritium, quem nutriverat: geſtatumque ſe meminerat alterius utero, alterius brachiis. Unde & in cruce pendens commendat parentem diſcipulo, quam nunquam ante crucem dimiſerat. Tu vero filia (jam enim deſino ad matrem loqui, quam forſitan & ætas & imbecillitas, ac ſolitudo excuſabilem facit) tu inquam filia ejus domum anguſtam judicas, cujus non tibi fuit venter anguſtus? decem menſibus utero clauſa vixiſti, & uno die in uno cubiculo cum matre non duras? An oculos ejus ferre non potes? &, quia omnes motus tuos, utpote illa quæ genuit quæ aluit & ad hanc adduxit ætatem, facilius intelligit, teſtem domeſticam fugis? ſi virgo es, quid times diligentem cuſtodiam? ſi corrupta, cur non palam nubis? ſecunda poſt naufragium tabula eſt, quod male cœperis, ſaltem hoc remedio temperare. *Idem Epiſtola 117. alias 47. de vitando ſuſpecto contubernio.*

Foveatur parentum ſenectus, & factis eorum viciſſitudo reddatur. Habet enim quamdam ſenectus infantiam. Videant liberi veſtri, quid faciant

 vobis

vobis, vicem ſimilem reddituri. *Idem putatus in Epiſtola de honorandis parentibus, de qua ſupra dictum.*

Neque omittenda hoc loco narratio de filio, qui, quo liberius cæderet matrem ſuam, relictis Catholicis ad Donatiſtas defecit: Quid execrabilius, quæſo te, quam id quod nunc accidit? Corripitur ab Epiſcopo ſuo juvenis crebris cædibus matris inſanus, & impias manus nec illis diebus, cum etiam ſeveritas legum ſceleratiſſimis parcit, a viſceribus, unde natus eſt, revocans. Minatur eidem matri, ſe (*quo impunis deinceps eſſet*) in partem Donati tranſiturum, & eam quam incredibili furore ſolet cædere, perempturum. Minatus ei tranſit ad partem Donati: rebaptizatur furens, & in maternum ſanguinem fremens albis veſtibus candidatur. *Et mox:* Cæditur mater carnalis in membris, quibus genuit & nutrivit ingratum. Prohibet hoc Eccleſia mater ſpiritualis, cæditur & ipſa in Sacramentis, quibus genuit & nutrivit ingratum. Nonne tibi videtur dixiſſe parricidaliter frendens: Quid faciam Eccleſiæ, quæ mihi prohibet cædere matrem meam? Inveni quid faciam. Injuriis quibus poteſt etiam ipſa feriatur. Fiat in me aliquid, unde membra ejus doleant. Vadam mihi ad eos qui noverunt exſufflare gratiam, in qua ibi natus ſum: deſtruere formam quam in utero ejus accepi. Ambas matres meas ſævis cruciatibus torqueam. Quæ me poſterior peperit, efferat prior. Ad hujus dolorem ſpiritualiter moriar; ad illius cædem carnaliter vivam. Quid aliud expectamus, niſi ut in miſeram mulierem ſenectute decrepitam, viduitate deſtitutam, a cujus cædibus in Catholica (*Eccleſia*) prohibebatur, jam Donatiſta ſecurus armetur? Quid enim aliud furibundo corde concepit cum diceret matri: *Transferam me in partem Donati, & bibam ſanguinem tuum?* Ecce jam conſcientia cruentus,

entus, veſte dealbatus perfecit partem pollicitationis ſuæ. Reſtat pars altera, ut matris ſanguinem bibat. S. Augustinus *Epiſtola* 34. *alias* 168. *ad Euſebium.*

Rapit militem Chriſti tuba cœleſtis ad prælium: & retinet mater! *Idem Epiſtola* 107. *alias* 38. *ad Lætum.*

S. Chrysologus enarrans moleſtias parentum: Heu me, exclamat, cur tanta filii neſciunt? cur iſta non ſentiunt? cur vicem parentibus reddere non deſudant? Et tamen parentum pietas perſeverat; quia quidquid filiis parentes impenderint, repenſabit parentibus parens omnium Deus. *Sermone* 33.

Semper in (parentum) amore cautela eſt. Nemo enim melius diligit, quam qui maxime veretur offendere. Salvianus *ad finem Epiſtolæ* 4. *ad Hypatium & Quietam, parentes.*

Pro Orphanis egregie facit illud Franconis Afflıginensis: O (Dei) pietas! o clementia! o gratia! quæ, & cum pater derelinquit, non deſerit, & quem mater exponit, colligit: atque cum parentum areſcit charitas, ipſa magis exuberat. *Tomo, ſeu Libro IV. de gratia Dei.*

Sola cauſa, qua non liceat obedire parentibus, Deus eſt. Ipſe enim dicit, qui amat patrem, & matrem plus quam me, non eſt me dignus. Si me vere ut boni, ut pii parentes diligitis: ſi veram ſi fidelem erga filium pietatem habetis, quid me patri omniumDeo placere ſatagentem inquietatis, & ab ejus ſervitio, cui ſervire regnare eſt, retrahere attentatis? Vere nunc cognoſco, quia inimici hominis domeſtici ejus. In hoc vobis obedire non debeo: in hoc vos non agnoſco parentes, ſed hoſtes. Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad meum atque veſtrum, imo ad univerſorum patrem. Alioquin quid mihi & vobis? quid a vobis

bis habeo niſi peccatum, & miſeriam? hoc ſolum quod geſto corruptibile corpus de veſtro me habere fateor, & agnoſco. Non ſufficit vobis quod me in hanc ſæculi miſeriam miſeri miſerum induxiſtis, quod in peccato veſtro & peccatores peccatorem genuiſtis, quod in peccato natum de peccato nutriſtis; niſi etiam invidendo mihi miſericordiam, quam conſecutus ſum ab eo, qui non vult mortem peccatoris, filium inſuper gehennæ faciatis? O durum patrem! o ſævam matrem! o parentes crudeles, & impios, imo non parentes, ſed peremptores, quorum dolor ſalus pignoris, quorum conſolatio mors filii eſt! qui me malunt perire cum eis, quam regnare ſine eis: qui me rurſus ad naufragium, unde tandem nudus evaſi, rurſus ad ignem, unde vix ſemiuſtus exivi, rurſus ad latrones, a quibus ſemivivus relictus ſum, ſed miſerante Samaritano jam aliquantulum convalui, revocare conantur: & militem Chriſti prope jam rapto cœlo triumphantem (quod non in me glorior, ſed in eo qui vicit mundum) ab ipſo jam introitu gloriæ, tanquam canem ad vomitum, tanquam ſuem ad lutum ad ſæculum reducere moliuntur! S. BERNARDUS *Epiſtola* III. *ex perſona Heliæ monachi ad parentes ſuos.*

Si Deus ita ſeverus erit in die judicii his, qui extraneis pietatis emolumenta non fecerunt: quanto magis his, qui erga parentes impii extiterunt? S. BERNARDINUS SENENSIS *ſermone* 17. *Tomi II.*

CAPUT II.

Fontes.

PHILO *Libro de Decalogo* ſane egregie urget præceptum quartum.

S. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS *Catecheſi* 7. *ad Illuminatos.*

S. EPHREM

S. Ephræm *capite 2. de virtute, Tomo I. novo, Græcolatino.*

S. Basilius M. *homiliis* 8. *&* 9. denique uberius *ſermone* 24. *collectitio, de honore parentibus exhibendo, ac de ſenectute, atque juventute.*

S. Gregorius Nazianzenus *Carminibus* 49. *Nicobuli filii ad patrem,* 50. *Nicobuli patris ad filium,* 51. *filiorum nomine ad parentem Vitalianum offenſum.* Sunt inter Carmina *varia.*

S. Asterius Amasenus *homilia* 3. *adverſus avaritiam,* de filio ægre mortem patris expectante.

S. Ambrosius *Libro V. Hexaemeron cap.* 16. exemplo brutorum.

Libro de Noë & arca, capitibus 30. *&* 31. tam de malis, quam de bonis liberis.

Libro de benedictionibus patriarcharum, capite 1. de efficacitate benedictionis paternæ.

Sermone 15. *in Pſalmum CXVIII.* de amore parentum non ordinato.

In caput II. Lucæ, ipſo fine, quantum parentibus debeatur.

Sermone 44. *alias* 84. *&* 6. de verberibus parentum, *blandiſſime.*

S. Chrysostomus *homilia de beato Abraham* egregie de vehementia illa amoris, quo parentes natura feruntur in liberos.

Homilia in Pſalmum 3. *de Abſolom,* ubi varia huc faciunt.

Homilia 21. *in ad Epheſios.*

Homilia 2. *in II. ad Timotheum* de obligationibus filiorum ſpiritualium.

Sermone 4. *ex octo additis in Geneſin.*

Auctor operis imperfecti, apud eundem homilia 32. eleganter oſtendit liberos non tantum amare parentes, quantum ab ipſis amantur.

S. Hieronymus *Epiſtolis* jam allegatis.

S. Augustinus *Epiſtola citata ad Lætum*, ne a parentibus retrahi nos ſinamus ab obſequio Dei.

Sermone 322. *alias* 31. *de diverſis*, de maledictis parentum formidandis.

Sermone 344. *alias* 31. *ex* 40. *novis* de pietate in parentes ordinata.

Sermone 45. *alias* 12. *ex* 40. *novis*, *fuſe & eleganter* de venali pietate liberorum in parentes divites.

Ennarratione in Pſalmum 70. *ſermone* 1. ubi liberi non debeant obedire.

Idem putatus *libro de ſalutaribus documentis cap.* 21. pulchre ex amore in parentes argumentum amoris erga Deum petit.

S. Cyrillus Alexandrinus *Libro* 7. *de adoratione, & cultu in ſpiritu & veritate, fuſe. Idem Libro III.* ipſi ſuppoſito *apologorum moralium cap.* 16. egregie docet, liberos malos idipſum expectare, quod parentibus olim intulerunt.

Salvianus egregie, atque tenerrime *Epiſtola jam laudata.*

S. Ennodius *Declamatione* 17. *in eum, qui ſeni patri cibos ſubtraxit.*

Cassiodorus *Libro II. epiſt.* 14. vehementer in ingratos liberos.

S. Antiochus *homilia* 108. de officio erga parentes.

Rabanus Maurus *opuſculo de reverentia filiorum erga parentes, apud Stephanum Baluzium ad calcem operum Petri de Marca.*

Petrus Blesensis *Epiſtola* 47. in filios ingratos atque rebelles, & 11. de pietate ordinata.

S. Bernardinus Senensis *Sermone* 30. *Tomi I. & ſermone* 17. *Tomi II.*

Addendus etiam Maphæus Vegius Laudensis, vir eruditus & eloquens, qui merito hactenus

in

in *Bibliothecis Patrum* locum invenit, *a Libro IV. de liberorum educatione.*

Nec omittendi, quos Titulo de *Matrimonio* laudabimus, cum de moleſtiis, quas parentibus liberi faceſſunt.

TITULUS XXVII.

De *Luxuria.*

CAPUT I.

Loci.

Pudicitia eo usque jam exolevit, ut non ejuratio, ſed moderatio libidinum credatur, isque ſatis caſtus habeatur, qui minus inceſtus fuerit. TERTULLIANUS *Libro de Pudicitia cap.* 1.

Enimvero utique interdum cogitabant, unde cecidiſſent, & poſt libidinum vaporata momenta cœlum ſuſpirabant. *Idem Libro de habitu muliebri (Seu, ut alii ſolent allegare, Libro 1. de cultu fœminarum) cap.* 2. *Etſi vero loquitur de filiis Dei filias hominum depereuntibus, quos ipſe cum aliis antiquis Angelos putabat, tamen juſtis & innocentibus antea Chriſtianis mirifice accommodatur.*

Idem de Fornicatione, atque de Adulterio locutus: Reliquas autem, *inquit,* libidinum furias impias, & in corpora & in ſexus ultra jura naturæ non modo limine, verum omni eccleſiæ tecto ſummovemus; quia non ſunt delicta, ſed monſtra. *Libro ſupra laudato de pudicitia cap.* 4.

Impudicitia ſemper eſt deteſtanda, obſcœnum ludibrium reddens miniſtris ſuis, nec corpori parcens, nec animis. Debellatum enim propriis viribus totum hominem ſuum ſub triumpho libidinis facit. S. CYPRIANUS *Libro de bono pudicitiæ, ante medium.*

Idem ibidem vocat cupiditatum infeſtam rabiem, incendium conſcientiæ bonæ, matrem impœnitentiæ, ruinam melioris ætatis.

Quantos leones domuit una muliebris infirmitas delicata! *Idem, vel quisquis eſt auctor, de ſingularitate Clericorum, poſt initium.*

Deſiderii ſui veneno mens ebria corpus contumeliis applicat, & junctis complexibus ambo in mortiferas ſuavitates elapſi obdormiunt. Cumque evigilaverint, ſero pœnitentiam adducit confuſio, & inquinamentorum horror fœdatæ menti occurrit. *Idem creditus, reapſe Arnoldus Carnotenſis, Prologo operis de Cardinalibus Chriſti operibus.*

Cum excogitaſſet Deus duorum ſexuum rationem, attribuit iis, ut ſe invicem appeterent, & conjunctione gauderent. Itaque ardentiſſimam cupiditatem cunctorum animantium corporibus admiſcuit, ut in hos affectus avidiſſime ruerent, eaque ratione propagari, & multiplicari genera poſſent. Quæ cupiditas, & appetentia in homine vehementior, & acrior invenitur; vel quia hominum multitudinem voluit eſſe majorem, vel quoniam virtutem ſoli homini dedit, ut eſſet laus & gloria in coercendis voluptatibus, & abſtinentia ſui. Scit ergo adverſarius ille noſter, quanta ſit vis hujus cupiditatis, quam quidam neceſſitatem dicere maluerunt, eaque a recto & bono ad malum & pravum transfert. Illicita enim deſideria immittit, ut aliena corpora contaminent, quibus habere propria ſine delicto licet: objicitque oculis irritabiles formas, ſuggeritque fomenta, & vitiis pabulum ſumminiſtrat: tum intimis viſceribus ſtimulos omnes conturbat, & commovet, & naturalem illum incitat, atque inflammat ardorem; donec irretitum hominem, implicatumque decipiat. Ac ne quis eſſet, qui pœnarum metu abſtineret alieno, lupanaria quoque conſtituit, & pudorem infelicium mulie-

rum

rum publicavit, ut ludibrio haberet tam eos, qui faciunt, quam quas pati neceſſe eſt. His obſcœnitatibus animas ad ſanctitatem genitas velut in cœni gurgite demerſit, pudorem extinxit, pudicitiam profligavit. Idem etiam mares maribus admiſcuit, & nefandos coitus contra naturam, contraque inſtitutum Dei machinatus eſt. Sic imbuit homines, & armavit ad nefas omne. Quid enim poteſt eſſe ſanctum iis, qui ætatem imbecillam, & præſidio indigentem libidini ſuæ depopulandam fœdandamque ſubſtraverint? non poteſt hæc res pro magnitudine ſceleris enarrari. Nihil amplius iſtos appellare poſſum quam impios, & parricidas, quibus non ſufficit ſexus a Deo datus, niſi & ſuum profane, ac petulanter illudant. Hæc tamen apud illos levia, & quaſi honeſta ſunt. Quid dicam de iis, qui abominandam non libidinem, ſed inſaniam potius exercent? piget dicere; ſed quid his fore credamus, quos non piget facere? & tamen dicendum eſt, quia fit. De iſtis loquor, quorum teterrima libido & execrabilis furor ne capiti quidem parcit. Quibus hoc verbis, aut qua indignatione tantum nefas proſequar? vincit officium linguæ ſceleris magnitudo. Cum igitur libido hæc edat opera, & hæc facinora deſignet, armandi adverſus eam virtute maxima ſumus. Quisquis affectus illos frœnare non poteſt, cohibeat eos intra præſcriptum legitimi fori, ut & illud quod avide expetit, conſequatur, & tamen in peccatum non incidat. Nam quid ſibi homines perditi volunt? nempe honeſta opera voluptas ſequitur. Si ipſam per ſe appetunt, juſta, & legitima frui licet. Quod ſi aliqua neceſſitas prohibebit, tum vero minime adhibenda virtus erit, ut cupiditati continentia reluctetur. LACTANTIUS *Libro VI. divinarum Inſtitutionum cap.* 23.

Ita

Ita beſtialis ad libidinem impetus in pecudes homines vertit. S. Gregorius Nyssenus *de vita Moſis, ad finem.*

Sævus criminum ſtimulus libido eſt, quæ nunquam manere quietum patitur affectum. Nocte fervet, die anhelat, de ſomno excitat, a negotio abducit, a ratione revocat, auſert conſilium, mentes inquietat, lapſos inclinat, caſtis inſidiatur, potiendo inflammat, uſuque accenditur. Nullus peccandi modus, & inexplebilis ſcelerum ſitis niſi morte amantis extingui non poteſt. S. Ambrosius *Libro II. de Abel & Cain cap.* 5.

Non vides hæc ſancta vaſa? an non ad unum eis ſemper eſt opus? num audet quispiam eis uti ad aliquid aliud? Tu es his vaſis ſanctior, & multo ſanctior: cur ergo te ipſum polluis, & inquinas? S. Chrysostomus *homilia* 14. *in ad Epheſios, — ad finem.*

Idem in pæderaſtiam: Quodcunque, exclamat, dixeris peccatum, non æquale dixeris huic iniquitati: &, ſi ii, qui hæc patiuntur, rei ſenſum haberent, millies mori præoptarent, ne hoc paterentur. *Homilia* 4. *in ad Romanos.*

Si libidinis igne flagras, ignem illum (gehennæ) oppone, atque hic confeſtim extinguetur, & evaneſcet. *Idem homilia* 10. *in II. ad Corinthios.*

Tactus alienorum corporum, & fœminarum ardentior appetitus vicinus inſaniæ eſt. Ob hunc ſenſum cupimus, iraſcimur, geſtimus, invicem æmulamur, ſoliciti ſumus, & expleta voluptate per quamdam plenitudinem rurſus accendimur, quærimusque facere, quod cum fecerimus, iterum pœniteamus. S. Hieronymus *Libro I. adverſus Jovinianum.*

Vires in fornicando deficiunt, & fornicandi deſiderium non quieſcit. *Idem in caput* 4. *Oſeæ.*

Libido

Libido tranſacta ſemper ſui relinquit pœnitudinem. Nunquam ſatiatur, & extincta re accenditur: uſu creſcit, & deficit; nec rationi paret, quæ impetu ducitur. *Idem Epiſt.* 123. *alias* 11. *ad Ageruchiam.*

Facile aliis caremus vitiis. Hic hoſtis nobis incluſus eſt, quocunque pergimus, nobiscum portamus inimicum. *Idem Epiſtola* 22. *ad Euſtochium, propius initium.*

De eodem cuncti ſumus luto, iisdem compacti exordiis. In ſerico, & in pannis eadem libido dominatur, nec regum purpuras timet, nec mendicantium ſpernit ſquallorem. *Idem Epiſt.* 79. *alias* 9. *ad Salvinam.*

Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? Si quis templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus. Videtis, quomodo minatur? non vis corrumpi domum tuam; quare corrumpis domum Dei? S. AUGUSTINUS *Libro de decem chordis cap.* 10.

Si placent corpora, Deum ex illis lauda, & in artificem eorum retorque amorem, ne in his, quæ tibi placent, tu ei diſpliceas. *Idem Libro IV. confeſſionum cap.* 11.

Diu profecto flagitioſiſſimus ille populus ignem illum accenderat, quo peribat: & ideo completis iniquitatibus ſuis arſit flammis criminum ſuorum; tam male enim de Deo meruit, ut gehennam, quæ in futuro judicio datur, etiam in hoc ſæculo ſuſtineret. SALVIANUS *Libro* 4. *de gubernatione Dei, ante medium.*

Et quanta iniquitas, & quam lugenda perverſitas, ut animam, quam Chriſtus ſanguine ſuo redemit, luxurioſus quisque propter unius momenti delectationem libidinis diabolo vendat! S. CÆSARIUS ARELATENSIS *ſermone* 89. Poni etiam ſolebat

bat inter opera Auguſtini, Titulo: *Liber de honeſtate mulierum.*

Libidinis initia continebit, qui exitum cogitabit. S. Martinus Bracarensis *in ſententiis de Moribus.*

Momentaneum eſt, quod delectat; æternum, quod cruciat. S. Gregorius M. S. Cæsarius, Petrus Blesensis, S. Franciscus Seraphicus iisdem fere verbis.

O deteſtanda concupiſcentiæ turpitudo! quæ non ſolum mentem effeminat, ſed corpus enervat: non ſolum maculat cor, ſed fœdat perſonam. Semper namque illam præcedunt ardor, & petulantia: ſemper comitatur fœtor, & immunditia: ſemper ſequuntur dolor, & pœnitentia. S. Laurentius Justinianus *de Ligno vitæ, Tractatu de continentia cap.* 3.

Hæc lues ſordidiſſima contaminat carnem, & mentem effeminat; ſi quid vero in homine honeſtum & virile eſt, totum obruit, & enervat. Cumque cetera vitia ſe quibusdam virtutum tegumentis oppallient, & frequenter ad humanos aſpectus quadam extollentia jactantiæ intumeſcant, mens hujus turpitudinis conſcia tantum prima fronte præfert ſuæ actionis horrorem, ut non ſolum ea hora, qua ipſius caro pernicioſa voluptate præſtringitur, ſed etiam, quando audit aliquos loquentes de turpitudine ſua, rubore perfunditur, abſentiam captat, & immundi operis recordatione torquetur. Petrus Blesensis *Libro de dilectione Dei & proximi* (*qui ſubjungitur Tractatui de Amicitia Chriſtiana*) *cap.* 7.

Quis æſtimare ſufficit, quam execrabiliter damnabilis ſit apud Deum & homines Herodiana crudelitas, quæ pueros occidit, atque malitia Pharaonis, qui ſubmerſit parvulos hebræorum! Et illi quidem non animarum, ſed corporum homicidæ fuerunt. Quanto igitur deteſtabilius eſt, eorum non

dicam

dicam homicidium, ſed parricidium, qui tot innocentum animas occiderunt! Procul dubio quanto excellentior eſt anima corpore, tanto infeliciores Pharaone ſunt proditores, & damnabiliores Herode. Putas, quod diſſimulando tranſeat, & non requirat Deus de manu tua, quod in concupiſcentiis, & in immunditiis tuis nobiliſſima ejus periit creatura? Nonne hoc eſt peccatum, quod lex Moyſis damnat ad mortem, lex Imperialis gladio ultore perſequitur? Deus etiam, qui ſolet peccatores miſericorditer ad pœnitentiam expectare, quaſi ſuæ bonitatis oblitus, in ultionem tanti criminis de cœlo pluit ignem ſulphureum, ut fœtorem peccati pœnæ fœtor oſtenderet, atque etiam cum ſupplicio temporali cruciatus æternæ damnationis inciperet. *Idem Libro de Confeſſione Sacramentali, ſub medium.*

Turpe reputas de tam turpi materia loqui; ſed turpior eſt infernus. Si fœdus eſt ſermo, fœdius eſt putreſcere in peccato. Numquid audebis facere, & ego illud dicere non audebo? *Idem ibidem. Quod optime quadrat omnibus, quot quot cloacam hanc purgare debent, labore quam ſibi injucundo, tam utili aliis, ac neceſſario.*

CAPUT II.

Fontes.

Tertullianus in *Libro*, quem laudavimus *de Pudicitia*, & alio *de Exhortatione caſtitatis*. Idem in *Apologetico* de ſpurcitiis Gentilium.

Clemens Alexandrinus *Libro II. Pædagogi cap.* 10. Idem in *Exhortatione ad gentes* de earum turpitudine.

Minutius Felix in *Octavio* & ipſe Ethnicorum Libidines exagitat.

S. Hieronymus *Libro II. adverſus Jovinianum*, qui & paſſim in Epiſtolis ſive cauſas hujus morbi, ſive remedia oſtendit. Notanda etiam *Epiſtola* 55. *alias* 147. *ad Amandum.*

S. Augustinus *Sermone* 162. *alias fragmento* 3. *de verbis Apoſtoli*, invehitur in fornicationem, idque verbis graviſſimis.

Sermone 289. *in appendice, alias* 243. *de Tempore*, de vanis excuſationibus tam ſcortationis, quam adulterii.

Libro XIV. de Civitate, capitibus pluribus. In prioribus quoque Libris ejusdem operis multa affert de cæcitate gentilium, qui libidinem veluti conſecraverant.

Libro IV. contra Julianum, fuſe.

Libro de bono conjugali.

Libro de continentia.

Libris de Nuptiis, & concupiſcentia.

Libris de adulterinis conjugiis &c.

S. Isidorus Pelusiota *Libro IV. epiſt.* 129. de qualitate peccati fornicationis.

Salvianus *Libris* 4. 6. & 7. *de gubernatione* acerrime hoc vitium exprobrat ſui temporis Chriſtianis.

Severinus Boethius *Libro III. de conſolatione Philoſophiæ Proſa* 7. & 8. atque etiam iisdem *Metris* impugnat libidinem.

S. Joannes Climacus *gradu* 15.

S. Gregorius M. *Libro* 6. *in I. Regum.*

S. Isidorus Hispalensis *Libro II. Sententiarum cap.* 39.

S. Antiochus *homiliis* 19. & 20.

S. Joannes Damascenus *Libro III. Paralellorum cap.* 28. *nunc Titulo X. litera* π. Varia huc affert.

S. Petrus Damiani *opuſculo* 49. *cap.* 3. Remedium miniſtrat in tentationibus libidinis.

S. ANSELMUS *in deploratione Virginitatis amiſſæ, & Paræneſi ad Virginem lapſam.*

S. BERNARDUS obiter de converſione ad *Clericos cap.* 12.

PETRUS BLESENSIS *Libro*, quem dixi, *de Amicitia chriſtiana capitibus* 6. 7. 8. & qui pone ſequitur *de charitate Dei & proximi, capitibus* 48. & 49.

JOANNES SARESBERIENSIS *Libro VIII. Policratici cap.* 6. & *Libro III. cap.* 13.

In Pæderaſtiam nominatim concitantur *S. Juſtinus* Martyr *apologia* 2. Clemens Alexandrinus *Libro II. Pædagogi cap.* 10. S. Ephræm *Epiſtola ad Joannem Monachum, Tomo II. novo græcolatino pag.* 186. Chryſoſtomus *Libro* 3. *contra oppugnatores vitæ monaſticæ, & homilia* 4. *in ad Romanos.* Salvianus *Libro* 7. *de gubernatione, poſt medium.* S. Petrus Damiani in *Libro Gomorrhiano* Alanus Inſulenſis *Libro de planctu naturæ contra Sodomiæ crimen.* S. Bernardus *de converſione ad Clericos cap.* 19. Petrus Bleſenſis *Tractatu de charitate Dei & proximi cap.* 7. S. Bernardinus Senenſis *Tomo II. ſermone* 15.

Videre etiam juverit Titulos : *Matrimonium, Virginitas, Forma, Mulier, Caro, Tentationes &c.*

TITULUS XXVIII.

De *Magiſtratibus*, & capitibus Familiarum.

CAPUT I.

Loci.

Quoniam mores ac vitia Regis immitari genus obſequii judicatur, abjecerunt omnes pietatem, ne exprobrare regi ſcelus viderentur, ſi pie viverent. Sic aſſidua imitatione corrupti divinum fas reliquerunt, & paulatim male vivendi conſuetudo

tudo mos factus eſt. Lactantius *Libro V. divinarum Inſtitutionum cap.* 6.

S. Gregorius Nazianzenus, *cum enumeraſſet difficultates, quæ in regendo alios oboriuntur:* In his ego, *inquit*, cogitationibus dies noctesque verſor, hæc medullas etiam meas eliquant, & carnes conficiunt, nec me audacem eſſe ſinunt, ac ſublata facie incedere. Hæc animum meum dejiciunt, & mentem contrahunt, & linguæ vinculum injiciunt, faciuntque, ut non de Præfectura, nec de corrigendis & gubernandis aliis cogitem, id quod exuberantis cujusdam facultatis eſt, ſed quomodo ipſe venientem iram effugere atque a vitii rubigine nonnihil meipſum abradere queam: purgarique prius, deinde purgare, ſapientia inſtrui, atque ita demum alios ſapientia inſtruere, lux fieri, & alios illuminare, ad Deum appropinquare, & ita alios adducere. *Oratione* 1. *poſt medium.*

S. Gregorius Nyssenus *oratione* 1. *de hominis procreatione acutiſſimum in principes mulieroſos telum intorquet:* Turpe eſt, *inquiens*, ut qui domi ſuæ ſervus eſt, gentibus dominetur, & is reipublicæ tradat gubernacula, qui ſcorti nutus obſervat, qui meretricis arbitrio regitur.

Quis ferat, ſi ipſe gubernare nequeat, qui alios gubernandos receperit? S. Ambrosius *Epiſtola* 63. *alias* 82. *&* 25. *ad Eccleſiam Vercellenſem, ſub medium.*

Qui ſtudet humanæ infirmitatis emendare vitia, ipſam infirmitatem ſuis debet ſuſtinere & quodammodo penſare humeris, non abjicere. Nam paſtor ille laſſam ovem veniſſe legitur, non abjeciſſe. Quare illi non ſunt inter Chriſti diſcipulos habendi, qui dura pro mitibus, ſuperba pro humilibus ſequenda opinantur, & cum ipſi quærant Domini miſericordiam, aliis eam denegant. S. Ambrosius *Libro I. de pœnitentia cap.* 1.

Gentilibus quoque ipſis deteriores eſſe ait, qui proximi ſalutem neglexerunt, ſic dicens: *Si quis autem ſuorum & maxime domeſticorum providentiam non gerit, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* Quid enim hoc loco providentiæ nomine vis intelligi? An fortaſſe neceſſariorum largitionem? equidem puto ipſum curam animæ ſignificare. Sin vero tu contradicas, ſic quoque mea ſententia firmior manebit. Nam ſi de corpore hæc dicit eumque qui quotidianum hunc cibum non præbet, tanto ſupplicio addixit, gentilibusque deteriorem eſſe ait; quo tandem in loco ſtatuetur is, qui quod majus, magisque neceſſarium eſt contemnit? S. CHRYSOSTOMUS *Libro* 3. *adverſus oppugnatores vitæ monaſticæ.*

Quod ipſum etiam obſervat diſcipulus ejus ISIDORUS PELUSIOTA *Libro II. epiſt.* 124.

Audiant te homines parva mandantem, & grandia videant facientem. AUCTOR *operis imperfecti in Matthæum, homilia* 43. *ante medium.*

Solemus mala domus noſtræ ſcire noviſſimi, ac liberorum, & conjugum vitia vicinis canentibus ignoramus. S. HIERONYMUS *Epiſt.* 147. *alias* 48. *ad Sabinianum, prope finem.*

Præclare quadrat magiſtratibus malis, quod dixit Auguſtinus de diis gentilium: Illi & alii atque alii ſimiles . . tanquam in ſenatum Deorum ſelecti; ſed plane ſelecti nobilitate criminum, non dignitate virtutum. S. AUGUSTINUS *Libro VII. de Civitate cap.* 33.

Quisquis in eo quod præpoſitus eſt gaudet, & honorem ſuum quærit, & commoda ſua reſpicit: ſe paſcit, non oves. *Idem Libro de Paſtoribus cap.* 1.

Magnopere obſervent dum vindicant, ne nimium ſit: cum ignoſcunt, ne parum. Nihil puniant, quod non valeat ad melius: nihil indulgeant, quod vertatur in pejus. Suos putent omnes,

in

in quos ſibi poteſtas data fuerit. Ita ſerviant, ut eis dominari pudeat, ita dominentur, ut eos ſervire delectet. *Idem Libro II. de ordine cap.* 8.

Quid iniquius, quam velle ſibi obtemperari a minoribus, & nolle obtemperare majoribus? *Idem Libro de opere Monachorum cap.* 31.

Chariſſimi! in tanta morum diverſitate, & tam deteſtabili corruptela regite domos veſtras, regite filios veſtros, regite familias veſtras. Quomodo ad nos pertinet in Eccleſia loqui verbis, ſic ad vos pertinet in domibus veſtris agere; ut bonam rationem reddatis de his, qui vobis ſunt ſubditi. Amat Deus diſciplinam. Perverſa autem, & falſa innocentia eſt habenas laxare peccatis. Valde inutiliter, valde pernicioſe ſentiet filius patris lenitatem, ut juſte poſtea Dei ſentiat ſeveritatem. Et hoc non ſolus; ſed cum diſſoluto patre ſuo. Quid enim? ſi ipſe non peccat, & non facit quod filius ejus: ideo non debet ab ipſa nequitia filium prohibere? An forte ut videatur filio ejus, quin & pater talia faceret, niſi ſenuiſſet? Peccatum quod tibi non diſplicet in filio tuo, delectat te; ſed ætas deſeruit, non cupiditas. *Idem Enarratione in Pſalmum* 50. *ad calcem.*

Nullus congregationi fratrum præfuturus eligatur, priusquam idem qui præficiendus eſt, quid obtemperaturis oporteat imperare, obediendo didicerit: & quid junioribus tradere debeat, inſtitutis ſeniorum fuerit aſſecutus. S. Cassianus *Libro II. cap.* 3. *Monaſticarum Inſtitutionum.*

Qui ſcit ſe quibusdam eſſe præpoſitum, non moleſte ferat, aliquem ſibi eſſe prælatum; ſed obedientiam quam exigit, etiam ipſe dependat, & ſicut non vult gravis oneris ſarcinam ferre, ita non audeat aliis importabile onus imponere. S. Leo *Epiſtola* 14. *alias* 84. *ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem, in fine.*

Tunc illi pauperes Magiſtratus opulentam rempublicam habebant: nunc autem dives poteſtas pauperem facit eſſe rempublicam. Et quæ rogo inſania eſt, aut quæ cæcitas, ut egeſtuoſa, ac mendicante republica divitias poſſe putent ſtare privatas? Salvianus *Libro I. de gubernatione Dei.*

Inhoneſta victoria eſt ſuos vincere. Satis eſt pœnarum potuiſſe punire. S. Martinus Bracarensis *in Sententiis de Moribus.*

Virtutibus pollens coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus nec coactus accedat. S. Gregorius M. *Paſtoralis curæ Parte I. cap. 9.*

Penſet ergo, qui ad ſatisfaciendum diſtricto judici de ſua tantummodo anima fortaſſe vix ſufficit, quia quot regendis ſubditis præeſt, reddendo apud eum rationis tempore ut ita dicam tot ſolus animas habet. *Idem Libro XXIV. Moralium cap. ultimo.*

Uſus rectæ converſationis eſt, ut præeſſe non audeat, qui ſubeſſe non didicerit; nec obedientiam ſubjectis imperet, quam prælatis non novit exhibere. *Idem Libro I. Dialogorum cap.* 1.

Sit Rector operatione præcipuus, ut vitæ viam ſubditis vivendo denuntiet: & grex, qui Paſtoris vocem, moresque ſequitur, per exempla melius, quam per verba gradiatur. Qui enim loci ſui neceſſitate exigitur ſumma dicere, hac eadem neceſſitate compellitur ſumma monſtrare. Illa vox namque libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat; quia quod loquendo imperat, oſtendendo adjuvat, ut fiat. *Idem Paſtoralis curæ Parte II. cap.* 3.

Quæ poteſt eſſe paſtoris excuſatio, ſi lupus oves comedit, & paſtor neſcit? *Idem Libro II. Regiſtri Indictione* 11. *epiſt.* 52. *nunc Libro III. Indictione* 11. *epiſt.* 53. *ad Joannem Epiſcopum.*

Talis

Talis debet eſſe diſpenſatio regiminis, ut is qui præeſt ea ſe circa ſubditos menſura moderetur, quatenus & arridens timeri debeat, & iratus amari; ut eum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata ſeveritas odioſum. *Idem Libro XX. Moralium cap.* 3.

Moyſes ſic amavit eos, quibus præfuit, ut pro eis nec ſibi parceret: & tamen delinquentes ſic perſecutus eſt, quos amavit, ut eos etiam Domino parcente proſterneret. Utrobique legatus fortis, utrobique mediator admirabilis cauſam populi apud Deum precibus, cauſam Dei apud populum gladiis allegavit. *Idem Libro XX. Moralium cap.* 5.

Plerumque qui præſunt, niſi in ore cordis Spiritus ſancti fræno teneantur, in iratæ retributionis atrocitatem proſiliunt: quantumque prævalent agere, tantum in ſibi ſubditis æſtimant licere. Amica etenim poteſtati pene ſemper impatientia eſt, eique male ſubjectæ imperat; quia quod ipſa ſentit, poteſtas exequitur. Sed ſancti viri plus ſe interius patientiæ jugo ſubjiciunt, quam foris hominibus præſunt, & eo veriorem principatum foris exhibent, quo humiliorem Deo intrinſecus famulatum tenent. Atque idcirco ſæpe plus quoſdam tolerant, quo ſe de eis ulciſci amplius poſſunt, ac ne unquam ad illicita tranſeant, plerumque nolunt pro ſe exequi etiam quod licet. *Idem Libro XX. Moralium cap.* 38.

Reſtringenda ſub ratione poteſtas eſt, nec quidquam agendum priuſquam concitata ad tranquillitatem mens redeat; nam commotionis tempore juſtum putat ira quod fecerit. *Idem Libro X. Indictione* 3. *epiſt.* 11. *alias* 12. *ad Godeſcalcum Ducem.*

Quod verbis prædicant, moribus impugnant. Unde fit, ut cum paſtor per abrupta graditur, ad præcipitium grex ſequatur. *Idem Paſtoralis curæ Parte I. cap.* 2.

Scire Prælati debent, quia ſi perverſa unquam penetrant, tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmittunt. *Idem ejuſdem operis Parte III. admonitione* 5.

Rectorem ſubditis & Matrem pietas, & Patrem exhibeat diſciplina. HUGO A S. VICTORE *Libro IV. Miſcellanearum Eruditionum Titulo* 11.

Altiorem locum ſortitus es, ſed non tutiorem: ſublimiorem, non ſecuriorem. S. BERNARDUS *Epiſtola* 237. *ad Papam Eugenium.*

Subeſſe non ſuſtinent, præeſſe non norunt; ſuperioribus infideles, inferioribus importabiles. *Idem Libro IV. de conſideratione cap.* 2.

Qui dimittit oves in paſcua absque cuſtode, paſtor eſt non ovium ſed luporum. *Idem ſermone* 77. *in Cantica, prope finem.*

Væ tibi, ſi præes, & non prodes! Sed væ gravius, ſi quia præeſſe metuis, prodeſſe refugis. *Idem Epiſtola* 86. *ad Guilielmum Abbatem S. Theodorici.*

Pulcherrimus ordo eſt, & ſaluberrimus, ut onus quod portandum imponis, tu portes prior, & ex te diſcas qualiter oporteat aliis moderari. *Idem Epiſtola* 201. *ad Balduinum Abbatem Reatini monaſterii.*

Magna abuſio! pauci ad os legislatoris, ad manus omnes reſpiciunt. *Idem Libro IV. de Conſideratione cap.* 2.

Ipſe rector, ipſe regula fratrum. Legebant in vita ejus quomodo converſarentur. *Idem in vita S. Malachiæ, propius initium.*

Ament te domeſtici tui; ſi non, facito ut timeant. *Idem Libro IV. de conſideratione cap.* 6.

Curam exigeris, non curationem. *Idem Libro eodem cap.* 2. *Et mox:* Ita quæſo fac tu, quod tuum eſt; nam Deus quod ſuum eſt ſatis absque tua ſolicitudine, & anxietate curabit.

CAPUT

CAPUT II.

Fontes.

PHILO HEBRÆUS *Libro de Creatione Principis.*

ATHENAGORAS *in Legatione pro Chriſtianis.*

ORIGENES *homilia* 20. *in Numeros*, de periculo Principum & Magiſtratuum. Item *homilia* 7. *in Jeſum Nave.*

S. CYPRIANUS *ad Demetrianum*, & quæ alia ex eo memoravi Titulo: *Juſtitia.*

LACTANTIUS *Libro V. Inſtitutionum citatarum*, *capitibus* 6. & 24. *Libro item de opificio Dei cap.* 20. ubi pulchra eſt commendatio humani capitis.

S. OPTATUS MILEVITANUS *Libro III. de Schiſmate Donatiſtarum, initio*, de obſervantia in Principem.

S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Orationibus* 1. 17. 19. Prima autem tota in difficultate regendi conſumitur. Adde *Epiſtolam ejus* 50. *ad Olympium* imperio decedentem.

S. AMBROSIUS *ſermone* 20. *in Pſalmum* 118. poteſtate ne abutamur.

S. CHRYSOSTOMUS *homilia de nomine Abrahæ*, qua commendat lenitatem.

Homilia 1. *de David & Saul*, ubi urget reverentiam Principum.

Homilia 1. *in illud Eſaiæ:* Vidi Dominum. Negligentiam magiſtratuum ſæpe naſci ex culpa populi.

Homilia 61. *in Matthæum*, de cura Patrumfamilias.

Homilia 23 *in ad Romanos*, de obſervantia erga Magiſtratus.

Homilia 5. *in II. ad Theſſalonicenſes*, ubi præclara datur idea patrifamilias, & ſuperioris.

Homilia 14. *in I. ad Timotheum*, de cura domeſticorum &c.

Homilia 16. *in eandem*, ut qui alios ſibi volunt obedire, etiam ipſi Deo obediant.

Homilia 34. *in ad Hebræos*, de neceſſitate Magiſtratuum.

Adde *Homiliam ejus* 6. *ad populum*, de Magiſtratibus timendis, & *Eclogam* 21. *de Imperio & poteſtate.*

SYNESIUS *Oratione de Regno*, & *Epiſtola* 73. *de veris Præfectis.*

S. AUGUSTINUS *Libros de civitate IV.* & *V.* fere totos conſumit, ut oſtendat poteſtatem principum eſſe a Deo, & referendam ad Deum. Idem etiam huc facit *ſermone* 83. *alias* 15. *de verbis Domini, ad finem:* Et *ſermone* 62. *alias* 6. *de verbis Domini*, ne obediamus, cum malum quid præcipitur, poteſtatemve reformidemus. Adde *Epiſtolam ejus* 70. *nunc* 220. poteſtate mundana quomodo utendum.

S. PAULINUS, aut quiſquis eſt *auctor Epiſtolæ ad Celantiam*, de officio matrisfamilias.

S. ISIDORUS PELUSIOTA *Libro IV. epiſt.* 145. de difficultate regendi homines. *Libro item V. epiſtolis* 225. & 275. eum demum, qui bene pareat, eſſe bene imperaturum.

S. CYRILLUS ALEXANDRINUS *Libro de recta fide ad Theodoſium Imperatorem, initio.*

THEODORETUS præſtantiſſime *Oratione* 7. *de Providentia.*

SALVIANUS *Libro VII. de Gubernatione Dei.* Cui adde, quæ ſupra Titulo de *Juſtitia* attulimus in cauſa violentiæ, oppreſſionisque ſubditorum.

S. VALERIANUS CIMELIENSIS *homilia* 1. *de bono diſciplinæ.*

AGAPETUS *Diaconus in admonitoria ad Juſtinianum Imperatorem.*

S. FULGENTIUS *Libro de Prædeſtinatione & gratia cap.* 13. ut Deo præſtent obedientiam, qui exigunt ab hominibus.

S. JOAN-

S. Joannes Climacus *Libro ad religioſum Paſtorem, ſeu de officio cœnobiarchæ.*

S Gregorius M *Libro Paſtorali. Libro item XXIV. Moralium, capitibus* 24. & 25. de ſuperbia Principibus cavenda. *Libro XXVI. Moralium cap.* 26. & 27. de humilitate cum poteſtate jungenda.

S. Antiochus *homilia* 111.

Jonas Aurelianensis *opuſculo de Inſtitutione regia.*

Hincmarus Rhemensis *opuſculo de regis perſona, & regio miniſterio ad Carolum Calvum Regem:* Item alio *de Novi regis inſtitutione ad rectam regni adminiſtrationem. ad Ludovicum Balbum Regem.*

Photius *Epiſtola* 1. ſane egregia ad *Michaëlem Principem Bulgariæ, de Principis officio.*

S. Petrus Damiani *opuſculo XIII. cap.* 17. de periculis & labore Præfecturarum: Item *Opuſculo XXI. cap.* 1. quod pariter huc ſpectat. Præcipue autem *opuſculo* 57. *de Principis officiis, in coërcitione improborum.*

S. Bernardus *Libris quinque de conſideratione ad Eugenium Papam,* ubi paſſim & copioſe hoc ventilat argumentum.

Epiſtola 42. *ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum,* quæ eſt hodie *Tractatibus* adjuncta. Agit autem egregie de Præpoſitis iis, qui, quam petunt a ſuis obedientiam, ſuperioribus aliis negant.

Sermone 3. *de Adventu Domini,* quanta cura ſervandæ ſubditorum animæ.

Sermone 44. *in Cantica,* de ſpiritu lenitatis.

Sermonibus 76. & 77. *in eadem Cantica,* de bonis & malis Prælatis.

Petrus Cellensis *Epiſtola* 34. ne reſpectu humano negligatur diſciplina.

Philippus Abbas *Epiſtola* 13. & *Libro de obedientia.*

Joan-

JOANNES SARESBERIENSIS *Libris IV. V. VI. VIII. Policratici.*

GUILIELMUS PARISIENSIS *Libro de Moribus cap.* 8. in indiſcretos ſuperiores ſane egregie.

S. BERNARDINUS SENENSIS *Tomo II. ſermone* 16. de regimine Principum.

JOANNES ANTONIUS CAMPANUS. *Epiſcopus Interamnenſis, Libro de gerendo Magiſtratu,* qui & ipſe in *Bibliothecam Patrum* fuit translatus.

DIONYSIUS CARTHUSIANUS *de vita & regimine Principum:* Et *de vita principis fœminæ.*

Accedunt Tituli: *Obedientia. Domini. Servi. Epiſcopatus. Ambitio. Peccata aliena. Zelus &c.*

TITULUS XXIX.

De *Matrimonio.*

CAPUT I.

Loci.

Adjiciunt ſibi homines cauſas nuptiarum de ſollicitudine poſteritatis, & liberorum amariſſima voluptate. TERTULLIANUS *Libro I. ad uxorem cap.* 5.

Servanda fides ab utroque alteri eſt; imo exemplo continentiæ docenda uxor, ut ſe caſte gerat. Iniquum eſt enim, ut id exigas, quod præſtare ipſe non poſſis. Quæ iniquitas effecit profecto, ut eſſent adulteria, fœminis ægre ferentibus præſtare ſe fidem non exhibentibus mutuam charitatem. Denique nulla eſt tam perditi pudoris adultera, quæ non hanc cauſam vitiis ſuis prætendat, injuriam ſe peccando non facere, ſed referre. LACTANTIUS *Libro VI. divinarum Inſtitutionum cap.* 23.

S. BA-

S. Basilius (*aut quiſquis eſt auctor*) *de vera Virginitate propius initium, poſtquam ærumnas uxoris enarraſſet, ita egregie concludit:* Sed quid plura neceſſe eſt dicere? Dominum dote mulier emens virum, ancilla fit ex libera, exigua nuptiarum voluptate naturalem vendens libertatem, ac januam ſibi ineffabilium dolorum, ac omnium moleſtiarum materiam in matrimonio aperit.

Verum non ita o viri! conceſſum aliquid eſto vel memoriæ membrorum veſtrorum. Flectant & injiciant pudorem obſequia ac miniſteria uxorum. Quantavis ira ſuccenſueritis, partus unius dolores cum iis contendite quæ reprehenditis, multisque hæc partibus vinci comperietis. Conſiderentur, inque medium proferantur benevolentiæ bona, morborum curationes, caſuum ac calamitatum ſocietas, lachrymæ mariti cauſa nonnullis oblatæ. Veniat in mentem, quod parentes ſuos, quod domum reliquerit, qua fuerat edita, extraneum ſecuta: quod forte aliquid rerum ſuarum, ut viri injuriam, moleſtiamque redimeret, abalienaverit. Hæc omnia affectum concilient, amorisque vinculum nectant, ac lubricum animum velut marcidam domum contineant, atque erigant. Vincat miſericordia nec conſuetudo, ac longi temporis convictus conculcentur, quibus brutis ipſis animantibus ſeparari ægre accidit. Asterius Amasenus *homilia* 5. *in illud:* An liceat homini dimittere uxorem &c.

Bona vincula nuptiarum, ſed tamen vincula etſi vincula, tamen charitatis. Bonum conjugium, ſed tamen a jugo tractum, & jugo mundi. S. Ambrosius *Libro III. de virginibus, circa medium.*

Quæ nupſerit, ad ſervitutem pecunia ſua venditur. Meliori conditione mancipia, quam conjugia comparantur. In illis meritum emitur ſervitutis, in iſtis pretium ad ſervitutem additur.

Idem

Idem in opere alio, quod Exhortatio Virginitatis vocatur.

Nemo alienum affectet thorum; nec latendi ſpe, aut faciendi impunitate, nec longiore mariti abſentia provocetur. Adeſt præſul conjugii Deus, quem nihil latet, nullus evadet. Nemo irrideat vicem abſentis mariti. Servat excubias Deus, imo ſine excubiis deprehendet reum, antequam faciat. In animis ſingulorum crimen agnoſcit, & ſi maritum fefelleris, eum non falles. Si maritum evaſeris, & judicem, non evades Judicem totius mundi. Ille gravius ulciſcitur injuriam inopis, contumeliam mariti imprudentis. Major eſt injuria auctorem, quam cuſtodem thalami ſpreviſſe, & non conſideraſſe. *Idem Libro de Abraham cap.* 2.

Levius certe faciliusque eſt contra naturæ concupiſcentiam, & contra ſe ipſum certare, quam contra improbam mulierem. S. CHRYSOSTOMUS *homilia* 63. *in Matthæum.*

Nemo veſtrum ſtudeat uxorem ducere ditiorem, ſed potius pauperiorem. Non enim ingredietur afferens ex divitiis tantam occaſionem voluptatis quantam introducet moleſtiam ex probris, ex eo quod plura exigat quam intulerit, ex contumeliis, ex magnis ſumptibus & impenſis, ex verbis moleſtis & importunis. Fortaſſe enim dicet: Nihil adhuc conſumpſi ex tuis, meis adhuc induor, ex iis quæ mihi donarunt parentes. Quid dicis o mulier! tuis es adhuc induta? Et quid hoc verbo fuerit miſerius? corpus non habes proprium, & pecunias habes proprias? non eſtis amplius duæ carnes poſt matrimonium, ſed facti eſtis in unam: & duæ ſunt facultates, non una? O amor pecuniæ! unus homo, unum ambo facti eſtis animal, & adhuc dicis mea! Execrandum hoc verbum & ſceleratum a Diabolo eſt invectum. Deus omnia nobis fecit communia, quæ ſunt his magis neceſ-

ſaria:

ſaria: & hæc non ſunt communia? Non licet dicere lux eſt mea, ſol eſt meus, aqua mea, quæ ſunt majora, omnia nobis ſunt communia: pecuniæ autem non erunt communes? pereant millies pecuniæ; imo vero non pecuniæ, ſed animi inſtituta, quæ neſciunt uti pecuniis ſed eas omnibus præferunt. *Idem ibidem.*

Honora eam (uxorem) & non opus habebit, ut honoretur ab aliis. *Idem ibid. inferius.*

Vis tibi obedire uxorem, ſicut Chriſto Eccleſiam? ipſe quoque ejus curam gere, ſicut Chriſtus Eccleſiæ. Etiamſi animam pro ipſa dare oporteat, etiamſi millies conſcindi, etiamſi quodvis ſuſtinere & pati: non recuſabis: Et ſi hæc paſſus fueris, nihil adhuc tale feciſti, quale Chriſtus. Nam tu quidem jam conjunctus hæc facis: ille autem pro ea, quæ ipſum averſatur, & odio habet. *Idem ibidem ſuperius.*

Continentiam is, qui uxorem habet, facilius ſervabit, utpote qui ſolatio multo fruatur: in reliquis autem non ita clara res eſt. Verum in illa quoque re plures videmus conjugatorum cadere, quam monachorum. Neque enim tot ex monaſteriis ad nuptias tranſeunt, quot ex conjugali toro ad ſcorta. *Idem Libro III. adverſus oppugnatores vitæ monaſticæ, numero* 14.

(Uxorem verberare) hæc extrema contumelia eſt, non verberatæ, ſed verberanti . . . Dedecus & ignominia autem hujus modi quis ferat? quis ſermo poſſit eam explicare, quando ululatus & gemitus per compita feruntur, & concurſus eſt in domum ejus, qui tam indecore ſe gerit, & vicinorum & prætereuntium, ac ſi fera quæpiam quæ intus ſunt labefactet & perdat? Optabilis eſſet terram dehiſcere ei, qui tam furioſe ſe gerat, quam ut poſtea in foro appareat. *Idem homilia 26. in I. ad Corinthios.*

Ubi

Ubi timor Dei eſt, ibi & caſtitas eſt, ubi autem non eſt timor Dei, ibi neque caſtitas eſt. Caro enim urget, ſecuritas mulieris adjuvat carnem. Si timor Dei non fuerit, quis reſiſtet, quis eam teneat indagatam? AUCTOR *Operis imperfecti in Matthæum, homilia* I.

Nulla eſt uxoris electio; ſed qualiscunque obvenerit habenda. Si iracunda, ſi fatua, ſi deformis, ſi ſuperba, ſi fœtida, quodcunque vitii eſt, poſt nuptias diſcimus. Equus, aſinus, bos, canis, & viliſſima mancipia, veſtes quoque & lebetes, ſedile ligneum, calix, & urceolus fictilis probantur prius, & ſic emuntur; ſola uxor non oſtenditur, ne ante diſpliceat, quam ducatur. S. HIERONYMUS *Libro I. adverſus Jovinianum, ad finem,* ex mente Theophraſti.

Uxorem pauperem alere difficile eſt; divitem ferre tormentum. *Idem ibidem ex eodem.*

Quorumdam matrimonia adulteriis cohæſerunt, & o rem improbam! iisdem illis (mulieribus) pudicitiam præceperunt, qui abſtulerant. Itaque cito ejusmodi nuptias ſatietas ſolvit, cum primum lenocinium libidinis abſceſſit, quod licebat eviluit. *Idem ibidem, paulo inferius.*

Origo amoris (conjugum) honeſta, ſed magnitudo deformis. Nihil autem intereſt quam ex honeſta cauſa quis inſaniat, unde & Xyſtus in ſententiis: Adulter eſt, inquit, in ſuam uxorem amator ardentior. In aliena quippe uxore omnis amor turpis eſt, in ſua nimius. Sapiens vir judicio debet amare conjugem, non affectu. Reget impetus voluptatis, nec præceps feretur in coitum. Nihil eſt fœdius, quam uxorem amare quaſi adulteram. Certe qui dicunt ſe cauſa reipublicæ & generis humani uxoribus jungi, & liberos tollere, imitentur ſaltem pecudes, & poſtquam uxorum venter intumuerit, non perdant filios, nec amatores uxoribus

ribus ſe exhibeant, ſed maritos. *Idem ibidem.*

Quidquid viris jubetur, hoc conſequenter redundat in fœminas, neque enim adultera uxor dimittenda eſt, & vir mœchus retinendus. Si qui meretrici jungitur, unum corpus facit, igitur & quæ ſcortatori, impuroque ſociatur, unum cum eo corpus efficitur. Aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ Chriſti: aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit. Apud illos viris impudicitiæ frœna laxantur, & ſolo ſtupro, atque adulterio condemnato paſſim per lupanaria, & ancillulas libido permittitur; quaſi culpam dignitas faciat, non voluntas. Apud nos quod non licet fœminis, æque non licet viris, & eadem ſervitus pari conditione cenſetur. *Idem Epiſtola* 77. *alias* 30. *ad Oceanum.*

Quid prodeſt etiam diligens cuſtodia; cum uxor ſervari impudica non poſſit, pudica non debeat. Infida enim cuſtos eſt caſtitatis neceſſitas, & illa vere pudica dicenda eſt, cui licuit peccare, ſi voluit. *Idem Libro ante laudato adverſus Jovinianum, iterum ad finem.*

Si ducturi eſtis uxores, ſervate vos uxoribus veſtris. Quales vultis eas invenire, tales & ipſæ inveniant vos. Quis eſt, qui non caſtam velit ducere? intactam quæris? intactus eſto. Puram? purus eſto. Non enim illa poteſt, & tu non potes. Si fieri non poſſet, nec illa poſſet. Quia vero illa poteſt, doceat te, quia fieri poteſt. S. Augustinus *ſermone* 132. *alias* 46. *de verbis Domini.*

Sed cum hæc eis dicimus, non ſolum nihil volunt detrahere ſeveritati, ſed iraſcuntur inſuper veritati, & loquuntur, atque reſpondent: Sed nos viri ſumus. An vero ſexus noſtri dignitas hanc ſuſtinebit injuriam, ut cum aliis fœminis præter uxores noſtras ſi quid admittimus, in luendis pœnis mulieribus comparemur? Quaſi non propterea ma-

gis debeant illicitas concupiſcentias viriliter frœnare quia viri ſunt: quaſi non propterea minus debeant a libidine ſuperari quia viri ſunt: quaſi non propterea minus debeant laſcivienti carni ſervire, quia viri ſunt. Et tamen indignantur ſi audiant adulteros viros pendere ſimiles adulteris fœminis pœnas; cum tanto gravius eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet, & virtute vincere, & exemplo regere fœminas. Chriſtianis equidem loquor, qui fideliter audiunt: *Caput mulieris vir;* uti ſe agnoſcunt duces, illas autem comites eſſe debere. Et ideo cavendum eſt viro illac ire vivendo, qua timet, ne uxor ſequatur imitando. *Idem Libro II. de adulterinis conjugiis cap.* 8.

Servetur inprimis viro auctoritas ſua, totaque a te diſcat domus, quantum illi honoris debeat. Tu illum dominum obſequio tuo, tu magnum illum tua humilitate demonſtra, tanto ipſa honoratior futura, quanto illum amplius honoraveris. Caput enim, ut ait Apoſtolus, mulieris eſt vir; nec aliunde magis reliquum corpus ornatur, quam ex capitis dignitate. S. Paulinus, *aut quiſcunque Auctor Epiſtolæ ad Celantiam, poſt medium.*

In lege, in qua conjugiorum jura ſervantur, quamvis cohibita luxuriæ evagatio uni tantum fœminæ mancipatur: tamen nequaquam poſſunt carnalis concupiſcentiæ aculei non vigere, & difficile eſt, ut ignis, cui etiam ſtudioſe pabula ſuggeruntur, ita præfixis terminis includatur, ut non extra vagatus amburat, quidquid attigerit. Cui etiamſi ſua illa ita ſemper occurrat objectio, ut exæſtuare extrinſecus non ſinatur, tamen etiam dum cohibetur, incendit; quia voluptas ipſa culpabilis eſt, & ad velociſſimos adulteriorum rapitur exceſſus conſuetudo concubitus. Cæterum quos gratia Salvatoris ſancto incorruptionis amore flammaverit, ita omnes carnalium deſideriorum ſpinas dominicæ

chari-

charitatis igne conſumunt, ut nec tepens favilla vitiorum refrigerium integritatis imminuat. Legis ergo famuli licitorum uſu ad illicita prolabuntur, gratiæ participes, dum licita contemnunt, illicita non noverunt. S. CASSIANUS *Collatione XXI. cap.* 33.

A congreſſu venereo abſtines, nec cum marito tuo dormire vis? ille autem, quia tui copiam ipſi negas, abit jam, ac ſcelus perpetrat. Illius ſcelus continentiæ tuæ adſcribetur. Utrum tandem præſtat, eumne tecum ſomno frui, an cum meretrice? Ne te fruatur, non ipſi interdictum eſt; ne autem illa, lege divina prohibetur. Si tecum dormierit, nihil criminis eſt: ſi autem cum illa, membris tuis exitium attuliſti. Sedet igitur Paulus in viri & uxoris cubili, & clamat: *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus.* Videsne te hac de cauſa uxorem accepiſſe, & illam item virum, ut pudicitiam coleretis? Audes te a libidine continere? adduc maritum, ut ipſe quoque continentiæ ſtudeat, quo duplex corona ſit, altera nimirum caſtitatis, altera concordiæ, non autem caſtitatis & belli. S. JOANNES DAMASCENUS *ex ſermone Chryſoſtomi* I. *in Pſalmum* 50 quem locum quia Billius, aliunde inſignis interpres, ſecunda vice latinum reddidit, ſcilicet cum Chryſoſtomum *in pſalmos*, & Damaſceni *Parallela* verteret, malui ipſius verba retinere *Libro III. Parallelorum Editionis antiquæ Damaſceni cap.* 28.

Non gignendæ proli, ſed ingenitæ deſerviunt voluptati. Ii plane non mariti, ſed prolectarii: non conjuges, ſed potius amatores ſic ad intemperantiam coitus tempus omne continuant, ut uxoribus ſuis, quod turpe dictu eſt, nec prægnantibus parcant: & caſtitatis regulam violare homines nequaquam erubeſcant, quam circa prægnantes ſuas & ani-

animalia muta cuſtodiunt. S. Petrus Damiani *Libro I epiſt.* 15.

Beſtia quælibet ad hoc ſolummodo coit, ut gignat; homo ſolus ad hoc gignit, ut coëat. *Idem ibidem.*

Mulierum labor immutatus eſt, & quæ laborare conſueverant, dominari cœperunt. Hugo a S. Victore (verius Hugo alter Folietanus) *Libro de nuptiis carnalibus cap.* 1. *ad calcem.*

Omni immunditiæ laxat habenas, qui nuptias damnat. S. Bernardus *ſermone 66. in Cantica, propius initium.*

CAPUT II.

Fontes.

Athenagoras *ad finem Legationis pro Chriſtianis,* quam ſanctum fuerit primorum chriſtianorum matrimonium.

Tertullianus *Libris duobus ad uxorem: de Exhortatione item caſtitatis: de Monogamia: de Pudicitia.*

Clemens Alexandrinus *in Libris Stromatum, maxime* 2. *&* 3.

S. Basilius M. *Libro de Virginitate jam laudato.*

S. Gregorius Nazianzenus *Carmine parænetico ad Olympiadem,* & *oratione hortatoria ad Virginitatem.*

S. Chrysostomus præter fontes, ex quibus ſupra eſt hauſtum, *homiliis tribus de nuptiis Tomo III. Montfauconi a pag.* 193. *Libro* præterea *de Virginitate. Homiliis* 63. *in Matthæum, &* 20. *in ad Epheſios.*

S. Hieronymus *Libro contra Helvidium. Libris contra Jovinianum,* & horum *defenſione ad Pammachium ac Domnionem.*

S. Au-

S. Augustinus *Libro de bono conjugali.*
Libro de adulterinis conjugiis.
Libro de ſancta virginitate.
Libro de continentia.
Libris duobus de nuptiis & concupiſcentia.
Libris ſex contra Julianum, maxime 3. 4. 5. 6. *aliisque contra Pelagianos perſcriptis.*
Libro item 83. *Quæſtionum, quæſtione ultima de conjugio.*

S. Paulinus *Epiſtola ipſi tributa ad Celantiam.*

S. Leo *Epiſtola* 159. *alias* 79. *ad Nicetam, Epiſcopum Aquilejenſem; item Epiſtolis* 41. *alias* 90. & 167. *alias* 92.

S. Gregorius M. *Paſtoralis curæ Parte III. cap.* 28.

S. Isidorus Hispalensis *Libro II. de officiis Eccleſiaſticis cap.* 19.

S. Joannes Damascenus *Libro III. Parallelorum capitibus* 27. & 28. *nunc Titulis X. & XI. litera* π.

Jonas Aurelianensis *Libris tribus de Inſtitutione Laicali.*

Theodorus Abucara *Dialogo de una uxore ducenda.*

Hugo a Folieto, putatur Victorinus, *Libris duobus de nuptiis carnalibus, & ſpiritualibus;* verus Hugo *Libro I. de varietate mundi, & Tractatu de Sacramento conjugii.*

Joannes Saresberiensis *Libro III. Policratici cap.* 11.

DE POLYGAMIA SPECIATIM.

Tertullianus *Libris jam laudatis.*

S. Hieronymus *Libro* 1. *adverſus Jovinianum, Epiſtola* 123. *alias* 11. *ad Ageruchiam, & Epiſtola* 79. *alias* 9. *ad Salvinam.*

S. Augustinus *Libro XXII. contra Fauſtum cap.* 47.

DE SANCTITATE MATRIMONII.

TERTULLIANUS *in Libris adverſus Marcionem, & Libris ad uxorem.*

CLEMENS ALEXANDRINUS *Libro* 3. *Stromatum.*

S. AMBROSIUS *Libro* 1. *de Virginibus.*

S. EPIPHANIUS *hæreſi præſertim* 46.

S. CHRYSOSTOMUS *homilia* 4. *de verbis Eſaiæ, & homilia* 22. *ex variis in Matthæum locis &c.*

S. BERNARDUS *ſermone* 66. *in cantica.*

DE EXEMPLARIBUS CHRISTIANI MATRIMONII.

S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Orationibus* 11. 20. & 28.

S. HIERONYMUS *Epiſtolis* 79. *alias* 9. *ad Salvinam, &* 107. *alias* 7. *ad Lætam.*

S. PAULINUS *Epiſtola ad Celantiam.*

DE MATURANDIS JUVENUM NUPTIIS.

S. CHRYSOSTOMUS ſæpe, præſertim *homilia* 5. *in* I. *ad Theſſalonicenſes.*

DE CONSENSU PARENTUM.

S. AMBROSIUS *Epiſtola* 83. *alias* 43. *&* 64. *ad Siſinnium.*

DE MATRIMONIO CUM CONSANGUINEIS ETC.

S. BASILIUS M. *Epiſtola* 160. *alias* 197.

Creditus SIXTUS *III. Libro de caſtitate, poſt initium.*

RABANUS MAURUS *Epiſtola ad Humbertum Epiſcopum*, & *Libro ad Bonoſum.*

RATHERIUS VERONENSIS *opuſculo de nuptu cujusdam illicito.*

S. ANSELMUS *de nuptiis conſanguineorum*, quod opuſculum etiam inter *Epiſtolas* ejus habetur.

DE MATRIMONIO CUM INFIDELIBUS, ET HÆRETICIS.

TERTULLIANUS *Libro* 2. *ad uxorem.*

PHILO

Philo Hebræus *Libro de ſpecialibus legibus, pagina mihi* 600.

S. Ambrosius *Libro I. de Abraham, & Epiſtola* 19. *alias* 24. & 70. *ad Vigilium.*

S Augustinus *Libro de fide & operibus cap.* 19. & *Libro XV. de civitate cap.* 16.

ABUSUS ET ORGIA IN FESTIS NUPTIALIBUS.

S. Cyprianus *Libro de habitu Virginum, propius finem.*

S Chrysostomus potenter *homilia* 12. *in I. ad Corinthios,* & 12. *in ad Coloſſenſes.* Adde *homiliam* 48 *in Geneſin.*

S. Petrus Damiani *opuſculo* 41. *de tempore celebrandi nuptias.*

DE IPSO OPERE, ET COMMERCIO CONJUGALI.

Clemens Alexandrinus *Libro II. Pædagogi, toto capite* 10. Item *Libro II. Stromatum ad finem,* & *Libro* 3. *Stromatum ſæpius.*

Origenes *homilia* 5. *in Geneſin* de intemperantia uxorum.

S. Ambrosius *Libro I. in Lucam ad finem, fuſe.*

S. Chrysostomus *homilia* 1. *in pſalmum* 50. & *homilia* 19. *in I. ad Corinthios.*

S. Hieronymus *Libro* 1. *adverſus Jovinianum, in fine: Epiſtola* 122 *alias* 46. *ad Ruſticum: In caput* 5. *Epiſtolæ ad Epheſios: Et Epiſtola* 7. *nunc* 107. *ad Lætam. in fine.*

S. Augustinus *Libro de Moribus Manichæorum: Sermone* 292. *in Appendice, alias* 244. *de tempore: Sermone* 278. *alias* 34. *de diverſis: Libro III. de doctrina Chriſtiana, a capite* 18. *Item in Libris ſupradictis frequenter.*

Auctor *Epiſtolæ ad Celantiam, præclare.*

S. Isidorus Pelusiota *Libro V. Epiſtola* 99. *ad Hieracem.*

S. NILUS *in Hiſtoria cædis Patrum Sinaitarum.*

S. FULGENTIUS *Epiſtola* 1. *tota.*

S. AVITUS *Epiſtola* 4.

S. GREGORIUS M. *Paſtoralis Curæ Parte III. cap.* 28. *pulcherrime.*

JONAS AURELIANENSIS *Libro II. de Inſtitutione Laicali aliquot capitibus.*

S. PETRUS DAMIANI *vehementer loco jam citato: opuſculo item* 41. *de tempore celebrandi nuptias.*

S. BERNARDINUS SENENSIS *Tomo I. Sermonibus* 17. & 18.

Denique S. METHODIUS *Martyr* opuſculo indubitato, quod *Sympoſium decem Virginum* inſcribitur, verbis quidem diſertis, at minime lubricis ipſum adeo coitum repræſentat Virginibus; puto ne majorem paterentur famem, ut ait Hieronymus, cum dulcius putant omne quod neſciunt.

DE MATRIMONIO SINE HOC NEGOTIO.

S. HIERONYMUS *Libro adverſus Helvidium, & in vita Malchi monachi.*

SALVIANVS *Epiſtola ad Hipatium & Quietam.*

AELREDUS, *Abbas Rievallenſis, in vita S. Eduardi regis Angliæ, cap.* 3.

Quotquot item in conjugium Mariæ cum Joſepho, dum Evangelia explicant, ſunt commentati.

DE MUTUA CHARITATE.

S. CHRYSOSTOMUS *homilia* 26. *in I. ad Corinthios: homilia* 20. *in ad Epheſios, & alias ſæpe.*

AUCTOR *operis imperfecti homilia* 32. *in Matthæum.*

DE MOLESTIIS UXORIS.

TERTULLIANUS *Libris duobus ad uxorem, & Libro de carne Chriſti cap.* 4.

S. METHODIUS *Martyr in Sympoſio decem Virginum.*

S. BASILIUS M. *Libro de Virginitate.*

S. GRE-

S. Gregorius Nazianzenus *Carmine 2. in laudem Virginitatis.*

S Gregorius Nyssenus *Libro de Virginitate, a capite 3.*

S. Asterius *homilia jam laudata.*

S. Ambroſius *Libro 1. de Virginibus.*

S. Chryſostomus *Libro de Virginitate: homilia 17. in Geneſin: oratione de S. Thecla, & oratione de SS. Bernice & Proſdoce*

S. Hieronymus *ad finem Libri adverſus Helvidium: Libro 1. adverſus Jovinianum: Epiſtola 22. ad Euſtochium: Epiſtola 54. alias 10 ad Furiam &c.* Adde item *Epiſtolam Valerii ad Ruſſinum, Hieronymo falſo adſcriptam.*

Alcimus Avitus *Libro de conſolatione Caſtitatis ad Fuſcinam Sororem,* quod eſt Carmen ſat elegans.

S. Auxentius *Abbas in alloeutione ad Virgines, in Actis ejus ad diem XIV. Februarii, ipſo fine.*

DE MOLESTIIS MARITI.

Cum ſæpiſſime locis ſupra laudatis, tum *homilia* 7. S. Basilii M. *in divites,* de inſatiabili cupiditate mulierum venditare ſeſe atque oſtentare volentium.

S. Chrysostomi *Libro 2. de Providentia,* quando de Abraham: *Paræneſi 2. ad Theodorum lapſum: Ecloga 14. de mulieribus & pulchritudine &c.*

S. Hieronymi *Libro 1. adverſus Jovinianum fuſiſſime, & præſtantiſſime.*

Hugonis Victorini, ſeu potius alterius, Folietani, *Libro de nuptiis carnalibus.*

Petri Blesensis *Epiſtola 79.*

Denique eorum omnium, quotquot ſunt in *caput 15. Matthæi, & caput 7. Epiſtolæ I. ad Corinthios* commentati.

Vide etiam Titulum *Mulier* Libro duodecimo, ut qui proprie huc & præcipue facit.

DE MOLESTIIS UTRIQUE COMMUNIBUS.

Multa dant cum ſupra dicta, tum S. GREGORIUS NYSSENUS *Libro de Virginitate cap.* 3

S. CHRYSOSTOMUS *Libro de eadem Virginitate, a capite* 50.

S. PAULINUS *Epiſtola* 39. *nunc* 25. *ad finem.*

S. ISIDORUS PELUSIOTA *Libro III. epiſtola* 351.

Adde Titulos: *Liberorum, & Parentum officia.*

DE ZELOTYPIA.

S. AMBROSIUS *Enarratione in Pſalmum* 36. *initio.*

S. CHRYSOSTOMUS *Libro de Virginitate cap.* 52. *homilia* 26. *in Geneſin: homilia* 20. *in ad Epheſios: homilia de SS. Bernice & Proſdoce.*

DE ADULTERIO.

PHILO HEBRÆUS *Libro de Decalogo.*

LACTANTIUS *Libro VI. divinarum Inſtitutionum cap.* 23. *& epitomes cap.* 6.

S. CHRYSOSTOMUS *homilia de libello repudii: homilia in Pſalmum* 7. *homilia* 3. *de verbis Eſaiæ:* Vidi Dominum, *præclare: homilia* 62. *in Joannem: homilia* 5. *in I. ad Theſſalonicenſes &c.*

S. HIERONYMUS *Epiſtola* 77. *alias* 30. *ad Oceanum,* egregie prorſus de adulteriis maritorum.

S. AUGUSTINUS *Libro de adulterinis conjugiis, aliisque jam ſupra dictis*

Item ſermone 392. *alias homilia* 49. *ex* 50. *præſertim ad finem.*

Sermone 289. *appendicis, alias* 243. *de Tempore.*

Sermone 132. *alias* 46. *de verbis Domini.*

Sermone 14. *appendicis, alias* 83. *de Tempore.*

Et rurſum in libro de decem chordis.

S. ISIDORUS PELUSIOTA *Libro III. epiſt.* 76.

S. BASILIUS SELEUCIENSIS *oratione* 41.

SALVIANUS *Libro* 4. *&* 7. *de gubernatione,* vehementer.

S. CÆ-

S. Cæsarius Arelatenſis *admonitione ad eos, qui uxores habentes adulteria committere non erubeſcunt.*

DE DIVORTIO, ATQUE REPUDIO.

S. Gregorius Nazianzenus *jam ante laudata oratione hortatoria.*

S. Asterius Amasenus *homilia* 5. ubi cauſam mulieris perpetuo tuetur.

S. Ambroſius *Libro* 8. *in Lucam.*

S. Chrysostomus *Tomo III. novo, homilia de Libello repudii.*

S Hieronymus *Epiſtola* 77. *alias* 30. *ad Oceanum, & Epiſtola* 55. *alias* 147. *ad Amandum.*

S. Augustinus *Libro XIX. contra Fauſtum cap.* 26.

DE SECUNDIS NUPTIIS.

Vide titulum *de Viduis.*

Etſi vero innumeros hic fontes aperui, tamen plurimos præterea oſtendunt Tituli: *Mulier. Virginitas. Luxuria. Filii. Parentes. Vidua. Electio Status* &c.

TITULUS XXX.

De *Morte*, & quæ huc ſpectant.

CAPUT I.

Loci.

Chriſtianum expeditum mori genus aut hanc obſtinationem abdicatione voluptatum eruditur, quo facilius vitam contemnant amputatione quaſi retinaculis ejus, ne deſiderent quam jam ſupervacuam ſibi fecerint. Tertullianus *Libro de ſpectaculis cap.* 1.

Quod morimur ad immortalitatem morte tranſgredimur, nec poteſt vita æterna ſuccedere, niſi hinc contigerit exire. Non eſt exitus iſte ſed tranſitus,

ſitus, & de temporali itinere ad æterna transgreſſus. Quis non ad meliora feſtinet? S. Cyprianus *Libro de Mortalitate.*

Mori timeat, qui ad ſecundam mortem de hac morte tranſibit. Mori timeat, quem de ſæculo recedentem perennibus pœnis æterna flamma torquebit. Mori timeat, cui hoc mora longiore confertur, ut cruciatus ei & gemitus interim differatur *Idem ibid.*

Quis non timeat, ſi timet ille, quem omnia timent? ſi pavet ille, cui omne genu curvatur? ſi ille qui eſt mors mortis, & morſus inferni morte appropinquante pertimeſcit? *Idem creditus ſermone de Paſſione Domini.*

Si cum ex una regione in aliam tranſimus ſuper terram, aliquibus viæ ducibus, ac directoribus indigemus: quanto magis, quando in infinita tranſeundum hinc erit ſæcula, unde nullus rediit? S. Ephræm *Sermone in eos, qui in Chriſto obdormierunt, Tomo III. novo, græcolatino.*

Magnum & occultum eſt mortis arcanum, & nullus enarrare illud poteſt. Tremenda ſunt, ac terribilia, quæ tunc anima ſubibit; ſed nemo noſtrum ea novit. niſi ſoli, qui illuc permearunt, niſi ſoli, qui illuc præceſſerunt, niſi ſoli, qui ibi periculum eorum fecerunt. Non vides apud fratres morientes, animamque agentes, quibus aſſidemus, quam terribilia tunc eis accidere cernantur? quo pacto ſuſpirent? Non aſpicis eos ſudoribus frigidos, & amarulentos inſtar meſſorum in agro? quomodo oculos huc illucque retorqueant? quomodo alii dentibus ſtrideant, quomodo obtorpeſcant, & expaveſcant, tumultuarieque agant, & quo pacto multi etiam capillos ſuos evellant? quo pacto ex lecto exſiliant, fugere volentes, licet nequeant, videantque ea, quæ nunquam prius viderunt: & audiant a poteſtatibus, quæ nunquam antea audierunt: & pa-

& patiantur, quæ nunquam alias paſſi ſunt: quærentes qui eos redimat; & nemo eſt, qui liberet: requirentes ſocios, & nemo adeſt, qui ipſos comitetur: requirentes advocatos, & patronos, & nemo eſt, qui auſit. S. Ephræm *ibidem.*

Multi dum multa ſecum ſtatuerunt, ad craſtinum non pervenerunt; at ſubito rapti ſunt ſicut paſſerculi ab accipitre, & velut agni a lupo, & quaſi captivus a latrone, nec loqui prorſus valentes, nec teſtamentum condere, neque vocem ullam edere. Alii enim veſperi cubitum ſani concedentes ad mane non pervenerunt: alii ad menſam accumbentes exſpirarunt: alii inter ambulandum & ludendum repente ſunt mortui. Alii in balneo morientes idem balneum pro epitaphio ac ſepultura habuerunt. Alii vero dum nuptias celebrarent, in ipſo thalamo nuptiali ſubito, atque inopinate abrepti ſunt, & eadem ſibi veſtimenta pro nuptiis pararunt, atque pro funere, ſucceſſeruntque in locum tibicinum lamentantes, & in locum ſaltantium atque tripudiantium lugentes, atque plorantes. Et iſta omnia novimus, ac ſcimus: quodque gravius eſt ſponte interim & ſcienter peccamus, nobisque ipſi illudimus. Et propterea nullam a Deo veniam conſequimur, quia non ex ignorantia, ſed ſcientes erramus. *Idem ibidem.*

Nunc propter gratiam Chriſti quia mors facta eſt ſomnus, & quies, ac certa multaque ſunt reſurrectionis indicia quaſi de vita in vitam transferendi ſic exultamus & lætamur. Et quid dico de vita in vitam? de deteriori ad meliorem? de temporali ad æternam? de terrena ad cœleſtem? S. Chrysostomus *homilia 67. in Geneſin, poſt medium.*

Vitæ hujus quantumvis laborioſæ, atque temporalis tanta dulcedo eſt, ut cum mortales non poſſint efficere, ne moriantur; tamen multis & magnis conatibus agant, ne cito moriantur. Certe omni

animæ

animæ laborare moleſtum eſt; & tamen ab iis a quibus nihil ſeu boni ſeu mali poſt hanc vitam ſperatur, omnibus laboribus agitur, ne labor omnis morte finiatur. Tanta etiam eſt hujus ærumnoſæ vitæ neſcio quæ ſuavitas, tantusque in illa utcunque viventium horror mortis, ut nec illi mori velint, qui per mortem ad vitam tranſeunt, in qua mori non poſſint. AUGUSTINUS *Sermone* 280. *alias* 103. *de diverſis, qui eſt primus de SS. Perpetua & Felicitate.*

Aut quid agunt, qui mori timent, niſi ut paulo poſterius moriantur? *Idem Epiſtola* 151. *alias* 259, *ad Cæcilianum.*

Time certe, time mori ſi potes non mori. Quod per naturam vitare non potes, quare propter fidem non ſuſcipis? Tollat tibi iſtam vitam qui minatur, adverſarius: dat tibi Deus aliam vitam; quia & iſtam ipſe tibi dedit: & ſi noluerit nec ipſa tolletur. *Idem in Enarratione in pſalmum* 96. *num.* 17.

Mori male times: & male vivere non times?... non poteſt male mori, qui bene vixerit. *Idem Tractatu de diſciplina chriſtiana, vel de domo diſciplinæ cap.* 12.

Si mors ſic timetur, quæ finit temporalem laborem, quomodo timenda eſt, quæ mittit in æternum dolorem? *Idem Epiſtola* 122. *alias* 138. *ad Clerum & populum Hipponenſem.*

Times mortem ad momentum, quæ veniet etſi nolis: time pœnas in æternum, quæ non venient, ſi nolueris. *Idem ſermone* 279. *de Paulo Apoſtolo, numero* 9. *fuit olim* 24. *ex Sirmondianis.*

Eum timere debet homo, a quo factus eſt homo. Quod ſupra homines eſt time; & homines te non tenebunt. Mortem ſempiternam time; & præſentem non curabis. *Idem Enarratione in Pſalmum* 63.

Quam horam fratres modo timete, ut non tunc timeatis: illam nunc præcavete, ut tunc ſecuri

curi eſſe poſſitis. *Idem ſermone* 57. *ſive libro de vanitate ſæculi.*

Quid iſtuc quæſo, quid iſtuc eſt? nihil ita quotidie homines ut mortem vident, nihil ita obliviſcuntur ut mortem: agitur humanum genus rapida in occaſum mortalitate, omnisque poſteritas ſuccedentium ſæculorum lege decurrit. Patres noſtri præterierunt, nos abimus, poſteri ſequentur. Velut ex alto undarum jactus aliis atque aliis ſupervenientibus in littoris extrema franguntur: ita in terminum mortis ſuccidua alliduntur ætates. Hæc nos conſiderationis noſtræ memoria circumſtrepat. Debitum vitæ finem jam jamque affuturum putemus, qui nobis tanto magis appropinquabit, quanto magis diſtulit. Vicinum ſperemus diem, longinquum eſſe neſcimus. S. Eucherius *in Paræneſi ad Valerianum.*

Sive vitam hanc contemnendam putas, ſive amplectendam, in utroque facilis negotii mei cauſa eſt. Nam ſi ſpernitur, una eſt ſpernendi ratio, ut melior appetatur: & ſi diligitur, tanto magis eſt diligenda, quæ major eſt. *Idem ibidem.*

Paratos nos inveniat extrema neceſſitas, quæ ſæpe prævenit imparatos: certam nobis imponat ſolicitudinem incerta conditio. Quotidianus ſit illius periculi metus, cujus neſcitur incurſus. *Idem, dictus* Euſebius Gallicanus, *homilia* 1. *ad Monachos, initio.*

Non eſt aliquid in tam brevibus vitæ metis ita ſerum, quod expectare longum immortalis præſertim animus putet. Quorum magna ſpes, & excelſa facinorum machina repentino, atque inſperato ſæpe fine deſtituitur. Quod quidem illis miſeriæ modum ſtatuit; nam ſi nequitia miſeros facit, miſerior ſit neceſſe eſt diuturnior nequam. Quos infeliciſſimos judicarem, ſi non eorum malitiam ſaltem

tem mors extrema finiret. SEVERINUS BOETHIUS *Libro IV. de Conſolatione Philoſophiæ, proſa* 4.

Quis ille pavor erit, o anima, cum dimiſſis omnibus, quorum tibi eſt tam jucunda præſentia, tam gratus aſpectus, cohabitatio ipſa tam familiaris, ſola ingredieris incognitam penitus regionem occurſantia tibi catervatim ruere teterrima illa monſtra videbis? Quis tibi in die tantæ neceſſitatis occurret? quis tuebitur a rugientibus præparatis ad eſcam? quis conſolabitur? quis deducet? Filioli mei! memoremur noviſſima noſtra, ne peccemus. S. BERNARDUS *Sermone de eo, quod legitur in Job:* In ſex tribulationibus.

CAPUT II.

Fontes.

S. CYPRIANUS *Libro de Mortalitate* egregie demit timorem mortis.

S. ATHANASIUS *in vita S. Antonii,* quam ſalutaris memoria mortis.

S. EPHRÆM *Sermone ſupra laudato*, atque aliis compluribus.

S. BASILIUS *oratione egregia de Morte, vulgata a Gerardo Voſſio, inter opera divi Ephræm.* Idem *in admonitione ad filium ſpiritualem* de præparatione non differenda.

S. GREGORIUS NYSSENUS *oratione magna Catechetica cap.* 8. mortem eſſe inſigne beneficium Dei. Item in *Dialogo cum Macrina*, cujus huc plurima faciunt.

S. AMBROSIUS *Libro de bono mortis. Libro de obitu Fratris Satyri. Libro de fide reſurrectionis &c.*

S. CHRYSOSTOMUS *Sermonibus duobus de conſolatione mortis, Tomo VI. Montfauconi.*

Epiſtolis aliquot *ad Olympiadem.*

Homilia in Pſalmum 110. Encomium mortis.

S. CHRY-

S. Chrysostomus *homilia in Pſalmum* 114. tollit mortis metum.

Homilia 54. *in Matthæum*, de angoribus, & ſolatio in morte.

Homilia 3. *in ad Philippenſes,* de metu mortis.

Homilia 9. *in I. ad Theſſalonicenſes*, cur tempus mortis occultum?

Homilia 5. *ad populum* idem præſtat, & præclare.

Homilia de S. Droſide, nil intereſſe, ubi moriamur. &c. &c.

S. Hieronymus *in Epitaphiis pluribus* præclara prorſus animadvertit de morte: *item Epiſtola* 140. *alias* 39. varia habet.

S. Augustinus *Tractatu* 43. *in Evangelium Joannis,* fruſtra timeri mortem.

Tractatu 9. *in epiſtolam Joannis*, non debere timeri mortem.

Libro de diſciplina Chriſtiana, vel de domo diſciplinæ, capitibus 11. *&* 12. rurſum de metu mortis, & egregie quidem.

Libro I. de Civitate cap. 11. de genere mortis. Vide etiam *Libri XIII. de eadem civitate quædam capita.*

Concione 1. *in Pſalmum* 48. de morte infelici divitum ſæculi.

Expoſitione in Pſalmum 109. *in fine*, de aliis atque aliis in mundum venientibus, & e mundo abeuntibus.

Libro II. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 31. cur Deus credentes non exemerit a pœna mortis?

Epiſtola 45. *nunc* 127. *ad Armentarium & Paulinam* de fuga mortis.

In ſpeculo peccatoris fuſius de anguſtiis morientium, ubi & præparationem urget ad felicem mortem.

In conſolatione mortis Tomo VI. Maurino, a *pagina* 25.

Adde *Sermonem* 279. *alias* 24. *ex Sirmondianis* de fruſtraneo timore mortis, quaſi evitari ea poſſet. Et

Sermonem 361. *alias* 120. *de diverſis*, ubi inſignia quædam ſuppeditat.

S. CYRILLUS ALEXANDRINUS *oratione de exceſſu animæ*, ubi multa de hoc noſtro argumento.

S. EUCHERIUS *Parœneſi jam laudata*, mortem timeri minime oportere. Item *homiliis* 1. & 8. *ad Monachos*, de anguſtiis morientium.

S. JOANNES CLIMACUS *gradu* 6. *de memoria mortis*.

S. GREGORIUS M. *Libro XXIV. Moralium cap.* 11. de angoribus in morte. Pulchra etiam habet *homilia* 13. *in Evangelia*.

S. ISIDORUS HISPALENSIS *Libro III. Sententiarum cap.* 66.

S. THEODORUS STUDITA ſæpiſſime agit de morte in *ſermonibus* ſuis *catecheticis*.

S. PETRUS DAMIANI *opuſculo* 50. *cap.* 6. de anguſtiis morientium.

S. RUPERTUS TUITIENSIS *de Meditatione mortis, Libris duobus*.

S. ANSELMUS *in admonitione moribundi Parte I. operum, ad calcem*.

HUGO A S VICTORE *Tractatu de morientibus*, & *alio de ſtatu futuri ſæculi*.

S. BERNARDUS *Sermone* 12. *de diverſis, de primordiis, mediis* & *noviſſimis noſtris*. *Sermone* 26. *in cantica*, ubi plurima huc ſpectantia. Adde *vitam S. Malachiæ*, ubi mortem viri ſancti elegantiſſime deſcribit.

DEMETRIUS CYDONIUS *oratione de contemnenda morte*.

S. BER-

S. Bernardinus Senenſis *Tomo I. de religione chriſtiana, ſermonibus* 12. *&* 13.

S. Laurentius Justinianus *in Ligno vitæ, Libro de humilitate cap.* 4.

APPENDIX.

Atque hæc de morte *generatim;* nunc ad ea, quæ *mortem ſequuntur,* tranſeamus, *Cadaver* videlicet, *ſepulchrum, ſacra funebria* &c.

Lactantius *de ſepultura peregrinorum Libro VI. Inſtitutionum divinarum cap.* 12. *ita monet:* Non patiamur figuram, & figmentum Dei feris, ac volucribus in prædam jacere; ſed reddamus id terræ unde ortum eſt, & quamvis in homine ignoto neceſſariorum munus implebimus; in quorum locum quia deſunt, ſuccedat humanitas, & ubicunque homo deſiderabitur, ibi exigi officium noſtrum putabimus.

Niſi mors fratris tui ad ſaniorem te mentem reduxerit, nullus te juvare poterit. Niſi, dum mortuum cernis, reſipiſcas, quando tandem converteris? S. Ephræm *Sermone in eos, qui in Chriſto obdormierunt.*

Idem vir ſanctus ſermone eodem, quomodo non verbis, ſed rebus ipſis e ſepulchro nobis defuncti loquantur: Hic qui veſtros ante oculos in ſepulchro cernitur pulvis, iſte quem conſpicitis, cinis, hic fœtor, iſta putrefacta oſſa, immundi hi vermes corpora ſunt illorum adoleſcentulorum, & puellarum, quos concupiſcebatis olim . . . Hæc putredo illa eſt facies, quam dies, noctesque inexplebili voluptate deoſculabamini. Hæc tabes, & fluxio immunda illa eſt caro, inter cujus complexus peccabatis. Ideo videte, & plane credite, qui adhuc carne in vita vana verſamini, certoque ſcitote quod dum in lecto inter complexus veſtrarum conjugum, puel-

larumque jacetis vos cinerem, lutumque tunc complecti. Scitote inquam, dum cunctis earum membris circumfundimini, vos tunc fœtorem & putredinem amplecti. Diſcite quando earum amore, ac deſiderio adeo flagratis, vos tunc vermes, & cinerem, tetrumque odorem concupiſcere. Nolite ſeduci o Juvenes, & juvenculæ inſipientes, nolite decipi in vana juventutis pulchritudine; nam & nos, qui veſtros ante oculos putridi jacemus mortui, in vita olim ſicut vos apparuimus, & accurate ornati odoramentisque inuncti fuimus, atque in bonis dies noſtros duximus: & ecce, ut videtis in cœnum ac cinerem, & pulverem, fœtoremque gravem univerſa illa jam reciderunt.

Hoc illi (Tobiæ) quotidianum opus, & magnum quidem. Nam ſi viventes operire nudos lex præcepit, quanto magis debemus operire defunctos? Si viantes ad longiora deducere ſolemus, quanto magis in illam æternam domum profectos, unde jam non revertantur? S. Ambrosius *Libro de Tobia cap.* 1.

Nihil hoc officio præſtantius ei conferre, qui tibi jam non poſſit reddere: vindicare a beſtiis conſortem naturæ. Feræ hanc humanitatem defunctis corporibus detuliſſe produntur: homines denegabunt? *Idem ibidem.*

Quousque extenditis divites inſanas cupiditates? numquid ſoli habitabitis ſuper terram? cur ejicitis conſortem naturæ, & vendicatis poſſeſſionem? in commune omnibus divitibus atque pauperibus terra fundata eſt: cur vobis jus proprium ſoli divites arrogatis? Neſcit natura divites, quæ omnes pauperes generat. Neque enim cum veſtimentis naſcimur, nec cum auro, argentoque generamur. Nudos fudit in lucem, egentes cibo, amictu, poculo: nudos recipit terra quos edidit. Neſcit fines poſſeſſionum ſepulchro includere. Ceſpes anguſtus

æque & pauperi abundat & diviti, & terra quæ viventis non cepit affectum, totum jam divitem capit. Neſcit ergo natura diſcernere quando naſcimur, neſcit quando deficimus, omnes ſimiles creat, omnes ſimili claudit gremio ſepulchri. *Idem Libro de Nabuth cap.* I.

Quis diſcernat ſpecies mortuorum? redoperi terram, & ſi potes divitem deprehende. Ruderato ſepulchrum, & ſi cognoſcis egentem argue. Niſi forte hoc ſolum, quod cum divite plura pereunt. Sericæ veſtes, & auro intexta velamina, quibus divitis corpus ambitur, damna viventium, non ſubſidia defunctorum ſunt. *Idem ibidem.*

Rurſum de corpore Achab inſepulto: Quam juſta, quam ſevera ſententia, ut quam intulit alteri mortis acerbitatem, eam ipſe mortis ſuæ horrore diſſolvere proderetur! Inhumatum pauperem Deus aſpicit, & ideo inſepultum divitem jacere decernit, ut & mortuus luat ſuæ iniquitatis ærumnam, qui nec mortuo putavit parcendum. Itaque vulneris ſui cruore perfuſum cadaver ſpecie funeris vitæ ſuæ prodidit crudelitatem. *Idem cap.* II. *ejusdem libri.*

Abſiſte ab inſano funerum ſumptu. Quid ſibi vult enim illa ſuperflua, inſanaque impenſa quæ lugentibus multum affert detrimenti, defuncto nihil lucri; imo ſi vere dicatur, multum damni? ſepulturæ namque magnificentia in cauſa ſæpe fuit ut fures corpus nudum & inſepultum projicerent. Sed o inanem gloriam! quantam illa in luctu tyrannidem quantam inſaniam oſtendit? multi enim ne id accidat tenuia ſcindunt linteamina & aromatibus impleta multis ut duplici ratione furibus ſint inutilia, ſic terræ mandant. An non hæc furentium, an non inſanorum ſunt, ambitionem præ ſe ferre & rurſum illam tollere? Etiam inquiunt, ut in tuto ſint penes defunctum hæc omnia machinamur. Quid ergo ſi fures non auferant, an non

vermes & tineæ auferent? Quid vero ſi parcant ei vermes & tineæ, an non tempus & ſanies perdent? Ponamus autem ut nec vermes nec tineæ, non tempus, nec quidpiam aliud hæc conſumat, ſed corpus ad usque reſurrectionem intactum maneat, & hæc omnia nova & minuta ſerventur, quid amplius inde defunctis, quando corpus nudum ſuſcitabitur, illa vero in ſepulchro manebunt, nihilque nos juvabunt ad rationem reddendam? S. CHRYSOSTOMUS *homilia 84. in Joannem.*

Quid ſuperbit terra, & cinis? quid inflaris homo? quid arrogans es? quid ſperas ex gloria mundi & divitiis? Egrediamur ad ſepulchra obſecro, videamus ibi myſteria, videamus diſcerptam naturam, oſſa corroſa, corpora putrefacta. Si ſapiens es conſidera, ſi prudens, dic mihi, quis illic rex, & quis privatus? quis nobilis, & quis ſervus? quis ſapiens, & quis inſipiens? ubi pulchritudo illic adoleſcentiæ? ubi gratioſus aſpectus? ubi oculi ſpecioſi? ubi elegans naſus? ubi ignita labia? ubi pulchritudo genarum? ubi frons irradians? Nonne omnia cinis? nonne omnia pulvis? nonne omnia favilla? nonne omnia vermis? nonne omnia putredo, & fœtor? Hæc animo verſantes, dum tempus habemus, convertamur a via noſtra, qua erravimus. *Idem homilia 9. de Pœnitentia*, *Tomo II. Montfauconi.*

S. HIERONYMUS *in caput 27. Matthæi, invehens in ambitionem quorumdam divitum:* Nec in tumulis quidem, ait, poſſunt carere divitiis! *Et in vita S. Pauli Eremitæ, ad finem:* Parcite ſaltem divitiis quas amatis. Cur ambitio inter luctus, lachrymasque non ceſſat? an cadavera divitum niſi in ſerico putreſcere neſciunt?

Mortuus eſt ille dives, & tale illi funus factum eſt. Ecce quo ſe converterunt homines. Non attendunt quam malam vitam habuerit, cum viveret,

ret, ſed quam pompam cum moreretur. S. Augustinus *Concione* 1. *in Pſalmum* 48.

Sacra corpora funeris honore privantes ignibus dabant, & poſt hominum mortes contra ipſam pugnabant humanitatem. Cum jam cauſa periiſſet furoris, finem non imponebant crudelitati. Quam confuſa dementia! quibus cœlum aquirebant, his terram negabant! Sed tamen vellent nollent beatitudinis eorum teſtes erant, quibus etiam mortuis invidebant. Eusebius Gallicanus *homilia de S. Blandina.*

Age frater, quid eſt caro iſta, quam videlicet tam diligenti cura veſtibus contegis, & tanquam regiam ſobolem molliter nutris? Nonne maſſa putredinis? nonne vermis, pulvis, ac cinis? Nec iſta quæ nunc eſt a ſapiente viro attenditur; ſed potius dignum eſt, ut ſanies, virus, fœtor, & obſcœnæ corruptionis illuvies, quæ poſtmodum futura eſt, perpendatur. Quas ergo gratias tibi referent vermes, qui voraturi ſunt carnes, quas molliter, & ſuaviter enutriſti! S. Petrus Damiani *Opuſculo* 42. *cap.* 6.

Quid ſit caro, doceat ipſa caro, quodque perhibet mortua, teſtetur & viva. *Idem Libro VII. epiſt.* 19. *ad Blancam Comitiſſam.*

Quo fine claudatur hominis caro inſinuant ipſa ſepulchra oſſibus plena, fœtoribus intolerabilia, vermibus referta. Nam poſt hominem vermis de ea generatur, poſt vermem fœtor, & horror exhalat, ſicque in non hominem vertitur omnis homo. Igitur o ſæculi amatores, o carnis concupiſcentiarum fautores, cum fæx, cum limus, cum res viliſſima ſimus, unde ſuperbimus? Quare corporis noſtri miſeriam non conſideramus? O mira fatuitas! o dedignanda vanitas cordis noſtri! cujus cervicoſos motus omnino domare non poteſt humilitatis tanta memoria, quin adhuc ſuperbiat pulvis, &

 cinis.

cinis. S. LAURENTIUS JUSTINIANUS *in Ligno Vitæ, Libro de Humilitate cap.* 4.

Alia prætere & magno numero dabunt ORIGENES *Libro V. & VIII. contra Celſum.*

LACTANTIUS *loco citato.*

S. EPHRÆM *Sermone in eos, qui in Chriſto obdormierunt, jam laudato.*

S. BASILIUS *homilia* 3. *in illud :* Attende tibi ipſi: *Homilia* 21. *Quod rebus mundanis adhærendum non ſit : Homilia in Pſalmum* 115.

S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Carmine Jambico* 16. in ſepulchrorum effoſſores.

S. GREGORIUS NYSSENUS *Oratione in Meletium, & oratione in Placillam,* de deductionibus funerum eleganter.

S. AMBROSIUS *Libro VI. Hexaëmeron*, de cadaveribus.

S. CHRYSOSTOMUS *Sermone de fide, & lege naturæ*, doctrina ſepulchrorum.

Homilia de S. Babyla, de honeſtate ſepulturæ.

Epiſtola 3. *ad Olympiadem,* pulcherrime, quæ ſit perturbatio, quis mœror, quis planctus in domo, ubi recens defunctus jacet.

Homilia 35. *in Matthæum,* neceſſitas corruptionis cadaverum.

Idem non ſemel in effoſſores ſepulchrorum invehitur, cum agit de avaritia.

SEVERUS SULPITIUS *Epiſtola ad Baſſulam ſocium,* de funere S. Martini, *præclara.*

S. HIERONYMUS *Epiſtola* 77. *alias* 30. *ad Oceanum*, de funere Fabiolæ.

S. AUGUSTINUS *Libro de cura pro mortuis.*

Libro I. de Civitate , capitibus 12. *&* 13. de curandis defunctorum corporibus.

Concione 1. *&* 2. *in Pſalmum* 48.

Sermone 172. *alias* 32. *de verbis Apoſtoli.* Agit de ſumptu funebri.

Ser-

Sermone 173. *alias* 33. *de verbis Apoſtoli.*

S. Isidorus Pelusiota de effoſſoribus ſepulchrorum, laudatus Titulo: *de Avaritia.*

S. Chrysologus *Sermone* 121. *initio*, præclare de pompa funerum.

S. Gregorius Turonensis de funere S. Radegundis. Locum dedi Libro primo Diſſertatione de Delectu Patrum.

S. Andreas Cretensis *Oratione de vita humana, & defunctis.*

S. Petrus Damiani *Libello de Congregationis ſuæ inſtitutis cap.* 23. Doctrinam ſepulchrorum vitiis omnibus mederi.

S. Anselmus *Meditatione I. §.* 11. *de corpore poſt animæ diſceſſum:* & §. 12. *de anima a corpore ſeparata.*

Petrus Cluniacensis *Libro II. epiſtola* 17. de ſepultura præclare.

Adde Titulos: *Caro. Forma* &c.

Pro Epitaphiis & concionibus funebribus lege *Philonem Libro de Joſeph*, ubi de morte ipſius ſimulata. *S. Ephræm Sermonibus duobus in Patres defunctos, Tomo I. novo. S. Gregorium Nazianzenum Orationibus* 10. 11. 18. 19. *Et Epitaphio Baſilii, ad finem Tomi II. S. Gregorium Nyſſenum Orationibus in laudem S. Baſilii fratris ſui: in laudem S. Meletii Antiocheni: in funere Pulcheriæ. Et in funere Placillæ. S. Ambroſium Orationibus in obitu fratris, de exitu Theodoſii &c.* Idem *Libro II. de Abel & Cain* docet jacturam, quam ſubit reſpublica in morte proborum. *Euſebium Gallicanum Sermonibus quibusdam funebribus. S. Andream Cretenſem Oratione de vita humana, atque defunctis. S. Bernardum Sermone in Depoſitione Humberti. Et Sermone* 26. *in Cantica &c. &c.*

TITULUS XXXI.

De *Mundo*; tam phyſico, quam morali ſenſu.

CAPUT I.

Loci. *

S. Cyprianus *adhortans ſuos, ut ne ſive alienam mortem lugerent, ſive propriam formidarent:* Quod cum ſemper, *inquit*, faciendum fuerit Dei ſervis, nunc fieri multo magis debet, corruente jam mundo, & malorum infeſtantium turbinibus obſeſſo; ut qui cernimus cœpiſſe jam gravia, & ſcimus imminere graviora lucrum maximum computemus, ſi iſtinc velocius recedamus. Si in habitaculo tuo parietes vetuſtate nutarent, tecta deſuper tremerent, domus jam fatigata, jam laſſa, ædificiis ſenectute labentibus ruinam proximam minaretur: nonne omni celeritate migrares? Si navigante te turbida & procelloſa tempeſtas fluctibus violentius excitatis prænuntiaret futura naufragia, nonne portum velociter peteres? Mundus ecce nutat, & labitur, & ruinam ſui non jam ſenectute rerum, ſed fine teſtatur: & tu non Deo gratias agis, non tibi gratularis, quod exitu maturiore ſubtractus ruinis, & naufragiis, & plagis imminentibus exuaris? *Ad finem Libri de Mortalitate.*

Ac mihi hæc quoque cauſa eſſe videtur, cur nullum hujusce vitæ bonum hominibus certum ſit, ac diuturnum: atque hoc ut ſi quid aliud recte ab artifice Verbo, & ſapientia illa mentem omnem ſuperante factum eſſe; ut nos in iis quæ in aſpectum cadunt atque alias aliter mutantur & mutant, ac

* Hos locos colligebat auctor *Anno* 1771. & 1772. dum fames, & inopia undique premunt, & funera perpetua ob oculos verſantur.

ac ſurſum deorſumque feruntur, & invertuntur, ac priusquam manu teneantur fuga ſe proripiunt, eludamur. Nimirum ut perſpecta eorum inſtabilitate, ac varietate ad futuræ vitæ portum contendamus. Quid enim feciſſemus, ſi proſperitas nobis firma, & perpetua eſſet, cum, licet fluxa & fragilis ſit, usque eo tamen ipſi tanquam vinculis quibusdam adſtricti ſimus, ejusque voluptate, atque impoſtura in hanc ſervitutem redacti, ut nihil præſentibus rebus melius, atque excellentius cogitare poſſimus? S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 16. *in medio.*

Fuge ſæculi mare, & naufragium non timebis. In mari ferventibus ventis etſi non omnium naufragium omnium tamen periculum eſt. S. Ambrosius *Libro IV. in caput* 4. *Lucæ.*

Vide quæſo ut hominum res mare imitantur: ut perturbatione illa vita hæc noſtra implicatur: ut ſæpius quam aqua in terra tempeſtate jactamur: ut vehementius inter nos quam venti collidimur: ut pecuniæ quaſi procellæ nos inter nos committunt, & quaſi in tempeſtate maris huc atque illuc impellimur. Hic illius agrum uſurpat: alius cujusdam ſervos abduxit. Atque hic de aqua vicinum in judicium adducit: ille cum cive de aëre contendit. Hi propter terræ menſuram concertant: illi inter ſe de ædificandi ratione digladiantur. Hic ea, quæ non dedit, ut accipiat impetum facit: ille quæ accepit ne reddat in judicio contendit. Hic uſuris non ſatiatur: ille ſorte etiam privare contendit. Hic cum eſt inops moleſtia afficitur: ille rerum omnium copia abundans tumultuatur. Qui nihil habet probris afficitur: qui habet inſidiis appetitur. Qui magiſtratus gerit livorem excitat: qui poteſtate præditus eſt odio habetur: Qui in imperio eſt, armatur. Bella frequentia ſunt: invidia alia ex alia incidit: inſatiabilis cupiditas dominatur: avaritia regnat,

regnat, mendacium ſummis laudibus effertur: mutua fides exulat: veritas terram deſeruit: amicitia menſe definitur. Alii vim ſuam (his malis medendi) perdiderunt. Terra jam mala ferre non poteſt: aër usque ad ipſum æthera contaminatus eſt. S. Chrysostomus, *aut quisquis eſt auctor homiliæ in illud Pſalmi* 38. Verumtamen fruſtra conturbatur omnis homo vivens.

Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. Legimus in Poëta ſæculari: *O curas hominum! o quantum eſt in rebus inane!* Et gentiles, & Philoſophi iſtum verſiculum ad cœlum levant. Et quid dicunt? Nihil potuit prudentius dici. Ecce ruſticanus noſter hebræus ante tanta ſæcula hoc locutus eſt. Et quid dicit? *Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt.* Pater & mater nutriunt filium, promittunt ſibi de illo felicitatem, mittunt ad ſtudia, erudiunt. Venit usque ad adoleſcentiam, diſponunt ut etiam militet. Cum omnia cogitaverint per annos triginta, una febricula venit, & tollit omnes cogitationes. S. Hieronymus *in Pſalmum* 93.

Si vana ſæculi hujus inexperta concupiſti, experta contemnas. S. Augustinus *Epiſtola* 203. *alias* 82. *ad Largum.*

In hoc mundo non timere, non dolere, non laborare, non periclitari impoſſibile eſt. Sed plurimum intereſt qua cauſa, qua expectatione, quo termino iſta quisque patiatur. Ego quidem cum amatores ſæculi hujus intueor, neſcio quando poſſit eſſe ad eorum animos ſanandos opportuna ſapientia. Quando enim res velut proſperas habent, faſtu reſpuunt ſalubres monitus, & quaſi anilem reputant cantilenam: quando autem in adverſis agunt, magis cogitant evadere unde ad præſens anguntur, quam capere unde curentur, & unde perveniant, ubi angi omnino non poſſint. Aliquando tamen

tamen quidam cordis aures admovent, atque adhibent veritati, rarius inter proſpera, crebrius inter adverſa. Sed tamen pauci ſunt; ita enim prædicti ſunt: inter quos te eſſe cupio, quia veraciter diligo. *Idem ead. Epiſtola.*

O infelicitas generis humani! amarus eſt mundus, & diligitur. Puta ſi dulcis eſſet, qualiter amaretur. *Idem ſermone* 298. *alias* 111. *Appendicis, de Tempore. Et ſermone* 38. *alias* 245. *de Tempore.* Ecce turbatur mundus, & amatur mundus! Quid ſi tranquillus eſſet mundus? formoſo quomodo hæreres, qui ſic amplecteris fœdum? Flores ejus quomodo colligeres, qui ab ſpinis non revocas manum?

Non vis relinquere mundum? relinquit te mundus, etſi * ſequeris mundum. *Idem ibidem.*

Niſi forte adhuc mundus amandus eſt tanta rerum labe contritus, ut etiam ſpeciem ſeductionis amiſerit. Nam quantum illi laudandi atque prædicandi, qui dignati non ſunt etiam cum mundo florente florere, tantum increpandi, & accuſandi ſunt, quos perire cum pereunte delectat. *Idem Epiſtola* 127. *alias* 45. *ad Armentarium & Paulinam.*

Omnia illa, quæ hic erant magna, modo jam nulla ſunt. S. EUCHERIUS *in Parœneſi ad Valerianum, ante medium.*

Quidquid eſt, illarum rerum facies adumbratis quondam nitoribus expoſita jam obſolevit, omniſque fucatus ſplendor intercidit. Vix jam habet mundus, ut fallat. Periit imago illa rerum ad decipiendum usque decora. Prius nos ſeducere vero cogitabat fulgore, nec poterat: prope jam non valet & ipſa nos falſa oſtentatione corrumpere. Solidis bonis carebat, ecce deficit etiam caducis. Non hunc aut ad tempus ſpecioſa ornant, aut impoſte-

* Ita loco & teſtibus Maurinis legit M. S. Codex S. Victorinus.

poſterum manſura confirmant. Niſi nosmet ipſi decipimus, pæne mundus decipere nos non poteſt. *Idem ibidem, poſt medium.*

Quo magis eſt in hoc non jam dicam ſæculi exitu, ſed vel in hoc rerum ejus defectu hominum miſeranda conditio, qui ſibi nec futurorum ſpem gaudiorum reponunt, cum jucunditate præſentium non fruantur. Voluptatem vitæ brevioris non capiunt; perpetuæ ſperare non poſſunt. Bonis temporalibus non utuntur; non utentur æternis. Hic rei parum; illic ſpei nihil. Dolendus prorſus atque miſerandus hominis ſtatus iſte eſt, niſi forte faciat de acerbiſſima conditione congruam neceſſitatem, niſi ob hoc ipſum ad potiora utilitatis ſuæ remedia ſe corrigat, contendatque ad illa ſalubrioris vota conſilii; præſertim cum ita dilacerata præſentis temporis res ſit, ut qui unius futuri ſæculi commodum perdit, utriusque perdiderit. *Idem ibidem.*

Ecce mundus, qui diligitur fugit. Sancti iſti ad quorum tumbam conſiſtimus, florentem mundum mentis deſpectu calcaverunt. Erat tunc vita longa, ſalus continua, opulentia in rebus, fœcunditas in propagine, tranquillitas in diuturna pace, & tamen cum in ſe ipſo floreret, jam in eorum cordibus mundus aruerat. Ecce jam mundus in ſe ipſo aruit, & adhuc in cordibus noſtris floret! ubique mors, ubique luctus, ubique deſolatio. Undique percutimur, undique amaritudinibus replemur, & tamen cæca mente carnalis concupiſcentiæ ipſas ejus amaritudines amamus, fugientem ſequimur, labenti inhæremus. Et qui labentem retinere non poſſumus, cum ipſo labimur, quem cadentem tenemus. Aliquando nos mundus delectatione retraxit a Deo, nunc tantis plagis plenus eſt, ut ipſe nos jam mundus mittat ad Deum. S. GREGORIUS M. *homilia* 28. *in Evangelia.*

Inſe-

Infelices filii Adam omiſſis veris, & ſalutaribus ſtudiis caduca potius & tranſitoria quærunt. Quibus aſſimilabimus homines generationis hujus: aut quibus comparabimus illos, quos videmus a terrenis, & corporalibus conſolationibus avelli, ſepararique non poſſe? Profecto ſimiles ſunt his, qui ſubmerſi periclitantur in aquis. Nimirum videas eos tenentes tenere, nec ulla ratione deſerere quod primum occurrerit manibus, quidquid ſit illud; licet tale ſit aliquid quod omnino prodeſſe non poſſit, ut ſunt radices herbarum, cæteraque ſimilia. Nam & ſi qui ad eos forte veniant ut ſubveniant, nonnunquam ſolent apprehenſos involvere ſecum; adeo ut jam nec ſibi nec illis auxilium ferre prævaleant. Sic pereunt in hoc mari magno, & ſpatioſo, ſic pereunt miſeri, dum peritura ſectantes amittunt ſolida, quibus apprehenſis emergere, & ſalvare poſſent animas ſuas. S. BERNARDUS *Sermone* I. *de Adventu Domini.*

Si ſapis, ſi habes cor, ſi tecum eſt lumen oculorum tuorum, deſine jam ea ſequi quæ & aſſequi miſerum eſt. Beatus qui poſt illa non abiit, quæ poſſeſſa onerant, amata inquinant, amiſſa cruciant. An non ea ſatius cum honore ſpernis, quam cum dolore perdis? an non ea prudentius Chriſti cedis amori, quam morti? Eſt in inſidiis prædo, cujus manibus nec te, nec tua potes ſubducere. Non poterit prævideri, quia tanquam fur in nocte ita veniet. Nihil intuliſti in hunc mundum, haud dubium quin nec quidquam auferes. Dormies ſomnum tuum, & nihil invenies in manibus tuis. Sed noſti hæc, non eſt in docendo te ſuperflue laborandum, orandum potius, ut quod tibi jam noſſe datum eſt, detur & implere prout oportet. *Idem Epiſtola* 103. *ad quemdam non nominatum.*

CAPUT

CAPUT II.

Fontes.

Tertullianus *ad Martyras,* carcerem eſſe mundum.

S. Cyprianus *Epiſtola* 2. *ad Donatum*, & *Libro ad Demetrianum.*

S. Basilius M. *Epiſtola* 1. *nunc* 2. *ad Gregorium Theologum,* de turbis mundi. Item *homilia* 3. *in:* Attende tibi ipſi. *Et homilia* 21. *quod rebus mundanis adhærendum non ſit.*

S. Gregorius Nazianzenus *carminibus plurimis,* quibus fallaciam, ingratitudinem, & laqueos mundi deplorat.

S. Gregorius Nyssenus *Dialogo cum Macrina, & homiliis octo in Eccleſiaſten.*

S. Ambrosius *Libro de fuga ſæculi,* & *Libro de bono mortis.*

S. Chysostomus *homilia in Eutropium.*

Libro, quod nemo læditur, niſi a ſe ipſo.

Homilia 1. *in Geneſin, in fine.*

Homilia citata in illud Pſalmi 38. Verumtamen fruſtra conturbatur.

Homilia 24. *in Matthæum,* de nugis mundi.

Homilia 7. *in Joannem.*

Homilia 15. *in ad Philippenſes,* de miſeria vel feliciſſimorum hujus mundi.

Homilia 1. *in I. ad Timotheum,* ubi egregie in vanitatem bonorum mundi. &c. &c.

S. Hieronymus in *Epiſtolis paræneticis* compluribus, uti 43. *alias* 18. *ad Marcellam,* ubi etiam ad vivum depingit Nobilium mundanorum vitam. Idem *in cap.* 14. *Eſaiæ* de ruina mundi, ſub figura Babylonis. Item *Epiſtola* 14. *alias* 1. *ad Heliodorum,* de mundi periculis. Et *in caput* 1. *v.* 4. *Epiſtolæ ad Galatas,* quo ſenſu mundus ſit malus. Varia quoque huc affert in *caput* 7. *Michææ.*

S. Au-

S. Augustinus *Epiſtola 26. alias 39. ad Licentium.*

Libro XXII. de civitate, capitibus 22. & 23. præclare.

Expoſitione Pſalmi 109. ſub finem, de præterlabentibus rebus mundi ad inſtar fluminis. Quod & affert *Enarratione in Pſalmum 65.*

Libro ſuppoſito de contemptu mundi, atque etiam de vanitate ſæculi.

Sermone 311. alias 115. de diverſis, egregie prorſus de mundi amaritudine.

Denique in *Libris contra Donatiſtas* paſſim de permixtione, ſeparationeque bonorum & malorum in iſto mundo.

S. Eucherius *Parœneſi ad Valerianum*, quæ ipſo titulo præfert *Contemptum mundi.*

Salvianus *Libro 3. de gubernatione Dei, ſub finem.*

Severinus Boethius *de Conſolatione Philoſophiæ, paſſim.*

S. Joannes Climacus *gradu 1.*

S. Gregorius M. *Paſtoralis curæ III. Parte cap. 27. Et homilia 1. in Evangelia.*

S. Isidorus Hispalensis *de contemptu mundi*, ſi tamen illius eſt hic libellus.

S. Antiochus *homilia 15.* de amore mundi.

S. Joannes Damascenus in *Paralellis* varia de mundi vanitate & inconſtantia affert pluribus in locis.

S. Anselmus *Libro I. Epiſtola 8.* de odio mundi. *Item Meditatione VII.* Quod nihil ſtabile eſt in mundo.

Hugo a S. Victore *Libris quatuor de vanitate mundi, Tomo II.*

S. Bernardus *in Declamationibus*, quæ olim *de contemptu mundi* inſcribebantur.

De converſione ad Clericos.

Sermone 7. *in Quadrageſima*, quid ſit in mundo peregrinari, mundo mori, mundo crucifigi.

Sermone 15. *de diverſis, initio*, hortatur exire e mundo.

Epiſtolis compluribus, eisque egregiis, quibus inducit ad relinquendum, ſpernendumve mundum, *præſertim inde a* 103.

INNOCENTIUS III *Tractatu de contemptu mundi*, quem P Ludovicus Bourdaloüe concione 2. Partis III. *excellentem* appellat.

S. BERNARDINUS SENENSIS *Tomo III. ſermone* 23. de amore mundi.

S. LAURENTIUS JUSTINIANUS *Opuſculo de contemptu mundi, capitibus ultimis.*

Multa alia dant Tituli: *Vita humana*: (qui cum iſto fere idem eſt) *Solitudo. Tempus. Tentatio. Abuſus. Finis hominis. Electio ſtatus*, & ſimiles.

S. PETRUS DAMIANI *Opuſculo* 12. quod eſt *apologeticon de contemptu ſæculi.*

APPENDIX.

De Mundo, ſenſu naturali.

Quod colimus nos, Deus unus eſt, qui totam molem iſtam cum omni inſtrumento elementorum, corporum, ſpirituum, verbo quo juſſit, ratione qua diſpoſuit, virtute qua potuit, de nihilo expreſſit in ornamentum majeſtatis ſuæ; unde & Græci nomen κόσμον accommodaverunt. TERTULLIANUS *Apologetici cap.* 17.

Deus eſt: & poſt eum nos, ab ipſo facti, per omnia Deo ſimiles. Nobis omnia ſubjecta ſunt, terra, aqua, aër, aſtra omnia, propter nos creata, ut nobis ſerviant. ORIGENES *Libro* 4. *contra Celſum, ante medium. Et paulo inferius.* En! totam hanc

hanc mundi machinam, cœleſteſque curſus Deus propter nos potiſſimum fabricatus eſt.

Non ullo pacto poteſt humanis opinationibus ſubſtantia Naturæ comprehendi, quam nemo novit, niſi ipſe ſolus, qui fecit. S. Zeno *Sermone* 2. *de Geneſi*.

S. Basilius *Clauſula homiliæ* I. *in Hexameron*. Artifici optimo pro his quæ ſapienter & induſtrie peracta ſunt gloriam demus, & ex pulchritudine eorum quæ videntur eum qui omnem pulchritudinem ſuperat mente concipiamus: & ex magnitudine ſenſibilium horum & circumſcriptorum corporum illum qui infinitus eſt & immenſus, quique omnem præ potentiæ ſuæ multitudine cogitationem exſuperat, intelligamus. Etſi enim eorum quæ facta ſunt naturam ignoramus: at certe quidquid omni ex parte ſub noſtros ſenſus cadit tantum præ ſe fert admirationis, ut vel acutiſſima mens impar eſſe comperiatur quæ aut minimum quid eorum quæ in mundo ſunt pro rei dignitate explicet, aut dubiam laudem rependat Creatori, cui omnis gloria honor, & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.

Mundus vere eſt ut appellatur & incomparabilis pulchritudo, nec aliquod unquam opus quod quidem materia conſtet, illuſtrius, aut magnificentius excogitari poteſt. S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 12.

S. Ambroſius vel de ſolo aſpectu imæ portionis mundi in admirationem datus: Quid enim inquit pleno agro pulchrius, cum ſeges fluctuat, cum poma irrutilant, vel cum uvarum ſerta dependent, aut baccis onuſta olea curveſcit, vel viridanti gramine montium vertices, vallium humilia veſtiuntur? *Libro de Iſaac, & anima cap.* 7.

Præſtantiſſime Chrysostomus *homilia* 10. *ad populum:* Præterea mente mihi prata percurre, hor-

tos, florum genera, herbas omnes, & earum uſus, ſuaveolentiam, figuras, ſitum, nomina tantum arbores fructuoſas & infructuoſas, metallorum naturam, animalium terreſtrium, marinorum, natatilium, per aërem meantium: montes, ſaltus, lucos, inferius pratum, ſuperius pratum (eſt enim in terra pratum, & in cœlo pratum) ſiderum varii flores, inferius roſæ, ſuperius iris. Vis & in avibus tibi pratum demonſtrem? Conſidera pavonis corpus varium, & omnem excedens tincturam: purpurantesque aviculas. Cogita mihi cœli pulchritudinem, quantum temporis agit nec offuſcatum eſt, ſed velut hodie fabricatum ita eſt nitens & ſplendidum; terræ uterus tantum tempus pariens quomodo non hebetavit virtutem ſuam. Cogita mihi fontes quomodo ſcaturiunt, & non defecerunt, ex quo facti ſunt jugiter manantes diebus & noctibus. Cogita mare, quot flumina ſuſpiciens menſuram non exceſſit! Sed quouſque incomprehenſibilia ſectemur? in memoratorum ſingulis dicere par eſt: *Quam magnificata ſunt opera tua, Domine! omnia in ſapientia feciſti.*

Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut unum ex iſtis: Et revera quod ſericum, quæ regum purpura, quæ pictura textricum poteſt floribus comparari? Quid ita rubet ut roſa? quid ita candet ut lilium? Violæ vero purpuram nullo ſuperari murice oculorum magis quam ſermonis judicium eſt. S. HIERONYMUS *in cap. 6. Matthæi.*

Mundus ipſe ordinatiſſima ſua mutabilitate & mobilitate & viſibilium omnium pulcherrima ſpecie quodammodo tacitus & factum ſe eſſe, & non niſi a Deo ineffabiliter atque inviſibiliter magno & ineffabiliter & inviſibiliter pulchro fieri ſe potuiſſe pro-

proclamat. S. Augustinus *Libro XI. de Civitate cap.* 4.

Jam cetera pulchritudo quam & utilitas creaturæ, quæ homini licet in iſtos labores miſeriasque projecto atque damnato ſpectanda, atque ſumenda divina largitate conceſſa eſt, quo ſermone poteſt terminari? in cœli & terræ, & maris multimoda & varia pulchritudine, in ipſius lucis tanta copia, tamque mirabili ſpecie, in ſole ac luna, & ſideribus, in opacitatibus nemorum, in coloribus & odoribus florum, in diverſitate ac multitudine volucrum garrularum atque pictarum multiformi ſpecie tot tantorumque animantium, quorum illa plus habent admirationis, quæ molis minimum (plus enim formicularum, & apicularum opera ſtupemus, quam immenſa corpora balænarum) in ipſius quoque maris tam grandi ſpectaculo, cum ſeſe diverſis coloribus induit velut veſtibus & aliquando viride, atque hoc multis modis, aliquando purpureum, aliquando cæruleum eſt? Quam porro delectabiliter ſpectatur etiam quandocunque turbatur, & fit inde major ſuavitas, cum ſic demulcet intuentem, ut non jactet & quatiat navigantem. Quid ciborum usquequaque copia contra famem? Quid ſaporum diverſitas contra faſtidium naturæ diffuſa divinitus, non cocorum arte ac labore quæſita? quanta in tam multis rebus tuendæ, ac recuperandæ ſalutis auxilia? quam grata viciſſitudo diei alternantis, & noctis, aurarumque blanda temperies? In fruticibus, & pecoribus, indumentorum conficiendorum quanta materies? Omnia commemorare quis poſſit? Hæc autem ſola, quæ a me velut in quemdam aggerem ſunt coarctata ſi vellem velut colligata involucra ſolvere, atque diſcutere, quanta mihi mora eſſet in ſingulis quibus plurima continentur? Et hæc omnia miſerorum ſunt, damnatorumque ſolatia, non præmia beatorum.

Quæ igitur illa ſunt, ſi tot ac talia, & tanta ſunt iſta? quid dabit eis, quos prædeſtinavit ad vitam, qui hæc dedit etiam eis, quos prædeſtinavit ad mortem? *Idem Auguſtinus Libro XXII. de Civitate cap.* 24.

Cum ſit mundus innumerabilibus miraculis plenus, procul dubio majus eſt & excellentius etiam ipſe mundus miraculum. *Idem ejusdem operis Libro XXI. cap.* 7.

Si ipſis quoque oculis bene, & utiliter uti volumus, per iſtos etiam in futurum cupiditate magna ex parte raptamur; ſi admirationem quam ex mundi contemplatione capimus; retorqueamus in ipſum tantæ machinæ auctorem. S. Eucherius *Parœneſi ad Valerianum, in medio.*

Per creaturam ad creaturæ Dominum aſcendamus. Deus namque cum res creatas in morem ſcalæ adaptaverit, per eas ſui amantibus aſcenſum ad ſe extruxit. Basilius Seleuciensis *Orat.* 1.

Plura qui volet, adeat Athenagoram *in Legatione pro chriſtianis.*

Tertullianum *contra Hermogenem.*

Philonem *de mundi opificio*: Quod mundus ſit incorruptibilis. Item in adſcripto ipſi *libro de mundo.*

Eusebium *Cæſarienſem Libro II. de vita Conſtantini cap.* 57.

S. Athanasium *Oratione contra gentes.*

S. Gregorium Nazianzenum *Oratione* 2. *de Theologia*, & *Carmine arcano* 4. *de mundo.*

S. Gregorium Nyssenum *de titulis Pſalmorum cap.* 3. de harmonia, & concentu univerſi: Et *oratione de iis, qui præmature abripiuntur*, a pulchritudine mundi aſſurgendum ad pulchritudine conditoris.

S. Chrysostomum *Libro ad ſcandalum paſſos*: *homilia* 10. *ad populum* &c.

Synesium *in Hymnis.*

S. Augustinum *Expoſitione in Pſalmum* 148. *Libris XI. & XII. de Civitate, atque ſermone* 241. *alias* 143. *de tempore.*

S. Eucherium *in Parœneſi ad Valerianum, circa medium*, de obedientia & amore, quam docet aſpectus mundi.

Theodoretum *Libro* 2. & 4. *adverſus Gentiles, item Orationibus pluribus de providentia.*

Nemesium *Libro de natura hominis cap.* 1.

Zacahriam Mitylenæum *Dialogo de mundi opificio contra Philoſophorum diſputationem.*

S. Joannem Damascenum *Libro II. de fide orthodoxa, capitibus* 1. 2. 5. 6. *Item Libro I. ejusdem operis cap.* 3.

Mosen Barcepham *de Paradiſo.*

Franconem Affliginensem *Libro II. de gratia Dei.*

Dionysium Carthusianum *de Venuſtate mundi & pulchritudine diei.*

His accedunt, quotquot in *opus ſex dierum* ſcripſerunt, ſcilicet: S. Eustathius Antiochenus, (ſi tamen ipſe eſt auctor) S. Basilius M. S. Gregorius Nyssenus, S Chrysostomus, S Augustinus, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Anastasius Sinaita S. Paterius, Venerabilis Beda, Rabanus Maurus, Georgius Pisides &c.

Adde huic Titulo alios quosdam de *Deo*, de *Providentia*, de *Homine*, de *Miraculis* &c.

TITULUS XXXII.

De *Occaſionibus* peccandi, propinquis & proximis.

CAPUT I.

Loci.

Nemo diu tutus eſt periculo proximus, nec evadere diabolum ſervus Dei poterit, qui ſe diaboli laqueis implicavit. Intercedendum eſt cito talibus ut ſeparentur, dum adhuc ſeparari innocentes poſſunt; quia dividi poſtmodum noſtra interceſſione non poterunt, poſteaquam conſcientia graviſſima cohæſerint. S. Cyprianus *Epiſtola* 62. *ad Pomponium.*

Metuite quantum poteſtis ejusmodi caſus exitia, & in iſta ſubverſione labentium vos experimenta perterreant. Nimium præceps eſt qui tranſire contendit, ubi alium conſpexerit cecidiſſe, & vehementer infrænis eſt, cui non incutitur timor alio pereunte. Auctor *Libri de ſingularitate Clericorum, apud eundem Cyprianum.*

In hac parte expedit plus timere, quam male fidere, & utilius eſt infirmum ſe homo cognoſcat, ut fortis exiſtat, quam fortis videri velit, & infirmus emergat. *Idem ibid.*

Si inter feſta ſancta poteſt communis conventio ſcandalizari, ubi tentator ipſe diabolus tremit, quis illic ſtabilem ſe eſſe promittit, ubi tentator audacter occurrit? & ſi illic periclitamur, ubi Dei præcepta nos congregant, quid agimus, ubi Dei juſſa nos ſeparant? & ſi turbamur illic, ubi Dei voluntate munimur, quanto magis, ubi non ſolum diabolum, ſed etiam Dominum habemus adverſum? *Idem ibid.*

Con-

Confundantur aſſertores dilectionis hujuscemodi, quos judicant illi, qui pro communibus commodis etiam conſanguineam deſerunt charitatem. In omni mundo pene totum junctum eſt genus humanum, & ubique cognatio naturalis alterna peregrinatione diſcernitur. Poſſunt parentes, poſſunt filii, poſſunt fratres, poſſunt & ipſi quod plus eſt conjuges a Deo conceſſa ſibi naturæ vincula disrumpere: & Clerici Deo non concedente inſuper prohibente mulierum nexibus ancillatam non valent recuſare charitatem! *Idem ibid.*

Audemus dicere, a Deo Patre miſſus eſt Filius de ſinu Patris, & regno abſens eſſe duravit, ut Eccleſiam faceret innocentem: Et Clericus mulieris latus deſerere non poteſt, ne Chriſti Eccleſiam reddat infamem? *Idem ibid.*

Accipimus quidem fortitudinem ſpiritalem, per quam ſubſtantiæ noſtræ fragilitas roboretur; ſed ita nobis ſpiritalis fortitudo collata eſt, ut providos, non ut præcipites tueatur, ut illos muniat, qui renuntiant importunitatibus delictorum, non eos, qui ſe magis importunis delictis immergunt. *Idem ibid.*

Si quis dicat, ſe ex frequenti cum mulieribus colloquio, atque conſuetudine nequaquam lædi, is aut particeps non eſt maſculæ naturæ, aut res eſt quædam portentoſiſſima, in utriusque ſexus confinio poſita, quales dicunt eos, qui eunuchi nati ſunt (ſi tamen hoc illis etiam demus, quod nullo modo fœminæ libidine afficiantur, aut commoveantur; *Concupiſcentia enim ſpadonis devirginare juvenculam* inquit ſapiens) aut ſi expers non eſt, cum totus libidinibus immerſus ſit, inſciens ebrios, & phreneticos imitatur, qui graviſſimis morbis affecti exiſtimant eſſe ſe a morbo immunes. Agedum quod rationi haud conſentaneum eſt, id inter diſceptandum concedamus, eſſe quempiam, qui nullo

maſculo affectu exſtimuletur. Verum tametſi nihil ſentit, tamen ſe nihil ſentire vix ceteris etiam perſuadere poterit. Porro quod quis nulla ſibi propoſita virtute multis offenſioni eſt, hoc ei periculoſum eſſe arbitror. Deinde vero aliud etiam conſiderandum eſt, quod etiamſi nullo viro perniciem afferant cogitationes, at non item de muliere quoque nobiscum contendet, quaſi ea etiam corporearum libidinum expers ſit; quin potius ipſa, cum ſæpe debiti ratione prædita ſit, irrepatque facile in eam libido, ex eo qui in ipſius collocutionem incaute venit, detrimenti aliquid accipit. Et ipſe quidem non ſauciatur; ſed non raro, licet neſciens ſauciavit. S. Basilius M. *Conſtitutionum monaſticarum cap.* 3. *alias* 4.

S. Chrysostomus *Opuſculo egregio*, *adverſus eos, qui apud ſe habent Virgines ſubintroductas*: Jam vero ſi quis nos intemperantiæ ob hæc verba condemnet? Sane ſtrenuos illos viros, & cum mulieribus habitantes, qui nihil grave patiantur beatos quidem dico qui tales ſint, & vellem etiam ipſe hoc robore donari: & ipſe quidem adducor ut credam, poſſe hujusmodi viros reperiri; vellem tamen eos qui nos reprehendunt poſſe hoc nobis perſuadere, quod adoleſcens fervens corpore puellæque virgini cohabitans & ad latera ejus aſſidens, & ſimul cœnans, & per diem totum confabulans (ut nihil aliud apponam intempeſtivos riſus, & effuſos cachinnos, & mollia verba, atque alia quæ dictu inhoneſta) ſed in eadem inquam habitans domo, eidemque communicans menſæ ubi multa eſt libertas verborum, & ultro citroque accipiuntur multa, danturque, nulla humanarum affectionum capiatur, ſed purus a mala voluptate & concupiſcentia permaneat. Vellem hæc ab his qui nos arguunt doceri poſſe. Sed neque ipſi volunt doceri, & nobis ad hæc defenſionem afferentibus reclamant

mant quaſi impudentibus, eodem quo ipſi morbo correptis, propriamque tegentibus malitiam.

Et iterum, cum oſtendiſſet ſummam vel apud Sanctos continentiæ difficultatem: At tu dicis, quod licet videas cohabitantem virgini, & deliciantem, & animam potius amittentem, quam cohabitatricem paratumque omnia & facere & pati potius quam ſeparari a dilecta: ne ſuſpiceris aliquid mali, ne putes concupiſcentiæ negotium, ſed pietatis potius. Admirande vir! is affectus eſt iis qui lapidibus cohabitant, non hominibus. Et tu quidem forte non credis ob magnam tuam continentiam: ego autem audivi quoſdam dicentes, quod etiam multi erga lapides & ſtatuas nonnihil affecti ſunt. Quod ſi tantum valuit artificium ſolum, ubi aſpera & dura effigies, quantam operabitur inſaniam in effigie pulchra tenerum corpus. Quomodo non credentur magis veriſimilia dicere qui vos accuſant, quam vos qui defenditis? *Idem ibidem.*

Et rurſum: Defenſore caret, ait virgo, neque virum habet, neque tutorem, ſæpe item neque patrem nec fratrem. Indiget aliquo qui ei manum præbeat, & ſolitariæ mœrorem conſoletur & ubique ſe pro ea opponat adverſariis, & ipſam in ſecuritate & portu conſtituat. Quam tu mihi ſecuritatem quæſo, quem portum narras? portus enim propugnaculum video, non arcens fluctus, ſed excitans: & portum non comprimentem tempeſtates, ſed graves, quæ non aderant moventem procellas. Non confundimini, non vultus veſtros obtegitis dum hanc defenſionem affertis? *Ibid.*

Et altero, quod conſequitur, opuſculo: Quod regulares fœminæ viris cohabitare non debent: Quare ipſum habes domi? quam cauſam juſtam, & rationabilem nobis dices? nupta enim nuptias dicet; ſcortum libidinem; tu autem virgo qualem nobis cauſam narrabis dignam quæ proferatur, & juſtam?

Et

Et iterum: Jam autem ſi te rogavero cauſam hujus contubernii, num aliquam dicere potes? infirma ſum, inquit, mulier, neque ſola valeo meo uſui ſufficere. Enimvero cum hæc cohabitatoribus veſtris objicimus, ab eis contraria audimus; nempe quod propter ſuum miniſterium vos teneant. Quomodo igitur quæ ex abundanti viris etiam ſolatio eſſe poteſtis, vobis mulieribus ſubſidio eſſe non poteſtis, ſed aliis indigetis? nam ſicut vir viro, ita mulier mulieri comodius & rectius utique cohabitavit. Quaodo autem & viris ad miniſterium commodiores eſtis, multo magis vobis ipſis. Ad quid enim quæſo neceſſaria & utilis viri ſocietas? aut quale ille mulieri exhibebit miniſterium; quod non poſſit mulieri mulier? num telam tecum texere vel tramam nere cum ſtamine ille magis poterit quam mulier? an non contra ſe res habet? ille enim etiamſi vellet, non utique ſciret; niſi forte nunc id ipſos docueritis; quippe mulieris ſolius hoc opus eſt. Sed veſtem lavare, ignem accendere, & ollam fervefacere? etiam hæc non minus ſed melius quam vir mulier efficere poteſt. Quomodo igitur utilis vir dic quæſo? an quando vendere & emere oportet? Sed neque hic mulier valet minus quam vir; & teſtabitur utique forum & omnes quotquot veſtimenta emere volunt, a mulieribus plerumque emunt. Quod ſi turpe virginibus in foro ſtare in commerciis (ſicut & turpe eſt) quando magis cohabitare viro turpius. Verumtamen & hoc minus quam illud effugere poteſt. Nam hæc vel puellæ quæ miniſtrat, vel vetulis quæ ad hoc idoneæ ſunt, rectius commiſerim. Unde palam eſt, hæc prætextus & effugia eſſe ac tegumenta infirmitatis.

Et infra: Quid enim tibi o miſera tantum prodeſſe poteſt frigida hæc cohabitatio cum tanto theſauro te privet? Vide quæſo! deducit te e cœlis,

exclu-

excludit te ſpirituali thalamo, ſejungit te a cœleſti ſponſo, parat tibi immortalia ſupplicia, & tormenta finem non habentia. Pro his ſi talenta innumera præberet contubernalis tuus, ſi promptior eſſet mancipiis venalitiis: ſi te in majori honore & dignitate conſtitueret quam ſit regina: an non ut damnoſum, & ut inimicum & plura auferentem quam dantem ſic averſari & odio habere oporteret? Proponitur tibi cura de bonis cœleſtibus, de regno futuro, de vita immortali, de ineffabili gloria: tu vero negotia terrena commemoras, & hunc ad illa utilem viſum colis quaſi dominum, & non te occultas, neque oras ut te terra abſorbeat, ut ſic inde migres?

Quid tibi neceſſe eſt in ea verſari domo, in qua neceſſe habeas quotidie aut perire, aut vincere? S. Hieronymus *Epiſtola* 117. *alias* 47. *de vitando ſuſpecto contubernio.*

Inter has tantas illecebras voluptatum etiam ferreas mentes libido domat, quo majorem in virginibus patitur famem, dum dulcius putat omne, quod neſcit. *Idem ibid.*

Quid tu facies puella ſani corporis, delicata, pinguis, rubens, æſtuans, inter carnes, inter vina & balneas, juxta maritos, juxta adoleſcentulos, quæ ſi rogata non feceris, tamen formæ putes teſtimonium ſi rogeris? *Idem ibid.*

Veniet veniet tempus; dies enim allabitur dum ignoras, & iſte formoſulus tuus quia cito ſeneſcunt mulieres, maxime quæ circa viros ſunt vel ditiorem reperiet, vel juniorem. Tunc te pœnitebit conſilii tui, & tædebit pertinaciæ, quando & rem & famam amiſeris, quando quod male junctum fuerat, dividetur bene. *Idem ibid.*

Si ſcandalizat te oculus, pes, manus: projice ea; nulli parcas, ut ſoli parcas animæ . . . Crudelitas

litas iſta pietas eſt. *Idem Epiſtola* 125. *alias* 4. *ad Ruſticum.*

Contra libidinis impetum apprehende fugam, ſi vis obtinere victoriam. *Creditus* AUGUSTINUS *Sermone* 250. *de Tempore, nunc* 293. *in Appendice,* & ut ſolet, *apud Cæſarium.*

Si juxta Dei verbum in gehennam ſcandalis trahimur, recte profecto ut gehennam vitare poſſimus etiam manibus noſtris oculisque multamur. Non quod membris ſuis quis privare ſe debeat, ſed quia tam neceſſariæ nobis ſunt quædam domeſticorum obſequiorum neceſſitudines, ut his quaſi oculis interdum quaſi manibus utamur, recte nobis præſentium miniſteriorum officia ſubtrahimus; ne æterni ignis tormenta patiamur. Ubi enim de miniſterio agitur & vita rectius profecto chriſtiano eſt miniſterio carere, quam vita. SALVIANUS *Libro* 3. *de gubernatione Dei, poſt medium.*

Jam cecidit, qui de ſua virginitate confidit. S. CÆSARIUS ARELATENSIS *in Epiſtola ad quosdam Germanos.*

Diſpar ſexus in unum locatus, eo titillatur inſtinctu, quo naſcitur. S. LEANDER *Regula de Inſtitutione Virginum, & contemptu mundi ad Florentinam ſororem cap.* 2.

Melius eſt peccatum cavere, quam emendare; facilius enim reſiſtimus hoſti, a quo nondum victi ſumus, quam ei, a quo jam ſuperati, ac devicti cognoſcimur. S. ISIDORUS HISPALENSIS *Libro II. ſententiarum cap.* 23.

Quomodo vivere audes, ubi mori non audes? S. BERNARDUS *Epiſtola* 105. *ad Romanum.*

Etſi culpa non eſt, culpæ tamen occaſio eſt, & indicium commiſſæ, & cauſa committendæ. *Idem Tractatu de* 12. *gradibus humilitatis & ſuperbiæ, gradu* 1. *ſuperbiæ.*

CAPUT

CAPUT II.

Fontes.

S. Cyprianus *Epiſtola* 2. *ad Donatum: Libro de diſciplina, & habitu Virginum:* obiter etiam *Epiſtola* 7. maxime vero *Libro toties laudato de ſingularitate Clericorum.*

S. Ephræm *de iis, qui animas ad impudicitiam pelliciunt, cum dicant nihil male eſſe:* Et *de abſtinendo ab omni conſuetudine pernicioſa Tomo III. novo.*

S. Basilius M. *Conſtitutionum monaſticarum cap.* 4. *& homilia* 9. Quod Deus non eſt auctor malorum, *verſus finem.* Idem *Libro de Virginitate* complura habet de fugienda occaſione.

S. Gregorius Nazianzenus *oratione* 4. *poſt initium,* contra temeritatem in adeundo pericula Idem in *Carminibus* cum exemplo a ſe petito, tum rationibus aliis arcet a contubernio mulierum. Videri etiam poteſt *Exhortatio* ejus *ad Virgines,* ubi pariter hortatur ad occaſiones fugiendas.

S. Gregorius Nyssenus *de vita Moſis, ad finem: Oratione* 5. *de Oratione Dominica, etiam ad finem:* Et *homilia* 4. *in Eccleſiaſten, rurſus ad finem.*

S. Ambrosius *Libro de fuga ſæculi.*

S. Chrysostomus *Opuſculis duobus ſupra laudatis,* neque unquam ſat laudandis.

Homilia priore in Pſalmum 50. ubi de Bethſabee.

Homiliis in Pſalmos 139. *&* 140.

Homiliis 16. *&* 60. *in Matthæum,* de occaſionibus auferendis, quibus liberi maxime pervertuntur.

Concione 3. *de Lazaro, initio.*

Homilia 12. *in ad Romanos,* ubi fuſe docet, facilius evitari occaſionem, quam in ea pugnari, ac victoriam referri.

Homilia

Homilia 5. *in ad Hebræos.*

Homilia 15. *ad populum,* de multitudine periculorum peccandi.

S. HIERONYMUS *Epiſtola* 2. *nunc* 52. *ad Nepotianum.*

Epiſtola 12. *nunc* 128. *ad Gaudentium.*

Epiſtola nunc & olim 22. *ad Euſtochium.*

Epiſtola 47. *nunc* 117. *ſupra jam allegata.*

Epiſtola 51. *nunc* 50. *ad Domnionem.*

Idem *Libro* 2. *adverſus Jovinianum*, præter alia multa *ſtatim initio* oſtendit, nunquam ſiſtere in occaſione concupiſcentiam, ſed progredi ſemper, dum pervenerit ad ſcelus.

Denique *Libro adverſus Vigilantium* egregie dicit de occaſionibus fugiendis.

S. AUGUSTINUS *Libro VI. Confeſſionum cap.* 8. de violentia occaſionis vel in eum, qui reſiſtere illi decreverat. *Libro XVI. de Civitate cap.* 19. *& Libro XXII. contra Fauſtum cap.* 36. ne ſperemus auxilium Dei, ubi ultro periculum adimus. Item *Sermone ſupra laudato* ex *Appendice,* ubi iterum hortatur ad cavendas occaſiones.

S. ISIDORUS PELUSIOTA *Libro I. epiſt.* 66. *& Libro II. epiſt.* 62. *&* 284.

S. ANTIOCHUS *homiliis* 17. *&* 18.

MARBODUS REDONENSIS *Epiſtola ad Robertum ſervum Dei, ſi tamen ſit germana.*

S. BERNARDUS *Sermone* 65. *in Cantica,* ubi mirifica eloquentia oſtendit, quam ſit incredibile, ut quis caſte verſetur in contubernio cum muliere. Locum alibi jam dedimus. Vide etiam eundem *Sermone* 1. *in die ſancto Paſchæ.*

Adjiciendi ſunt etiam Tituli: *Tentationes. Societas mala. Scandalum. Mulier. Comœdiæ. Choreæ.* &c.

TITU-

TITULUS XXXIII.

De *Odio*, Vindicta; Reconciliatione item, & Amore Inimicorum.

CAPUT I.

Loci.

Amicos diligere omnium eſt, inimicos autem ſolorum Chriſtianorum. TERTULLIANUS *Libro ad Scapulam cap.* I.

Quid eſt ad pacem Dei accedere ſine pace, ad remiſſionem debitorum cum retentione? Quomodo placabit Patrem iratus in fratrem? *Idem Libro de oratione.*

Hunc expectemus fratres dilectiſſimi, judicem, & vindicem noſtrum, Eccleſiæ ſuæ populum & ab initio mundi juſtorum omnium numerum ſecum pariter vindicaturum. Qui ad vindictam ſuam nimium feſtinat, & properat, conſideret, quia necdum vindicatus eſt ipſe, qui vindicat. S. CYPRIANUS *Libro de bono patientiæ, ad finem.*

Non minus eſt mali, referre injuriam, quam inferre. LACTANTIUS *Libro VI divinarum Inſtitutionum cap.* 18.

Qui referre injuriam nititur, eum ipſum a quo læſus eſt, geſtit imitari. Ita qui malum imitatur, bonus eſſe nullo modo poteſt. *Idem ibid.*

Benigni Chriſti benigna omnia ſint, itidemque Chriſti paſſiones. Quibus quidnam tandem aliud majus, ac præſtantius daremus, ſi cum Deus mortem ipſam noſtræ ſalutis cauſa pertulerit, nos contra ne leves quidem offenſas, & injurias æqualibus noſtris remittamus? S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione* 25.

O homo quam altus es, ſi ad amplitudinem præceptorum cœleſtium ſinum tuæ mentis expandas!

das! quam latum eſt mandatum charitatis! *Diligite,* inquit, *inimicos veſtros!* Omnes in affectu charitatis incluſit, qui non excluſit inimicos. Quis enim videtur exceptus cum recipitur inimicus? Unde Apoſtolus: *Si fieri,* inquit, *poteſt, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Non poteſt hoc Judæis dici, non gentilibus, ut cum omnibus pacem habeant. Illi vix ſuos diligunt; Chriſtiano etiam inimicos non licet non amare. S. Ambrosius *in Pſalmum* 118. *ad illud:* Latum mandatum tuum nimis.

Beneficium ſe putabat accepiſſe auguſtæ memoriæ Theodoſius, cum rogaretur ignoſcere: & tunc propior erat veniæ cum fuiſſet commotio major iracundiæ. Prærogativa ignoſcendi erat indignatum fuiſſe, & optabatur in eo, quod in aliis timebatur, ut iraſceretur. *Idem oratione de obitu Theodoſii, propius initium.*

S. Chrysostomus, *cum cohortatus eſſet ad amorem odio referendum, ita objectionem humanæ infirmitatis occupat:* Et quomodo, inquies, poteſt hoc fieri? Cum Deum videas hominem factum tantum deſcendiſſe, & tanta pro te paſſum eſſe: interrogas adhuc & ambigis: quomodo poſſumus injurias conſervis remittere? Non audis Paulum dicentem: *Qui aſcendit ſurſum, & ſedet in dextera, interpellat pro nobis?* Non vides quomodo poſt crucem, & Aſcenſionem Judæis qui ſe interfecerant, miſerit Apoſtolos, qui ſexcenta ipſis afferrent bona? Idque cum mille ab ipſis paſſuri eſſent mala? At tu læſus admodum es? Et quid tantum paſſus es, quantum Dominus tuus vinctus, colaphis cæſus, flagellatus, a conſervis conſputus, mortem paſſus, mortem inquam omnium turpiſſimam; idque poſt mille ipſis illata beneficia? ſi porro multum læſus ſis, ideo maxime beneficia confer, ut tibi ſplendidiorem nectas coronam, & fratrem a graviſſimo

morbo

morbo liberes. Nam & medici quando ab ægro furente calcibus, & injuriis impetuntur, tunc maxime ipſos miſerantur, & ad ſanitatem ipſis reſtituendam ſeſe apparant, gnari contumeliam illam a violentia morbi proficiſci. Et tu itaque hanc circa inſidiatores teneto ſententiam, ſicque erga lædentes te geras. Illi namque ſunt qui vere morbo laborant, & vim patiuntur omnem. Libera igitur eum a gravi iſto damno, & da operam, ut iram remittat. A ſævo dæmone, nempe furore eripe. Nam cum dæmoniacos videmus lacrimamur, neque ſtudemus ipſi a dæmone agitari. Hoc igitur erga iratos nunc faciamus; nam iis ſimiles ſunt iracundi; imo illis miſeriores ſunt, qui ſenſibus integris inſaniunt. *Homilia* 18. *in Matthæum.*

Idem rurſus hoc aſſumens argumentum: Non vides, *ait*; quantum quotidie Deus blaſphemetur? Quantum contumelia afficiatur & ab infidelibus, & a fidelibus: & per verba & per res ipſas? Quid ergo? an propterea ſolem extinxit? an lunæ curſum ſuſtulit? an aërem confudit? nequaquam. Imo contra ſolem oriri curat, pluviam demittit, fructus dat, & annuos cibos blaſphemis, inſenſatis, execrandis, perſecutoribus; non uno die, non ſecundo, non tertio, ſed per totam vitam. Hunc & tu imitare: hunc ſecundum humanas vires æmulare. Non potes ut ſol oriatur curare? a maledictis abſtine. Non potes pluviam dare? ne contumeliam inferas. Non potes alimenta dare? ne violentus ſis. Hæc tua dona ſufficiunt. A Deo autem per opera exhibentur collata inimicis beneficia; tu per verba ſaltem exhibe, pro inimico precare. Sic eris ſimilis Patri tuo, qui in cœlis eſt. *Homilia 6. in I. ad Timotheum.*

Sed atrociter læſus es, nec potes iram remittere. Quid igitur? an igitur te ipſum magis etiam & gravius lædes? neque enim tantis malis te afficiet inimicus quæcunque fecerit, quibus te ipſum afficis, ſi illi non reconcilieris; ſed Dei leges conculcaris. Ille te contumelia affecit? Dic mihi, num tu ideo Deum afficies contumelia? &c. non recipere in gratiam eum qui moleſtiam attulit non tam eſt illum ulciſci, quam Deum afficere contumelia, legis hujus auctorem, præcipientis ut inimicis reconciliemur, priusquam accedamus ad altare. Proinde ne reſpicias ad conſervum, neque ad magnitudinem injuriarum quas intulit ille; ſed ad Deum: illiusque timore in animum demiſſo illud expende, quod quo majorem vim admoveris animo tuo, poſt innumera mala cogens illum redire in gratiam cum eo qui moleſtiam intulit: tanto majus præmium feres a Deo, qui hæc præcepit: & quemadmodum hic Deum excipis multo cum honore, ſic & ipſe te illic multa cum gloria excipiet, reddetque tibi millecuplam iſtius obedientiæ mercedem. *Idem homilia de beato Philogonio, in fine.*

Quisquis roganti & peccati ſui pœnitenti non ex corde dimittit, nullo modo exiſtimet a Domino ſua peccata dimitti; quoniam mentiri veritas non poteſt . . . *Si non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Ad tam magnum tonitruum qui non expergiſcitur non dormit ſed mortuus eſt. S. AUGUSTINUS *Enchiridii capite* 74.

O quicunque ille es, attendis quid tibi fecerit homo; & non conſideras, quid tu feceris Deo. *Idem Sermone* 5. *de ſanctis nunc* 210 *in appendice.*

Si nobis aliqua potens perſona injuriam faciat, ſi nos etiam in faciem maledicat: nec reſpondere aliquid aſperum, non dicam vicem reddere audemus. Quare hoc? ne ab illa perſona potente adhuc

majora

majora quam pertulimus patiamur. Quod a nobis extorquet hominis timor debuerat a nobis exigere Chriſti amor. *Idem ibidem.*

Dominus juſſit. Dura juſſit; ſed magna promiſſit. *Idem ſermone* 15. *alias* 254. *de tempore.*

Sed ille noluit tibi dimittere? noli eſſe ſolicitus. Servi eſtis ambo. Habetis Dominum Conſervo tuo debes? noluit tibi dimittere? interpella Dominum amborum. Quod tibi dimiſerit Dominus, ſi poteſt, exigat ſervus. *Idem Sermone* 211. *alias homilia* 40. *ex* 50.

Quid ei nocebit, qui bene uti etiam inimico poteſt? *Idem Libro de vera Religione cap.* 47.

Homo ſi ſine peccato eſſe non potes, & vis ſemper dimitti tibi, dimitte ſemper. Quantum vis dimitti tibi dimitte tantum. Quoties vis dimitti tibi toties tu dimitte. Imo quia vis totum dimitti tibi, totum dimitte. Homo! intellige, quia remittendo aliis tu tibi veniam dediſti. S. Chrysologus *Sermone* 67.

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Qui ſic petit, & debita non relaxat, iſte ſe etiam, per quod orat, accuſat. *Idem vir ſanctus ſermone* 68.

Bona ſemper venia, ſed tunc dulciſſima cum debetur. Vicit pœnam, judicem prævenit, evaſit judicium qui remittendo, ante ſe veniam, quod delinqueret, jam prævidit. *Idem rurſus Sermone* 139. & 38.

Quia nemo non peccat. nemo non parcat. S. Leo *Sermone* 12. *de Quadrageſima.*

Ait Dominus: *Si percuſſerit te in dexteram maxillam, præbe ei & alteram.* Quantos putamus eſſe, qui dicto huic vel aures modeſte præbeant, vel certe, etiamſi id facere videntur, animis acquieſcant? Aut quotusquisque eſt, qui ſi ictum unum acceperit non multos pro uno reddat? Tantum ab illo abeſt,

ut cædenti maxillam præbeat, ut tum ſe vincere putet, non quando adverſarium vapulando ſed quando cædendo ſuperaverit. Salvianus *Libro* 3. *de Gubernatione Dei*, *ante medium*.

O quam multus es ad ignoſcendum! o quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine! o quam longe cogitationes tuæ a cogitationibus noſtris! o quam firmata eſt etiam ſuper impios miſericordia tua! Mira res! ille clamat: *ignoſce*; Judæi: *crucifige*. S. Bernardus *Sermone in feriam quartam majoris hebdomadæ*.

CAPUT II.

Fontes.

Tertullianus *Libro de Patientia capitibus* 9. & 10. Item *Libro IV. contra Marcionem*, *cap.* 16. ubi ſpeciatim de lege Talionis.

S. Cyprianus *Libro de bono patientiæ fuſius*. Item *Libro de oratione Dominica*.

Lactantius *præclare loco citato*.

S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catecheſi Myſtagogica* 5.

S. Basilius M. *Homilia* 10. *adverſus iratos*.

S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 4. hortatur chriſtianos, ne cæſo Juliano Apoſtata vindicandi opportunitate utantnr.

S. Gregorius Nyssenus *Oratione* 5. *de oratione dominica*. Et *Oratione* 7. *de Beatitudinibus*.

S. Ambrosius *Libro I. de officiis*, *capitibus* 3. 4. 5. & 6. Item *Libro V. in caput* 6. *Lucæ*.

S. Chrysostomus *homilia contra quosdam non recte in fide ſentientes*, *Tomo III. Montfauconi*.

Item *alia eodem Tomo: Peccata fratrum non evulganda*.

Homilia de dilectione inimicorum, ibidem.

Homilia

Homilia in illud: Si eſurierit inimicus tuus, *rurſum ibidem.*

Homilia de decem millium talentorum debitore.

Homiliis 3. 20. *&* 21. *ad populum.* Et 20. quidem late verſatur in hoc noſtro argumento; 3. *&* 21. agit de venia rebellibus danda.

Homilia 2. *de proditione Judæ, Tomo II. novó.*

Homiliis 4. *&* 27 *in Geneſin.*

Homilia in Pſalmum 4 *ante medium.*

Homiliis 16. 18. 63. 80. *in Matthæum.*

Homiliis 17. *&* 41. *in Acta.*

Homiliis 12. 21. 22. 27. *in ad Romanos.*

Homilia 32. *in I. ad Corinthios.*

Homiliis 5. *&* 16. *in II. ad Corinthios.*

Homilia 4. *in I. ad Timotheum.*

Homilia I. in ad Philemonem, egregie.

Adde, ſi vis, *Eclogam ejus de odio & inimicitiis*, & plura alia.

S. Hieronymus *Epiſtola* 36. *nunc* 13. *ad Caſtorinam materteram.*

S. Augustinus *Enchiridii capite* 73. *&* 74.

Enarratione in Pſalmum 54. *verſu* 1. *& ſequent.*

Epiſtola 138. *alias* 5. legem veniæ non eſſe contra bonum Reipublicæ.

Sermone 56. *alias* 48. *de diverſis, fuſe.*

Sermone 58. *alias homilia* 42. *ex* 50.

Sermone 59. *de tempore, nunc* 62. *appendicis.*

Sermone 304. *alias* 37. *de diverſis.*

Sermone 315. *alias* 93. *de diverſis.*

Sermone 316. *alias* 94. *de diverſis.*

Sermone 317. *alias* 92. *de diverſis.*

S. Isidorus Pelusiota *Libro II. epiſtolis* 6. *&* 67. de moleſtiis inimicitiarum.

S. Chrysologus *Sermonibus* 38. *&* 139.

S. Cassianus *Collatione IX. cap* 22.

S. Leo *Sermone* 10. *de Quadrageſima* amore inimicorum præparat ſuos ad ſanctam hebdomadem.

S. Cæsarius Arelatensis *homilia* 7. de diligendis inimicis.

S. Joannes Climacus *gradu* 9.

S. Gregorius M. *homilia* 27. *in Evangelia*, de oratione pro inimicis: Et *Libro XXII. Moralium, capitibus pluribus*, de amore inimicorum.

S. Antiochus *homiliis* 52. 53. 54. 57. 71. 72.

S Bernardinus Senensis *Tomo I. Sermone* 25. & 26.

Adde Titulos: *Amor proximi. Paſſio Domini* &c.

Sed & omnes fere Patres, qui *dominicam* in *Orationem* ſcripſerunt, hic conſuli utiliſſime poſſunt *Petitione* 6.

TITULUS XXXIV.

De *Parentibus*, & eorum in Liberos officiis.

CAPUT I.

Loci.

Omnia, quæ deliquerint filii, de parentibus requiruntur. Origenes *creditus Libro I. in Job, ad caput* I.

S. Cyprianus, *ut horrorem parentibus incuteret, ita eorum liberos ad Deum judicem loqui docet:* Perdidit nos aliena perfidia. Parentes ſenſimus parricidas. Illi nobis Eccleſiam matrem, illi patrem Deum negaverunt. *Libro de lapſis, propius initium.*

Quomodo caſtigabitis liberos, cum vos incaſtigatam vitam atque incompoſitam vivatis? S. Basilius M. *homilia* 14. *in Ebrioſos.*

S. Gregorius Nazianzenus *inter alias laudes parentum S. Baſilii M.* Mihi tamen, inquit, maximum & clariſſimum eſſe videtur felicitas in liberis. Nam qui ſimul & multos & probos, atque honeſtos filios habuerint, in fabulis fortaſſe reperias.

Hos

Hos tamen res ipſa nobis exhibuit, ut qui tales quidem ipſi fuerint, ut etiamſi talium liberorum parentes haudquaquam extitiſſent, ſibi ipſis tamen ad nominis claritatem ſufficere potuiſſent: rurſum autem ejusmodi filios in lucem extulerint, ut etiamſi ipſi non tanta virtute fuiſſent, omnes tamen ſobolis felicitate ſuperaturi eſſent. *Oratione* 20. *propius initium.*

Quid poterat filia de adultera matre diſcere niſi damnum pudoris. S. AMBROSIUS *Libro III. de Virginibus, poſt initium.*

Amare liberos dulce, & impenſius amare prædulce; ſed frequenter amor ipſe patrius, niſi moderationem teneat, nocet liberis; ſi aut nimia indulgentia dilectum reſolvat, aut prælatio unius ceteros ab affectu germanitatis avertat. Plus aquiritur filio cui fratrum amor aquiritur. Hæc præclarior munificentia patrum, hæc ditior hæreditas filiorum. Jungat liberos æqualis gratia, quos junxit eadem natura. Lucrum pietas neſcit pecuniæ, in quo pietatis diſpendium eſt. Quid miraris, ſi propter fundum, aut domum oriuntur inter fratres jurgia, quando propter tunicam inter Jacob ſancti filios exarſit invidia? Quid ergo? reprehendendus Jacob, quia præferebat unum ceteris? Sed nec libertatem poſſumus auferre parentibus, ne eos plus diligant quos plus credunt mereri: nec filiis reſecare debemus ſtudium plus placendi. Denique & Jacob illum plus amabat, in quo majora virtutum inſignia prævidebat, ut non tam filium pater prætuliſſe videatur, quam Propheta myſterium, meritoque variam tunicam fecit ei, quo ſignificaret, eum diverſarum virtutum amictu fratribus præferendum. *Idem Libro de Joſeph Patriarcha cap.* 2.

Magnum depoſitum habemus, filios nempe. Curam ergo eorum habeamus, nihil non agamus, ne illud nobis malignus ille auferat. Nunc autem

a nobis contraria omnia præſtantur. Ut ager ſit optimus omnia facimus: ut fideli viro tradamus, aſinarium, mulionem, procuratorem, & diſpenſatorem, qui ſit optime affectus, quærimus. Quod autem omnium nobis pretioſiſſimum eſt, ut filium alicui committamus, qui poſſit ejus caſtitatem tueri, id negligimus; quamquam id præ omnibus prædiis nobis cariſſimum eſſe debet. Cetera enim omnia ad hoc poſſidentur. Prædia illis danda curamus; illos autem minime. Viden' rei abſurditatem? Primo filii animam exerce, & hæc poſtea aderunt. Nam ſi illius anima bona non ſit, nihil eis pecuniæ proderunt: ſin autem proba, nihil ex paupertate lædentur. Vis illum relinquere divitem? doce illum eſſe probum. Ita enim rem familiarem augere poterit: & ſi non augeat, non in deteriori conditione erit quam ii qui plurima poſſident. Si autem improbus fuerit, etiamſi innumera bona ipſi relinquas, non cuſtodem reliquiſti, ſed miſeriorem reddidiſti iis qui in extremam paupertatem devenere. Filiis enim non recte inſtitutis melior eſt paupertas quam divitiæ. Paupertas enim illos vel invitos in virtute retinet; divitiæ vero ne volentes quidem temperantes eſſe ſinunt. S. CHRYSOSTOMUS *homilia 9. in I. ad Timotheum.*

Et ad matres converſus: Matres! Filias veſtras recte componite; facilis vobis eſt hujuſmodi cura. Vigilate ut domi maneant. Ante omnia autem ad pietatem illas inſtituite, & ut honeſtæ ſint ac pecunias ſpernant, ne cultum & ornatum nimis curent. Sic illas nuptiis tradite. Si illas ſic efformetis, non ipſas tantum, ſed etiam virum, qui illas ducturus eſt ſervabitis; nec virum tantum, ſed filios: nec filios ſolum, ſed nepotes. Nam ſi radix ſit bona, ſurculi quoque in melius proficient, & extendentur, horumque omnium mercedem accipietis. Ut igitur non unius animæ utilitati proſpicien-

cientes, ſed multarum per unam ſic omnia faciamus. Ita enim oportet iſtam ex paterna domo ad nuptias pergere, ut Athletam ex palæſtra, omni ſcientia accuratiſſime inſtructam. *Idem eadem homilia.*

Multi patres ut bonus equus filio obveniat, & ut ædes magnificæ, ut prædium magni pretii: cuncta faciunt atque moliuntur; ut autem anima ejus bona fiat, & pium propoſitum nullius penſi habent. Et hoc eſt, quod totum mundum ſubvertit. *Idem homilia in illud:* Vidua eligatur &c. *Tomo III. Montfauconi.*

Liberos minus quam pecudes curamus: de aſinis & equis magis ſoliciti ſumus quam de filiis. Mulum ſi quis habeat, multum curat, ut agaſonem illi optimum provideat, non improbum, non furacem, non temulentum, non artis ſuæ imperitum: ſi autem filiæ pædagogum dare opus ſit, caſu & ſine delectu obvium quemque excipimus; etſi hac arte nulla ſit major. Quid par illi arti quæ dirigendæ animæ & efformandæ juvenis menti & indoli incumbit? Qui tali inſtructus eſt facultate, plus diligentiæ exhibeat oportet, quam quivis pictor, aut ſtatuarius. At nos id nihil curamus; ſed id unum ſpectamus, ut linguam ediſcat: illudque ſatagimus tantum opum acquirendarum cauſa. Non enim ut loqui valeat, ſed ut pecunias colligat linguam ediſcit; ita ut ſi abſque loquendi facultate poſſent diteſcere, nihil hanc diſciplinam curaremus. Vides quanta ſit pecuniarum tyrannis, hominesque trahat quo velit? *Idem homilia 60. in Matthæum.*

Si nos jubemur vigilare pro animabus eorum, tanquam rationem reddituri: multo magis pater qui genuit, qui educavit, qui cum illo domi ſemper manet. Quemadmodum enim in ſuis delictis non poteſt ad excuſationem & veniam confugere, ita

ita nec in iis quæ filii deliquerint. Idque rurſus beatus Paulus declarat. Cum enim ille lege ſanciret cujuſmodi eſſe deberent ii, qui aliorum principatum adeunt, cum aliis omnibus quæ illis neceſſario ineſſe debebant, filiorum quoque curam exigit, quaſi nulla jam reliqua ſpes veniæ ſit ſi illi perverſi fuerint. Et jure quidem. Nam ſi ex natura vitia hominibus ineſſent, merito quiſpiam ad excuſationem confugeret; quoniam autem ex propoſito & improbi & probi efficimur, quam tandem ille excuſationem poterit obtendere, qui quem omnium maxime diligit, perverti atque improbum fieri permiſit? At nemo qui pater ſit hæc dixerit; cum natura inſtet, ut ad hoc officium illum excitet. Sed forte non potuit? Neque hoc dici poteſt; nam quod eum tenerum acceperit, & quod primus & ſolus in ſua poteſtate, & ſibi commiſſum habuerit, ſemperque domi verſantem, facile ac nullo negotio ipſum moderari potuit. Itaque nulla alia de cauſa perverſi evadunt liberi, niſi quod patres circa præſentis vitæ commoda inſaniant. Cum enim ad illa ſolum reſpiciant, nihilque eis præferendum cenſeant, & ſuam pariter & liberorum animam negligere coguntur. Hos ergo patres (quod nemo tamen ira commotum dicere exiſtimet) filiorum occiſoribus ſceleratiores eſſe dixerim. Illi enim corpus ab anima ſeparant; iſti & animam, & corpus gehennæ ignis tradunt. Illam porro mortem naturali lege ſubire neceſſe eſt; hanc vero effugere licebat; niſi ipſam patrum negligentia intuliſſet. Ad hæc mortem adveniens reſurrectio cito delere poterit; animæ vero interitum nihil ſolabitur. Neque enim ſalus illam exceptura eſt, verum immortales ille pœnas neceſſario luet. Itaque non injuria patres hujuſmodi filiorum occiſoribus deteriores eſſe diximus. *Idem Libro* 3. *adverſus oppugnatores vitæ monaſticæ.*

An

An illud ut fugeret monuiſti, & leges a Chriſto hac de re poſitas ipſe legiſti? An tu ipſe ne ſi exiſtant quidem noſti? Quonam ergo modo poterit ea filius perficere, quorum nec pater ipſe, qui illum erudire debuerat, leges novit. *Idem ibid.*

Atque utinam hoc ſolum damni adeſſet, quod nihil utile patres conſilii darent! non tantum utique malum eſſet. Nunc autem eos ad contraria prorſus impellitis. Neque enim aliud patres audies cum filiis tractare, cum eos ad ſtudia literarum hortantur, niſi verba hujusmodi: ille, inquit, humilis, humilique loco natus eloquentia adeptus ſummos magiſtratus obtinuit, divitias acquiſivit ingentes, uxorem duxit opulentam, ſplendidas conſtruxit ædes, omnibus terrori eſt, & gloria fulget. Alius rurſum, ille inquit, latina lingua eruditus in regia clariſſimus eſt, cunctaque intus adminiſtrat. Et alius alium rurſus oſtendit, cunctique eos, qui in terra inſignes ſunt memorant; cœleſtium autem nulla unquam mentio; imo ſi quis illa commemorare aggrediatur, ut qui cuncta pervertat ejicitur. Cum igitur a principio hæc illis occinatis, nihil aliud eos quam omnium malorum materiam docetis, duos violentiſſimos amores inſinuantes, pecuniarum dico, & qui longe iniquior eſt, vanæ inanisque gloriæ. Horum vero alteruter per ſe ſolus cuncta pervertere poteſt: cum autem ambo in teneram juvenis animam confluunt, quaſi quidam torrentes conjuncti bona omnia corrumpunt, tantam vim ſpinarum, & arenæ, tantam colluviem contrahentes, ut animam illam ſterilem, infructuoſam, bonisque omnibus vacuum efficiant. Horum teſtes eſſe poſſunt exteri quoque Scriptores, quorum unus alterum affectum non cum alio junctum, ſed per ſe ſolum arcem, alius caput malorum appellat. Quod ſi ſeparatum arx eſt, & caput: cum alius longe gravior, & potentior acceſſerit, inſana nempe

nempe gloriæ cupido, & cùm illo violenter irruerit, radiceſque poſuerit, atque juvenis animum occupaverit, quis demum ejuſmodi morbum amovere poſſit, cum maxime patres ipſi non ut evellantur, ſed ut firmiora ſint hæc mala germina nihil non agant, & dicant? Quis igitur adeo ſtultus eſt, ut non deſperet de ſalute pueri ad hunc modum inſtituti? Optandum eſt animam contrariis rebus imbutam a malitia ſe ſubducere: quando autem undique illiciunt pecùniarum præmia, & ſcelerati viri ad imitandum proponuntur, quænam ſalutis ſpes ſupereſt? Nam eos, qui pecuniarum amore tenentur & invidos & improbos, & multum jurantes, & perjuros, contumelioſos item fures, inverecundos, impudentes, ingratos, denique omni nequitia plenos eſſe neceſſe eſt. Horum teſtis fide dignus eſt beatus Paulus, qui radicem omnium malorum eſſe avaritiam dixit: & ante ipſum Chriſtus idipſum declaraverat, aſſeverans non eſſe poſſibile Deo ſervire eum, qui illi morbo ſerviret. Cum igitur initio juvenis ad hanc ſtatim adducatur ſervitutem, quando liber evadere poterit? quando fluctum ſuſtinere omnibus pellentibus, omnibus immergentibus, & in extremæ ſubmerſionis neceſſitatem ipſum conſtituentibus? &c.

Ac ſi dedita opera filios perdere ſtudeatis ſic illa omnia præcipitis eis, quæ ſi exequuntur, ſalutem conſequi non poſſunt. Rem altius conſidera. *Væ*, inquit, *ridentibus!* vos autem ipſis multas præbetis ridendi occaſiones. *Væ divitibus!* vos vero ut pecunioſi ſint, aſſidue molimini. *Væ cum benedixerint vobis omnes homines!* Vos autem pro populari aura facultates ſæpe omnes effunditis. Rurſus is, qui fratri contumeliam infert, reus eſt gehennæ; voſque tamen & imbecilles, timidos eſſe putatis eos, qui tacite illatas ſibi ab aliis contumelias ferunt. Jubet Chriſtus pugnas, & lites contem-

temnere; vos autem illos in his ſemper malis verſari curatis. Oculum ille, ſi noceat, eruere ſæpe jubet: at vos eos maxime vobis conciliatis amicos, qui poſſint pecunias præbere, etiamſi extremam nequitiam doceant. Uxorem repudiare non permittit, præterquam in ſola adulterii cauſa; at vos, dum pecunias aquirere liceat, hoc præceptum deſpicere docetis. Jusjurandum vetat omne; vos quem id ſervare videritis etiam ridetis. *Qui amat*, inquit, *animam ſuam, perdet eam*; vos ad hunc amorem illos ſemper adducitis *Si non remiſeritis*, inquit, *hominibus peccata*, *neque vobis remittet pater veſter cæleſtis;* vos illis exprobratis cum eos qui ſe læſerint ulciſci nolunt, utque id mature præſtare poſſint, illos inſtituitis. Gloriæ cupidos omnia fruſtra agere docuit Chriſtus, ſive illi jejunaverint, ſive oraverint, ſive miſerti fuerint; at vos ut illam aſſequantur, nihil non agitis. Equid opus omnia perſequi, cum ſupra memorata innumeras gehennas inferre poſſint? nec modo omnia ſimul, ſed ſeorſim ſingula. At vos omnia ſimul congeſta, & intolerabile peccatorum onus imponentes ſic in fluvium igneum immittitis! Quando ſalutem nanciſci poterunt tantam ferentes ignis eſcam? *Idem ibidem ex Montf.*

Neque id ſolummodo grave eſt, quod Chriſti præceptis contraria doceatis, ſed quod præclaris appellationibus vitia obtegatis. Hippodromis ac Theatris jugiter intereſſe urbanitatem vocantes: divitias, libertatem, gloriæ amorem magnanimitatem: arrogantiam fiduciam: prodigalitatem humanitatem: injuſtitiam fortitudinem. Denique quaſi hæc fallacia non ſufficiat, virtutem quoque contrariis nominibus vocatis, Temperantiam appellantes ruſticitatem: Modeſtiam timiditatem: Juſtitiam imbecillitatem: Contemptum faſtus ſervilem animum: Injuriarum tolerantiam infirmitatem;

ac

ac ſi metuatis ne ſi ab aliis veram horum appellationem audierint filii veſtri, perniciem hujusmodi fugiant. Neque enim parum confert ad vitiorum averſionem, ſi nudæ & propriæ eorum appellationes proferantur; ſed tantum id habet roboris ad peccantium animos feriendos, ut plerique ſæpe turpiſſimis inſignes vitiis ſe ita vocari non libenter ferant; ſed adeo ſæviant, & indignentur ac ſi acerbiſſima paterentur. Si quis adulteratam mulierem, & ſtupratum puerum ex turpiſſimo actu vocaverit, irreconciliabilis efficitur inimicus; utpote qui magna affecerit injuria. Neque hos tantum, ſed etiam avarum, ebrioſum, arrogantem, demumque omnes graviſſima operatos videas non tam de ipſo opere, vulgique opinione angi & dolere, quam de facinorum nominibus. Multos porro novi hac ratione emendatos, qui opprobriis moderatiores evaſerunt. At vos hoc ſolatium, atque remedium ſuſtuliſtis, quodque gravius eſt non verbis ſolum, ſed exemplo quoque & opere hæc illis monita datis, dum ædes ſplendidas conſtruitis, agros emitis pinguiſſimos, reliquosque magnificos apparatus additis, prorſusque velut quadam nebula animos eorum obtenebratis. Unde igitur mihi perſuaderi poterit, poſſe illos ſalutem conſequi, cum ad ea evocari videam quæ qui faciunt prorſus perituros eſſe Chriſtus declaravit: cum videam vos animam eorum quaſi minus aliquid negligere; illa autem quæ vere ſuperflua ſunt quaſi neceſſaria & præcipua curare? *Idem ibidem.*

Non ſentit illa ſicut ceteræ matres; quæ corpus natorum ſuorum amant; animam autem contemnunt. Deſiderant enim illos valere in ſæculo iſto, & non curant quid paſſuri ſint in alio. Alii militias filiis ſuis provident, alii honores; & nemo filiis ſuis providet Deum. Perditionem illorum cum magno pretio comparant, & ſalutem illorum nec

nec dono accipere volunt. Si viderint illos pauperes, triſtantur & ſuſpirant; ſi autem viderint illos peccantes, nemo triſtatur, ut oſtendant, quia corporum ſunt parentes non animarum. AUCTOR *operis imperfecti in Matthæum, homilia* 35.

Hæc eſt, & eſſe debet piorum conjugum intentio, ut regenerationi generatio præparetur. S. AUGUSTINUS *Libro IV. contra Julianum cap.* 1.

Non eſt laudandus, qui amat filios, ſed deteſtandus qui non amat Pro magno enim laudaturus ſum in homine, quod video in tigride. *Idem alias homilia* 38. *ex* 50. *Sermone* 385.

Sed forte neglexit malus filius vel monita patris, vel objurgationem, vel ſeveritatem? Tu imple perſonam tuam: Deus de illo exiget ſuam. *Idem ad finem Enarrationis in Pſalmum* 50.

O ſpectaculum formidandum! Amor in prolem Deique dilectio judicio contendunt, & judex enſifer inſtat Abrahamus, ac enſe jus dicit, victoriamque Dei dilectioni tribuit, conſignat ſanguine, teſtemque victoriæ ſacrificium facit. BASILIUS *Seleucienſis oratione* 7. *de Abraham.*

Bene omnes parentibus ſuis filii non magis in patrimonia quam in vitia ſuccedunt, nec magis facultates paternas ſumunt, quam pravitates: ac ſi tranſeuntes ſemper in mores patrum ante eorum incipiunt nequitiam quam ſubſtantiam poſſidere. Et eſt ratio, cur hoc ſit. Bona enim parentum non niſi mortuis eis poſſident, viventibus adhuc & valentibus mores. Ac ſic priusquam in dominio ſuo habere incipiant res paternas, habent in animis ipſos patres: & antequam habeant illa quæ falſo dicuntur bona, ante habent illa, quæ vere probantur mala. SALVIANUS *Libro* 1. *ad Eccleſiam Catholicam.*

Quid ergo, cum hæc ita ſint, interdicere forſan parentibus filiorum videar affectum? minime.

quid enim tam ferum, tam inhumanum, tam legi æmulum quam ſi non amandos dicamus filios, qui amandos fatemur inimicos: aut ſi affectum quem natura præſtat, prohibeamus, qui etiam eum, quem natura prohibet, impendimus: aut ſi charitatem menti extorqueamus quam habet, qui etiam illam ei conamur inſerere, quam non habet? Non ita eſt; non ſolum enim amandos dicimus filios, ſed præcipue, ac ſuper omnia amandos, nec quidquam his omnino anteponendum, niſi Deum ſolum. Nam & hoc eſt præcipue amare, illum filiis anteponere, quem non expediat omnino poſtponere. Quid eſt ergo aut quo modo amandos dicimus filios? quo abſque dubio niſi quo Deus ipſe conſtituit? neque enim ullus melior filiorum amor quam quem ille docuit, qui ipſos filios dedit. *Idem ibidem.*

Videtis quas parari opera parentibus filiis Deus jubeat, non pecuniarios theſauros, nec graves metallo aureo ſaccos habentes quidem multum ponderis, ſed plus tamen iniquitatis: non ſuperbas & præeminentes excelſis arcibus domos, non ſupra humanos viſus elata culmina, nec inſerta nubibus aëreo habitatore faſtigia, non denique fundos interminabiles, & notitiam poſſeſſoris ſui excedentes, qui conſortes pati indignum æſtimet, & vicinitatem injuriam putet. Non ergo hæc Deus præcipit, nec in ſervilia terrenæ procurationis officia curam paternæ pietatis extendit. Pauca ſunt quæ mandat, ſed ſalutaria: expedita, ſed ſancta: præcepto parva, ſed fructu grandia: ſcripto brevia, ſed beatitudine ſempiterna. *Parentes* enim, inquit, *nolite ad indignationem provocare filios veſtros, ſed educate illos in diſciplina & correptione Domini*, *ut ponant ſcilicet*, ſicut Propheta dixit, *ut ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliviſcantur operum Dei ſui*, *& mandata ejus exquirant.* En quales divitias Deus dili-

diligit! en quas pignoribus recondi exigit opes! en quas parari imperat facultates, fidem ſcilicet, ac timorem Dei, modeſtiam, ſanctimoniam, diſciplinam non terrena, non vitia, non pereuntia, non caduca. Præclare utique. Cum enim Deus vivorum ſit, non mortuorum, recte illa parari filiis juſſit, per quæ in æternum viverent, non per quæ in æternitate morerentur. *Idem ibid.*

Quid ergo æſtuas paterna pietas? Quid ad conquirenda terrena, & peritura diſtenderis? nihil majus præſtare filiis potes, quam ſi hoc bonum per te habeant, quod nunquam penitus amittant. *Idem ibidem.*

Oportet vos, mihi credite, etiam inter filios veſtros ſalutis, animarumque veſtrarum non oblivisci. Propinqua enim veſtra pignora eſſe vobis, & conjunctiſſima ſatis certum eſt; ſed, mihi credite, nemo vobis propinquior, nemo conjunctior, quam vos ipſi. Amate itaque, non obſiſtimus, amate filios veſtros, ſed tamen ſecundo a vobis gradu. Ita illos diligite, ne vos odiſſe videamini. Inconſultus namque & ſtultus amor eſt alterius memor, & ſui immemor. *Idem ibidem.*

CAPUT II.

Fontes.

S. Basilius M. *homiliis* 8. *&* 9. *in Hexaëmeron.*
Homilia 6. *in divites.*
Homilia 21. *quod rebus mundanis adhærendum non ſit.*
Procemio Ethicorum de Judicio Dei.
Homilia ſuppoſita in aliquot ſcripturæ locos, dicta in Lacizis.
Oratione collectanea 24. ubi de officiis parentum æque ac liberorum.

S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione* 20. laudata, de parentibus Baſilii. Item *Oratione* 19. de parentibus ſuis. *Carminibus etiam* 49. *ad Nicobulum patrem:* 50. *ad Nicobulum filium:* 51. *ad Vitalianum.*

S. AMBROSIUS *Libro V. Hexaemeron capitibus* 17. & 18. *Libro item VI. ejusdem operis capite* 4. de parentum officiis naturalibus. *Libro quoque II. de Jacob, & vita beata capite* 2. de affectu ſingulari erga aliquem ex liberis.

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS *Libris* 2. & 3. *contra oppugnatores vitæ monaſticæ.*

Homilia 59. *in Geneſin, in fine, obiter & generatim.*

Homilia 2. *in Pſalmum* 50. *obiter,* in matres non lactantes.

Homilia de beato Abraham, de amore parentum in liberos.

Homilia 1. *de Anna, in fine,* de cura ne pervertantur.

Homiliis de SS. Macchabæis, de amore liberorum naturali, & rationali.

Homilia 9. *de pœnitentia, nunc* 3. in avaros cauſa liberorum, *poſt medium.*

Homilia 60. *in Matthæum* multa huc ſuperſunt.

Homilia 2. *in Joannem* contra eos, qui filios ducunt ad ſpectacula, non ad conciones.

Homilia 7. *in ad Romanos* de hæreditate.

Homilia 21. *in ad Epheſios* de Inſtitutione.

Homiliis 5. & 10. *in I. ad Theſſalonicenſes,* ubi in priore urget maturas liberorum nuptias; in altera in avaritiam liberorum obtentu invehitur.

Adde *laudatam homiliam in illud:* Vidua eligatur *Tomo III. novo. Eclogam* 27. *Tomo XII. novo, & homiliam de inani gloria, & educandis a parentibus liberis,* quam apud Montfau-

fauconum fruſtra requiro. Germanam agnoſcit Tillemontius, neque diffitetur Labbeus. Legenda eſt autem apud P. Franciſcum Combefis, qui cum aliis quibusdam opuſculis 1656. *Pariſiis* primus eam publicavit.

S. Hieronymus *Epiſtolis pluribus, uti ad Lætam* 7. *nunc* 107. *ad Salvinam* 9. *nunc* 79. *ad Gaudentium* 12. *nunc* 128 *obiter item in caput* 6. *ad Epheſios.*

S. Augustinus in *Pſalmum* 50. *loc. cit. Sermone* 13. *alias* 94. *de tempore. Libro de decem chordis* docet amorem liberorum etiam in alteram vitam erga jam defunctos extendendum. Maxime vero in *Libris Confeſſionum*, ubi multa de educatione ſua.

S. Isidorus Pelusiota *Libro I. epiſt.* 316.

S. Chrysologus *Sermone* 55.

S. Cyrillus Alexandrinus *Libro VII. de Adoratione in ſpiritu & veritate.*

Eusebius Gallicanus *Sermone* 4. *de Epiphania*, ubi de matribus præſertim, ut cum lacte inſtillent pietatem.

Salvianus *Libro* 4. *de Gubernatione* pulchre ab amore naturali parentum aſſurgit ad amorem Dei, ut cujus omnes liberi ſimus. Idem *Epiſtola* 4. *ad Hypatium, & Quietam.* Ac *Libro* 3. *ad Eccleſiam Catholicam* filios religioſos magis amandos a parentibus, quam reliquos. Sed & alia in eo opere, quæ præclare huc faciant.

S. Ennodius *Declamatione* 15. in novercam, & *Declamatione* 21. in patrem, qui cum filium captum non redemiſſet, ab eo ali petebat.

S. Gregorius M. *Libro III. Expoſitionis in Librum I. Regum cap.* 2.

S. Bernardus *Epiſtolis pluribus* in parentes, qui liberos a Vocatione abſtrahebant.

Maphæus Vegius *de Liberorum educatione & claris moribus, in Bibliothecis Patrum.*

Accedunt Tituli: *Magiſtratus* & Capita Familiarum. *Electio* ſtatus. *Avaritia*. *Eleemoſyna* &c.

TITULUS XXXV.

De *Peccato* Originali.

CAPUT I.

Loci.

Niſi homo deliquiſſet, optimum ſolummodo Deum noſſet ex naturæ proprietate; at nunc etiam juſtum patitur ex cauſæ ſuæ neceſſitate. Tamen & hoc ipſo optimum, dum & juſtum. Et bono enim juvando & malo puniendo juſtitiam exhibens utramque ſententiam bono præſtat, hinc vindicans illud, inde remunerans illud. Tertullianus *Libro de Reſurrectione carnis cap.* 14.

Omnes homines ſub peccato naſcimur; quorum ortus in vitio eſt; quia concupiſcentiæ voluptate concreti prius ſubimus contagia delictorum, quam vitalem de hoc aëre ſpiritum ducamus. S. Ambrosius *Libro I. de Pœnitentia cap.* 2. *Reſpicit autem aërem contagioſum & lethalem, eumque vitali noſtro & ſalubri opponit.*

Idem ad illud Pſalmi 48. Iniquitas calcanei mei circumdabit me. Alia, *inquit*, eſt iniquitas noſtra, alia calcanei noſtri, in quo Adam dente ſerpentis eſt vulneratus, & obnoxiam hæreditatem ſucceſſionis humanæ ſuo vulneri dereliquit; ut omnes illo vulnere claudicemus. *Enarratione in eundem Pſalmum.*

Felix ruina, quæ reparatur in melius. *Idem in Pſalmum* 39. *poſt medium.*

Deus creavit hominem rectum, naturarum auctor, non utique vitiorum. Sed ſponte depravatus, juſteque damnatus depravatos, damnatosque gene-

generavit. S. AUGUSTINUS *Libro XIII. de Civitate cap.* 14.

Quando dicunt, & parvulos turbant: Si de peccatore peccatores nati ſunt, quare non de baptizato jam fideli, cui remiſſa ſunt univerſa peccata, juſti naſcuntur? Cito reſpondete: Ideo de baptizato non juſtus naſcitur, quia non eum generat, unde regeneratus eſt, ſed unde generatus eſt. *Idem Sermone novo* 294. *alias* 14. *de verbis Apoſtoli.*

In illius peccati pœna quid inobedientiæ niſi inobedientia retributa eſt? Nam quæ hominis eſt alia miſeria, niſi adverſus eum ipſum inobedientia ejus ipſius? ut quoniam noluit quod potuit, quod non poteſt velit. *Idem Libro XIV. de Civitate cap.* 15.

Idem in Pelagianos, qui identidem oggerebant: Non peccat iſte, qui naſcitur; non peccat ille, qui genuit; non peccat iſte, qui condidit. Per quas rimas inter tot præſidia innocentiæ peccatum ingreſſum eſt? *Hunc in modum conclamat:* Quid quærit latentem rimam, cum habeat apertiſſimam januam? Per unum hominem, ait Apoſtolus, per unius delictum, ait Apoſtolus, per inobedientiam unius hominis, ait Apoſtolus. Quid quærit amplius? quid quærit apertius? quid quærit inculcatius? *Libro de Nuptiis, & Concupiſcentia cap.* 28.

Qua juſtitia, ſi hæredes parentum peccati non ſumus, patimur? Si vobis ſolis æquitas ſuppeditat naturalis, qua juſtiora ſint judicia veſtra quam Dei, inter nos & Deum reſidentes in ſuperbiæ ſolio judicate! *Idem, vel potius Auctor* HYPOGNOSTICI *Libro* 2.

Infelix ego, qui in me venenatum inimicæ arboris guſtum nec crucis ligno diggeſſi! Durat enim mihi illud per Adam virus paternum, quo univerſitatem generis ſui pater prævaricatus infecit. S. PAULINUS *Epiſtola* 8. *nunc* 30. *ad Severum.*

Cum eveniſſet, ut ipſum generis noſtri initium morti, quæ ex peccato extiterat, ſubjectum eſſet, neceſſario in nos ipſos quoque hoc malum pertranſivit, & una cum radice germina quoque ex illa prodeuntia depaſtum eſt. S. CYRILLUS ALEXANDRINUS *L.* 2. *de adoratione in ſpiritu & veritate, ad finem.*

Quos oculos non redigat in fontes, & fluenta lacrimarum, quando unius lapſus extitit ruina cunctorum, & unius culpa omnium defluxit ad pœnam, ac parentis vitium univerſo generi exitium ferale præparavit? S. CHRYSOLOGUS *Sermone* III.

O ſi tunc vel levis turbo arborem mortiferam dejeciſſet! . . . O ſi manus tangens inconceſſa tremuiſſet! o ſi peccati diem tenebraſſet nox immiſſa, & lamenta mundi, & incrementa mortis & creatoris injuriam ſuſtuliſſet! *Idem Sermone* 74.

Idem Serm. 148. *de muliere loquens:* Hinc peccatum primum, hinc origo mortis, hinc labor, hinc dolor, hinc gemitus, hinc amara noſtræ conditio ſervitutis. Namque homo ante Dominus omnium in omnium dejectus eſt ſervitutem, & timet omnes qui timetur ab omnibus, & vix arte valet, qui poteſtate regnabat.

Omnes homines in primo homine ſine vitio conditi ſumus, & omnes naturæ noſtræ incolumitatem ejusdem hominis prævaricatione perdidimus. Inde tracta mortalitas, inde multiplex corporis, animique corruptio, inde ignorantia, & difficultas, curæ inutiles, illicitæ cupiditates, ſacrilegi errores, timor vanus, amor noxius, injuſta gaudia, pœnitenda conſilia & non minor miſeriarum multitudo, quam criminum. His ergo atque aliis malis in naturam humanam irruentibus fide perdita, ſpe relicta, intelligentia obcœcata, voluntate captiva nemo in ſe unde repararetur, invenit. S. PROSPER, *aut quisquis ſcripſit de vocatione Gentium Libro I. cap.* 7.

Libe-

Liberum arbitrium, id eſt rei ſibi placitæ ſpontaneus appetitus, ubi uſum bonorum, quæ acceperat, faſtidivit, & vileſcentibus ſibi felicitatis ſuæ præſidiis inſanam cupiditatem ad experientiam prævaricationis intendit, bibit omnium vitiorum venenum, & totam naturam hominis intemperantiæ ſuæ ebrietate madefecit. *Verus Proſper Libro contra Collatorem cap.* 19.

Quid peccato læſum eſt, ſi id læſum non eſt, unde peccatum eſt *? Niſi forte dicatur in Adæ poſteros pœnam tranſiſſe, non culpam. Quod omni modo falſo dicitur, & ob hoc forte non dicitur. Nimis enim impium eſt hoc de Dei ſentire juſtitia, quod a prævaricatione liberos cum reis voluerit eſſe damnatos. Patet ergo culpa, ubi non latet pœna: & ſocietas peccati convincitur de communione ſupplicii, ut quod eſt humanæ miſeriæ non de inſtitutione Creatoris, ſed de retributione ſit Judicii. *Idem eodem Libro, ac capite.*

Quid aliud potuit, aut poteſt naſci ex ſervo niſi ſervus? neque enim cum eſſet liber Adam filios procreavit, ſed poſtquam ſervus peccati factus eſt. Ideo ſicut omnis ab illo eſt, ita & omnis homo ſervus peccati per ipſum eſt. PETRUS DIACONUS *Libro de Incarnatione & gratia Chriſti (inter opera S. Fulgentii) cap.* 6.

Miſera mutatio! de quanto bono in quantum malum! S. ANSELMUS *in Proſologio cap.* 1.

O nunquam punita ſatis transgreſſio! prolatam in reos parentes ſententiam nullus evaſit ſucceſſorum. Hujus inducias nemo vel annis vel ſexu promeruit. In ea concipimur, puniendi etiam in ſepulchro. HILDEBERTUS CENOMANENSIS *Epiſtola* 56. *nunc* 12.

Attende miſerias hominis! intuere cineres! veſtigalia peccati ſunt. *Idem ibidem.*

* **Liberum nempe arbitrium.**

Et originale quidem maximum illud delictum vocatur, quod a primo Adam contrahimus, in quo peccavimus omnes, pro quo morimur univerſi. Maximum plane quod ſic totum non modo genus humanum, ſed & quælibet ipſius generis occupat, ut non ſit qui evadat, non ſit usque ad unum. A primo homine usque ad noviſſimum protenditur, & in ſingulis quoque a planta pedis usque ad verticem diffunditur hoc venenum. Sed & aliter nihilominus in univerſam dilatatur ætatem; ab ea ſcilicet die, qua ſua quemque concipit usque ad eam, qua communis eum recipit mater. S. Bernardus *Sermone in feria 4. hebdomadæ ſanctæ.*

Grave quidem omnino delictum illud originale, quod non ſolum perſonam infecit, ſed & naturam. *Idem ibidem, inferius.*

CAPUT II.

Fontes.

Præter eos, qui in Librum Geneſis ſunt commentati, videndus

Tertullianus *Libro II. contra Marcionem, pluries.*

S. Gregorius Nyssenus *homilia* 6. *in Eccleſiaſten, numero* 4. præclare oſtendit, quantum boni perdideimus peccato originis. Idem facit *Oratione* 3. *de Beatitudinibus.*

S. Chrysostomus *homiliis* 10. 11. 12. 13. *in ad Romanos.*

S. Hieronymus *locis compluribus, collectis a Cornelio Schultingo in Confeſſione Hieronymiana,* quos ego, ne alienos in labores intrem, delibandos hic minime putavi. Habentur *Tomo II. capitibus* 1. & 6. *item Tomo III. cap.* 3.

S. Augustinus *Tractatu de gratia Chriſti, & peccato originali contra Pelagium.*

Libris

Libris contra Julianum, & opere imperfecto contra eundem.

Libro 3. de Libero arbitrio.

Libris XIII. & XIV. de Civitate, fuſe. Adde *Libros XIX. capitibus pluribus, & XXII. capitibus* 22. *&* 23. ubi de pœnis hujus peccati S. Doctor agit.

Libris tribus de peccatorum meritis, & remiſſione.

Libris duobus de nuptiis, & concupiſcentia.

Epiſtolis 29. *nunc* 167. *ad Hieronymum.*

In Enchiridio a capite 25.

Accedit *auctor Libri de ſpiritu & anima, apud eundem Auguſtinum.*

Plures etiam locos ex Auguſtino huc enotavit Hieronymus Torrenſis *Confeſſionis Auguſtinianæ Libro II.*

S. Cyrillus Alexandrinus *Libro I. de adoratione in ſpiritu, & veritate.*

S. Chrysologus *Sermone* 111. *ſupra laudato.*

S. Prosper paſſim in iis, quæ contra Pelagianos & Semipelagianos ſcribit. Cui junge *Auctorem Librorum de vocatione gentium*, qui primo præcipue huc facit.

S. Maximus Taurinensis *homilia* 3. *de reſurrectione* conclamat inſigniter adverſum Judæos, culpam ſuam vel in filios quoque protendentes; id quod primis parentibus accommodatur eleganter.

S. Fulgentius in variis, quæ ſcripſit *pro gratia.*

S. Gregorius M. *Libro IV. in Librum* 1. *Regum, cap.* 1. *ad illud:* Juxta omnia opera ſua; *idque egregie.*

Odo Cameracensis *Libris tribus de peccato originali.*

S. Anselmus *Libro de conceptu virginali, & peccato originali.*

Hil-

HILDEBERTUS CENOMANENSIS *Sermonibus* 24. 100. & 111.

HUGO VICTORINUS *Libro I. de Sacramentis P.* 6. 7. & 8. de Creatione, Lapſu, & reparatione hominis.

Statum hominis ante peccatum deſcribunt omnes, quotquot in *opus ſex dierum* ſunt commentati. Item *S. Auguſtinus, aut quisquis eſt auctor Fragmenti de creatione primi hominis: Nemeſius Libro de natura hominis: Theodoretus Libro* 5. *adverſus gentiles, de natura hominis: S. Joannes Damaſcenus Titulo VIII. litera α. olim. Libro I. Parallelorum cap.* 8. *& Libro II. de fide orthodoxa cap.* 12. *Theodorus Abucara Dialogo de corpore impaſſibili Adami innocentis: Hugo Victorinus, paulo ante allegatus.*

Addantur & Tituli: *De Conceptione B. V. Mariæ: Tentationes: Paſſiones: Caro: Gratia* &c. Et quidquid fere contra hæreſin Pelagianorum & Semipelagianorum eſt perſcriptum.

TITULUS XXXVI.

De *Peccato* Actuali, Gravi, & Veniali.

CAPUT I.

Loci.

DE PECCATO GRAVI.

Pro ſcelus! Semel Judæi Chriſto manus intulerunt; iſti quotidie corpus ejus laceſſunt. TERTULLIANUS *Libro de pœnitentia cap.* 5.

Cujus porro amor erga homines exprimi non poteſt, is quanto odio ſcelera proſequatur mente concipi nequit. CLEMENS ALEXANDRINUS *in Cohortatione ad Gentes, verſus finem.*

Ne ſolum putemus verbum nos exaſperare Domini ſi peccemus; delictum noſtrum usque ad ipſius

ſius Dei injuriam pervenit. ORIGENES *homilia* 12. *in Ezechielem.*

Pro te Dei filius jugulatus eſt, & iterum peccare te delectat! *Idem homila* 2. *in Leviticum.*

Grandis pudor! ubi talis reconciliatio facta eſt, ubi inimicitias inter Deum & homines non ſermo peccatoris, ſed ſanguis interceſſoris abſolvit, iterum nos converti ad inimicitias, & agere ea, quæ odit ille, quem nobis niſi effuſio ſanguinis ſacri reconciliaverit nemo. *Idem Libro IV. in caput* 5. *Epiſtolæ ad Romanos.*

Mortem peperit peccatum, primogenitus ille Dæmonis partus. S. BASILIUS M. *homilia* 6. *Hexaemeron, initio.*

Peccatum mors eſt animæ immortalis. *Idem S. Pater homilia* 5. *in Martyrem Julittam, ad finem.*

Scitis ex perſonarum conditione peccata diſcerni, & æſtimari. Verbi gratia qui privatum contumelia affecit, peccavit; ſed non perinde atque is qui principem offendit, & major offenſa eſt cum major eſt princeps quam cum minor. Qui vero Regem offendit longe magis peccat. Contumelia vero per ſe eadem eſt; ſed ex offenſæ perſonæ conditione major efficitur. Si autem is qui regem contumelia affecit ob perſonæ dignitatem intolerabili traditur ſupplicio: qui Deum contumelia affecit, quot talentorum debitor erit? Itaque etiamſi eadem contra Deum peccata admittamus, quæ contra homines, nulla certe paritas eſt; ſed quantum intervallum eſt Deum inter & hominem, tantum inter hæc & illa peccata. Nunc autem multa deprehendo peccata non modo quæ ex dignitate perſonæ majora efficiantur, ſed etiam ex ipſa rei natura. Et horrendum quidem tremendumque eſt id, quod jam dicturus ſum; ſed neceſſario dicendum, ut ſic mentem noſtram concutiat & exagitet, oſtendens nos multo magis homines quam

Deum

Deum timere: & multo magis homines quam Deum honorare. Perpende namque, qui adulterium admittit Deum ſe videre novit, illumque deſpicit; ſi autem homo ſe viderit concupiſcentiam retinet; ille vero non modo hominem Deo præfert, non modo Deum contumelia afficit; ſed, quod longe gravius eſt, homines timet, Deum contemnit. S. CHRYSOSTOMUS *initio moralis homiliæ* 1. *in ad Philemonem.*

Si univerſus orbis terræ, & lapides, & ligna, & arbores, & feræ, & aves, &, ut ſemel dicam, totus orbis terræ voce accepta nos defleat, qui a bonis illis excidimus: nihil ut par eſt deflebit vel lamentabitur. *Idem homilia* 23. *in ad Hebræos.*

Rurſum homilia 37. *in Matthæum, cum pœnis hujus & illius vitæ terruiſſet, ſic denique concludit Orationem, propoſitorum memorem eſſe jubens peccatorem:* Ne Chriſtum offendamus, quod omnium eſt graviſſimum, & terribiliſſimum. Nam ſi multis gehenna videtur terribilis eſſe, non finem faciam clamandi hoc eſſe gehenna gravius, ac terribilius. Et vos ita affectos eſſe * rogo. Sic enim & a gehenna liberabimur, & Chriſti gloria fruemur; quam nos omnes aſſequi contingat!

Malorum omnium noſtrorum cauſa peccatum eſt. S. AUGUSTINUS *Sermone* 240. *alias de tempore* 139.

Si peccatum non times, time quo perducit peccatum. Dulce eſt peccatum? ſed amara eſt mors. Ipſa eſt infelicitas hominum: propter quod peccant morientes hic dimittunt, & ipſa peccata ſecum portant. Peccas propter pecuniam? hic dimittenda eſt. Peccas propter villam? hic dimittenda eſt. Peccas propter mulierem? hic dimittenda eſt. Et quidquid eſt propter quod peccas, quando oculos in morte clauſeris, hic dimittis, & ipſum peccatum

* Græciſmus, pro: *ut ita affecti ſitis.*

tum quod committis tecum portas. *Idem homilia* 42 *ex* 50.

O miſera ſors hominis cum hoc perdidit, ad quod factum eſt! o dirus ac durus caſus ille! Heu quid perdit, & quid invenit! quid abſceſſit, & quid remanſit! *Idem* creditus *in Manuali capite* 31.

O peccata, quam faciles aditus, quam difficiles exitus habetis! *Idem in Meditationibus, ni fallor.*

Cur me graviori criminum tuorum cruce quam illa, in qua quondam pependi afflixiſti? gravior apud me peccatorum tuorum crux eſt, in qua invitus pendeo, quam illa, in quam tui miſeratus aſcendi. *Idem Sermone* 67. *de Tempore, nunc* 249. *Appendicis.*

Deum ſumme honorandum offendiſſe omni ſupplicio, damnoque gravius eſt exiſtimandum. Non equidem tantum fore ex ſuppliciis dolorem exiſtimo, quantus erit pudor ex peccato contra glorificantem commiſſo proveniens. Sed & arma ipſa, quibus fuere honorati contra ipſum moventes, & honore contra honorantem utentes deprehendi. Omnem id ſuperat furorem. Illud quidem incomparabilem amentiam, hoc vero incurabilem etiam continet furorem. S. Isidorus Pelusiota *Libro V. epiſtola* 472.

Serpens ille, etſi revocavit morſum, reliquit venenum. Fecit quisque peccatum, ut aliquam corporalem caperet voluptatem. Remanet quod damnat, præterit quod delectat. Conſummata iniquitas permanet, voluptas fugitiva pertranſit. Eusebius Gallicanus *homilia* 3. *de Paſchate.*

Si volumus intelligere, quam graves apud ſe faciat judex noſter hominum culpas, reſpiciamus ad pœnas. *Idem homilia* 5. *ad Monachos.*

Salvianus *cum quæſiſſet, quid tandem Deo pro tam immenſa charitate rependamus, ita reſpondet:* Quidquid indecens, quidquid indignum, quidquid ad

ad injuriam Dei pertinens: actus improbos, mores flagitioſos, ebrias comeſſationes, cruentas manus, fœditates libidinis, rabidas cupiditates, & quidquid illud eſt, quod plus poteſt conſcientia habere, quam ſermo. *Quæ enim,* inquit Apoſtolus, *in occulto fiunt ab eis, turpe eſt etiam dicere.* Nec ſolum hoc (nam hoc vetus eſt, & tam præſentium temporum quam præteritorum) illud gravius & lugubrius quod peccatis veteribus nova addimus; nec ſolum nova, ſed quædam paganica, ac prodigioſa, & in eccleſiis Dei ante non viſa. *Libro* 4. *de Gubernatione Dei, in medio.*

Gravis animæ caſus, qui non niſi Chriſti cruce potuit reparari. S. Bernardus *Epiſtola* 54.

Ex conſideratione remedii periculi mei æſtimo quantitatem. *Idem Sermone* 3. *in Natali Domini.*

Agnoſce o homo quam gravia ſunt vulnera, pro quibus neceſſe eſt Dominum Chriſtum vulnerari! Si non eſſent hæc ad mortem, & mortem ſempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei filius moreretur. *Idem ibidem.*

Sicut gravem agnoſco morbum, cui tanta apponitur medicina, ſic & ex hoc ipſo non incurabilem eſſe conjecto. *Idem ibidem.*

Et tam tremendam majeſtatem audet irritare vilis pulviſculus, uno levi flatu mox diſpergendus, & minime recolligendus? *Idem Sermone* 16. *in Cantica.*

Quid magis impium, quid magis poteſt eſſe injurioſum, quam contra tantæ pietatis dominum & eum qui vivit in æternum illud improbe committere, quod quantum in te eſt, non poſſis in æternum corrigere! Richardur a S. Victore *de poteſtate ligandi, atque ſolvendi cap.* 4.

DE PECCATO VENIALI.

Dominus prudentes eſſe nos juſſit, & cauta ſolicitudine vigilare præcepit, ne adverſarius vigilans

ſem-

ſemper & ſemper inſidians ubi in pectus obrepſerit de ſcintillis conflet incendia, de parvis maxima exaggeret, & dum remiſſis & incautis leniore aura & flatu molliore blanditur, procellis ac turbinibus excitatis minas fidei & ſalutis ac vitæ naufragia moliatur. S. CYPRIANUS *Libro de Zelo & livore, initio.*

Nec coluber foveri debet, donec in ſerpentem formetur *Idem putatus Sermone de jejunio Chriſti.*

Obſecro a principio caveamus & puſilla fugiamus mala, magna quippe ex his generantur. Nam is qui ad ſingula peccata hoc dicere edoctus eſt: nihil hinc eveniet, paulatim omnia perdet. Hoc nequitiam introduxit, hoc portas latroni aperuit, hoc urbis mœnia dejecit, cum ad ſingula dicitur: nihil hinc eveniet. Sic & in corporibus magnæ ægritudines augentur, quando parvæ contemnuntur. S. CHRYSOSTOMUS *homilia 12. in ad Romanos.*

Si quid admirandum dicere oporteat, non tantam diligentiam requirunt majora illa peccata, quam minima. Illa namque ipſa peccati natura ut averſemur efficit; minora vero vel quod minora ſint in negligentiam conjiciunt, neque ſinunt fortiter ad ipſa tollenda ſurgere. Ideo nobis dormientibus cito magna fiunt. *Idem homilia 87. in Matthæum.*

Ita levia peccata plangebat, ut illam graviſſimorum criminum crederes ream. S. HIERONYMUS *Epiſtola 105. alias 27. ad Euſtochium.*

Non conſiderandum eſt, quid fecerit, ſed quem offenderit. S. AUGUSTINUS *Libro de pænitentia.*

Illud quod dicunt ſine ullo peccato aliquos homines jam ratione utentes in hoc ſæculo vixiſſe vel vivere, optandum eſt ut fiat, conandum eſt ut fiat, ſupplicandum eſt ut fiat: non tamen quaſi factum fuerit confitendum. *Idem Libro III. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 13.*

Cur attendis, quia minora ſunt, & non attendis, quia multa ſunt? *Idem Sermone* 161. *alias* 12. *de diverſis cap.* 11.

Nolite contemnere venialia, quia minima ſunt; ſed timete quia plura. Plerumque enim beſtiæ minutæ multæ necant. Numquid minutiſſima ſunt grana arenæ? ſed ſi arena amplius in navim mittatur, mergit illam, ut pereat. Quam minutæ guttæ pluviæ? nonne flumina complent, & domos ejiciunt? Timenda eſt ergo ruina multitudinis, etſi non magnitudinis. *Idem Libro de decem chordis cap. ſimilia & alibi ſæpe habet.*

Stoicorum quidem eſt peccatorum tollere differentiam & delicta omnia paria judicare, nec ullum inter ſcelus & erratum diſcrimen facere: nos vero etſi multum inter peccata diſtare credimus, quia & legimus; tamen ſatis prodeſſe ad cautionem dicimus etiam minima pro maximis cavere. Tanto enim facilius abſtinemus a quocunque delicto, quanto illud magis metuimus: nec cito ad majora progreditur, qui etiam parva formidat. Et ſane neſcio an poſſimus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur: eſtque ille prudentiſſimus qui non tam conſiderat quod juſſum ſit, quam illum, qui juſſerit: nec quantitatem imperii, ſed imperantis cogitat dignitatem. S. PAULINUS, *aut quisquis ſcripſit ad Celantiam, num* 6.

Ecce quam magna perdidit, qui ut putabat nulla contempſit! S. GREGORIUS M. *loquens de Saule, Libro V. Expoſitionis in Librum* 1. *Regum cap.* 13.

Facta ſua ſi deſpiciunt timere dum penſant, debent formidare cum numerant. *Idem Paſtoralis curæ Parte III. admonitione* 34.

Sic de minoribus iſtis peccatis pia diſpenſatione nobiſcum agitur, ut non penitus auferantur, ſed in illis nos erudiat Deus, ut cum minima cavere non poſſumus, certi ſimus, quod non noſtris viri-

viribus majora ſuperemus. S. BERNARDUS *Sermone* 1. *in Cœna Domini.*

A minimis incipiunt, qui in maxima proruunt. *Idem creditus, de ordine vitæ, & morum Inſtitutione.*

CAPUT II.

Fontes.

DE PECCATO GRAVI.

CYPRIANUS *creditus, ſermone de Paſſione Chriſti*, qui fuſo & præclaro loco optime ex Chriſti paſſione peccati gravitatem deducit.

S. PACIANUS *Paræneſi ad pœnitentiam, poſt initium*, pulchre diſtinguit inter ipſa peccata gravia.

S. AMBROSIUS *Libro de lapſu Virginis conſecratæ*, a quibus bonis quis excidat per peccatum. Et *Libro III. de officiis cap.* 5. a ſapiente nec cauſa vitæ peccandum.

S. CHRYSOSTOMUS *Epiſtola* 1. *ad Olympiadem, poſt initium*, locum inſignem miniſtrat.

Homilia 27. *in Matthæum*, quam juſte Deus puniat peccatum.

Homilia 9. *in I. ad Corinthios*, ubi varia huc faciunt.

Homilia 11. *in II. ad Corinthios*, de peccato & redemptione ab illo.

Homilia 28. *in II. ad Corinthios*, de pudore, immunditia, metu, quæ peccatum affert.

Homilia 1. *in ad Philemonem*, ubi exaggerat contemptum Dei.

S. HIERONYMUS *Libro I. in caput* 1. & 2. *Lamentationum Jeremiæ*, de ſtatu hominis in peccato varia ad hoc noſtrum propoſitum.

S. AUGUSTINUS *Libris tribus de peccatorum meritis & remiſſione. Quæſtione* 26. *ex* 83. de differentia peccatorum. *Sermone* 29. *de Tempore, nunc*

136. *in Appendice*, ubi deterret præclare a gravi peccato.

Eusebius Gallicanus *hamilia* 3. *de Paſcha*, ubi agit de horrore tanti mali.

S. Cassianus *Collatione IV.* de peccato generatim.

Salvianus *Libro 6. de gubernatione Dei*, ubi totus eſt in oſtendenda gravitate offenſæ ex dignitate offenſi.

S. Anselmus non potuiſſet magis exprimere ſuum gravis culpæ horrorem, quam facit. *Libro de ſimilitudinibus, cap.* 190. Sed hic liber non videtur ipſius eſſe.

Hugo a S. Victore *in ſumma ſententiarum, Tractatu* 3. *a cap.* 13. *Item in Threnos Jeremiæ: Et Libro II. allegoriarum in Matthæum, capitibus pluribus.*

S. Bernardus *Sermone* 81. *in Cantica*, de morte, & ſervitute peccati.

Richardus a S. Victore *Tractatu de differentia peccati mortalis & venialis.*

S. Thomas a Villanova *Tractatu de Adventu Domini*, mirifice extollit gravitatem peccati.

Plura dant Tituli: *Gratia. Salus. Pœnitentia. Paſſio Domini.* Et quæ paſſim Patres ſive græci, ſive latinis ſcripſerunt in Manichæos.

DE PECCATO VENIALI.

S. Basilius M. *Regula* 293. *breviore.*

S. Chrysostomus *homilia* 87. *in Matthæum, fuſe & egregie.*

Homilia 12. *in ad Romanos, fuſe iterum.*

Homilia 8. *in II. ad Corinthios, poſt medium.*

Commentario in caput I. ad Galatas, ad verba: Et volunt ſubvertere Evangelium Chriſti.

Homilia 14. *in ad Epheſios.*

Homilia 3. *in II. ad Timotheum*, parva nobis multa videri, quæ non ſint parva &c. &c.

S. Hier-

S. Hieronymus *creditus*, *Epiſtola qua inſtituit amicum in ſcientia divinæ legis.*

S. Augustinus *Epiſtola* 180. *ad Seleucianam, hodie* 265.

Quæſtione 26. *ſupra laudata.*

Libro de doctrina chriſtiana cap. 18. apud chriſtianos etiam parva eſſe magna, ut quæ ad maxima referantur.

Libro de natura & gratia cap. 36. neminem etiam ſanctum carere peccatis leviuſculis.

Enarratione in Pſalmum 129. de multitudine venialium.

Tractatu 12. *in Evangelium S. Joannis, numero* 13.

Sixtus III. *creditus, Libro de malis Doctoribus, ante medium.*

S. Isidorus Pelusiota *Libro V. epiſt.* 17. *ad Cyrum Scholaſticum.*

Salvianus *Libro* 6. *de gubernatione Dei*, *fuſe*, ne quid leve ducamus, quo Deus offenditur. *Idem Libro* 4. *ad Eccleſiam Catholicam*, quam graviter Sancti vel in levia ſua peccata animadvertant.

S. Cæsarius *Sermone* 37. *olim apud Auguſtinum* 41. *de Sanctis, nunc* 104. *in Appendice.*

S. Gregorius M. *Paſtoralis curæ Parte III. admonitione* 34. Et *Libro V. Expoſitionis in Librum I. Regum cap.* 13.

Richardus a S. Victore *Tractatu de differentia peccati mortalis & venialis.*

Petrus Blesensis *Tractatu de confeſſione Sacramentali, in medio.*

TITULUS XXXVII.

De *Pœnitentia* generatim.

CAPUT I.

Loci.

Non comminaretur (Deus) non pœnitenti, ſi non ignoſceret pœnitenti. TERTULLIANUS *Libro de pœnitentia cap.* 8.

Exomologeſis cum provolvit hominem, magis relevat, cum ſquallidum facit, magis mundatum reddit, cum accuſat, excuſat, cum condemnat abſolvit. In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus crede parcet. *Idem ibid. cap.* 9.

Si de exomologeſi retractas, gehennam in corde conſidera, quam tibi exomologeſis extinguet, & pœnæ prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites. *Idem ibid. cap.* 12.

Quod ſi, ut ais, ad peccatum cogitur, cui pœnitentiæ medicina monſtratur: quid tandem ille facturus eſt, cui pœnitentia ipſa præcluditur? S. PACIANUS *Epiſtola* 3. *ad Sympronianum.*

Homo es, & vis rogari ut ignoſcas; & putas Deum tibi non roganti ignoſcere? S. AMBROSIUS *Libro II. de Pænitentia cap.* 6.

Ne in ipſa pœnitentia fiat, quod poſtea indigeat pœnitentia. *Idem ibidem cap.* 11.

Sunt etiam qui arbitrentur, hoc eſſe pœnitentiam, ſi abſtineant a Sacramentis cœleſtibus. Hi ſæviores in ſe judices ſunt, qui pœnam præſcribunt ſibi, declinant remedium. *Idem ibid. cap.* 19. *Hunc locum exſcripſimus in gratiam Janſenianorum.*

O veneranda pietas Dei! peccamus, & parcit, delinquimus & ignoſcit! offendimus, & adhuc placatus exiſtit! Unde qualis erga juſtos ſit monſtrat, dum talem ſe erga peccatores oſtendit. *Creditus*

CHRYSOSTOMUS *in ultimo ſermone ex additis de pœnitentia.*

Hoc profecit doctrina veſtra, ut peccatum ne pœnitentiam quidem habeat. S. HIERONYMUS *Libro II. adverſus Jovinianum,* in fine. *Etiam hic locus Tribunalibus Janſenizantium inſcribi poſſit trabalibus literis.*

Cavendum eſt vulnus, quod dolore curatur. *Idem loquens de Pœnitentia Epiſtola* 79. *alias* 9. *ad Salvinam, verſus finem.*

Ut inter omnes ſanos conſtat, & quod ipſi Manichæi non ſolum fatentur, ſed etiam præripiunt, divinarum Scripturarum teſtimonia quæ usquequaque diffuſa ſunt, colligam? Vox eſt etiam iſta naturæ. Neminem ullum * rei hujus notitia deſeruit. Hoc nobis niſi etiam penitus inſitum eſſet, periremus. Poteſt quidem aliquis dicere, non ſe peccare; non autem ſibi eſſe, ſi peccaverit, pœnitendum, nulla barbaries hoc dicere audebit. S. AUGUSTINUS *Libro de duabus animabus cap.* 14.

Sed fac incertum eſſe utrum ignoſcat Deus. Quid perdit cum ſupplicat Deo, qui ſalutem perdere non dubitavit, cum offenderet Deum? Quis enim certus eſt, quod etiam Imperator ignoſcat? Et tamen pecunia funditur, maria transmeantur, procellarum incerta ſubeuntur, & pæne, ut mors evitetur, mors ipſa ſuſcipitur. *Idem ſermone* 351. *alias homilia ultima ex* 50. *ad calcem.*

Sed augent homines peccata ſpe veniæ? imo augerent peccata deſperatione veniæ. *Idem Concione* 1. *in Pſalmum* 101. *poſt medium.*

S. CHRYSOLOGUS *ad illud Prodigi:* Surgam, & ibo ad patrem meum. Qua ſpe, *inquit?* illa, qua pater eſt. Ego perdidi, quod erat filii; ille, quod patris eſt, non amiſit. *Sermone* 2.

Y 4 Tam

* Pro eo, quod alii *ſtultum.*

Tam perverſa impii pœnitentia fuit, ut etiam pœnitendo peccaret. S. LEO *ſermone* 5. *de Paſſione.*

Parcite obſecro, fratres, parcite animabus veſtris! parcite ſanguini qui pro vobis effuſus eſt! horrendum cavete periculum, ignem qui paratus eſt, declinate. S. BERNARDUS *de Converſione ad Clericos cap.* 30.

CAPUT II.

Fontes.

TERTULLIANUS *Libro citato de Pœnitentia.*

ORIGENES *homilia* 2. *In Pſalmum* 37.

S. CYPRIANUS *Libro de Lapſis: Libro ad Novatianum, de ſpe veniæ lapſis non neganda: Epiſtolis item aliquot, uti* 52. *ad Antonianum, &* 55. *ad Cornelium.*

LACTANTIUS *Libro VI. divinarum Inſtitutionum, capitibus* 13. *&* 24. *atque Epitomes capite* 6.

S. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS *Catecheſi* 2.

S. EPHRÆM ſæpiſſime, præſertim prolixo illo Tractatu, qui inſcribitur *de Pœnitentia.*

S BASILIUS M. *homilia ſuppoſita de Pœnitentia,* atque etiam *Moralibus ſententiis,* potiſſimum vero *Epiſtola* 46. *olim* 5. *ad Virginem lapſam.*

S. PACIANUS *Epiſtolis tribus ad Sympronianum, & Parœneſi ad pœnitentiam.*

S. GREGORIUS NYSSENUS *Oratione ad eos, qui durius & acerbius alios judicant, atque condemnant, quique converſione indigent & pœnitentia. Iterum Oratione illa de Pœnitentia, quæ etiam Aſterio Amaſeno tribuitur.*

S. AMBROSIUS *Libris duobus de Pœnitentia: Libro de lapſu Virginis conſecratæ: & Apologiis duabus David &c.*

S. CHRYSOSTOMUS *homiliis pluribus de Pœnitentia. Parœneſi utraque ad Theodorum lapſum.*

Homilia

Homilia 20. in Geneſin.
Homiliis duabus in Pſalmum 50.
Homilia 27. in Matthæum.
Homilia 8. in I. ad Corinthios.

S. Hieronymus *Epiſtola 147. alias 48. ad Sabinianum, & Epiſtola 77. alias 30. ad Oceanum. Item in Commentario ad caput 2. Joëlis, & ad caput 3. Jonæ.*

S. Augustinus *Libro de vera & falſa pœnitentia: Libro de medicina, ſeu utilitate pœnitentiæ: & Libro de neceſſitate & utilitate pœnitentiæ,* qui etiam inter ſermones ſolent reponi.

S. Paulinus *Poemate 5. de S. Baptiſta, ad finem.*

S. Chrysologus *Sermonibus primis,* qui ſunt de filio prodigo, & *Sermone* 167.

S. Basilius Seleuciensis *Oratione 29.*

S. Fulgentius *Epiſtola ad Venantiam de recta pœnitentia, & futura tribulatione. Item Libris duobus ad Euthymium de remiſſione peccatorum.*

S. Cæsarius Arelatensis *Sermonibus compluribus, quos inter præcellit ille:* Quotiescunque &c.

S. Joannes Climacus *gradu 5.*

Victor Tunonensis *Libro de Pœnitentia, inter opera Ambroſii.*

S. Isidorus Hispalensis *Exhortatione pœnitendi: Item Lamento pœnitentiæ, & Oratione ad flenda ſemper peccata.*

S. Antiochus *homiliis 77. & 107.*

S. Joannes Damascenus *Parallelorum Titulo III. Litera μ alias Libro II. cap. 86.*

B. Rabanus Maurus *Libro III. ad Bonoſum Abbatem, qui eſt de modo pœnitentiæ.*

Hildebertus Cenomanensis *Sermonibus pluribus in Quadrageſima.*

Hugo a S. Victore plura de Pœnitentia habet *Tomo III.* ſuorum operum.

PETRUS BLESENSIS *Tractatu de Confeſſione Sacramentali.*

TITULUS XXXVIII.

De *Pœnitentiæ* Procraſtinatione.

CAPUT I.

Loci.

Quod ſi peccatum bonum eſt, & honeſtum, illud ad finem usque ſerva; ſin noxium eſt patranti quid in exitioſis immoraris? Nemo bilem evomere cum vult, mala intemperantique diæta eam ſibi multo abundantiorem cogerit. Par enim fuerit corpus a noxiis purgare, non morbum viribus majorem efficere. S. BASILIUS M. *homilia* 13. *exhortatoria ad ſanctum baptiſma.*

Propoſita ſpe pœnitentiæ licentiam ſibi delinquendi propagatam putant, cum pœnitentia remedium peccati ſit, non peccandi incentivum. Vulneri enim medicamentum neceſſarium eſt, non vulnus medicamento; quia propter vulnus medicamentum quæritur, non propter medicamentum vulnus deſideratur. S. AMBROSIUS *Libro II. de Pœnitentia, cap.* 9.

Quid enim eſt quod differas? an ut plura peccata committas? Ergo quia Deus bonus eſt, ideo tu malus? *Idem ibidem cap.* 11.

Quid in craſtinum differs? potes & hodiernum diem lucrari. Cavendum eſt enim ne & illum non teneas, & hunc amittas. *Idem Epiſtola* 63. *alias* 82. *&* 25. *ad Vercellenſem Eccleſiam.*

Aderit illud tempus, cum non jam ultra nobis ludus hic procedet. Prorſus etenim mors neceſſe eſt (eo quippe plerique ſtupore ſunt, ut de perſpicuis quoque rebus loqui neceſſe ſit) prorſus reſur-

gere

gere, prorſus judicium ſubire, ac pœna affici . . . Quo circa demus operam, ut nosmet ipſos recuperemus. Atque is quidem, qui ſenili ætate eſt, cogitet ſe propediem hinc exceſſurum eſſe, ac ſatis diu ætatem in voluptate duxiſſe; quamquam quæ hæc voluptas eſt in vitiis vitam exigere? Verum ad ipſius opinionem orationem interim accomodo. Illud etiam poſtea animadvertat, licere ipſi omnes maculas exiguo tempore abſtergere. Juvenis rurſum ſecum reputet quam incertus vitæ finis ſit, quodque ſæpe contigit, ut multis ſenibus diutius hic manentibus juvenes ante ipſos morte abrepti ſint. Ideo enim noſter e vita diſceſſus in incerto jacet, ne eum negotiemur. Unde etiam ſapiens quidam his verbis nos admonet: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; neſcis enim, quid paritura ſit ſuperventura dies.* Ex dilatione quippe periculum, ac metus naſcitur. Quod ſi quis moram omnem fugiat, perſpicua ei, & certa ſalus. Proinde virtutem complectere. Sic enim ſive juvenis hinc abſcedas; ſive ad ſenilem ætatem pervenias cum ampliſſimis opibus excedes, duplicemque lætitiam ac feſtivitatem per omnem vitam habebis; nimirum & a vitio abſtinens & virtutem amplexans. Cave dixeris: Erit tempus cum ad meliorem frugem revertendum erit; hæc enim verba Deum majorem in modum ad iracundiam concitant. Quid tandem eſt, quod cum ille infinita ſibi ſæcula pollicitus ſit, tu contra in præſenti hac vita, quæ brevis & fluxa eſt, nullum laborem ſuſcipere velis; verum ita diſſolutus, & ignavus ſis, ut etiam hac ipſa breviorem requiras? An non eædem comeſſationes quotidie? An non eadem ſcorta? An non eadem theatra? An non eædem pecuniæ? Quousque iſta tanquam vera, & ſolida amabis? Quousque inexplebili vitii cupiditate teneberis? Memento quod quoties ſcortatus es, toties te ipſum

ipſum condemnaſti. Hujusmodi quippe eſt peccatum. Protinus ut perpetratum eſt, ſententiam fert Judex. Mero te obruiſti? cibis te ingurgitaſti? rapuiſti? conſiſte jam, teque in contrariam viam refer: Deo gratias age quod te inter media peccata non abripuit, ne alterum quoque tibi tempus ad flagitioſe vivendum præfiniri poſtules. Multi dum avaritiæ ſtuderent hinc abrepti ſunt, atque ad perſpicuas certasque pœnas abſceſſerunt. Ne idem tibi inexcuſabili accidat time. At, inquis, multis Deus in extrema quoque ſenectute peccata ſua confitendi ſpatium conceſſit. Quid tum? an tibi quoque concedet? Fortaſſe, inquis. Quid ais, fortaſſe, & interdum, & ſæpe? in mentem tibi veniat, te de anima tua conſilium inire. Contrarium pone, tecumque ita reputa, ac dic: Quid autem ſi non conceſſerit? Tu contra: Quid ſi conceſſerit inquis? Conceſſit quidem ipſe; verumtamen hoc illo tutius eſt, & utilius. Etenim ſi jam probe vivere incipias, ſive certum vitæ ſpatium acceperis ſive non: omnia lucratus eris; ſi autem moras quotidie nectas, ideo perſæpe non accipies. Enimvero cum ad bellum proficiſceris non dicis: Non neceſſe eſt teſtamentum condere; fortaſſe revertar: nec cum de ineundo matrimonio conſultas, dicis: Uxorem egentem accipiam; multi enim præter opinionem ad opes ita pervenerunt: nec cum domum exſtruere paras; Infirma fundamenta jaciam; permultæ enim ædes ſic etiam conſtiterunt. At cum de anima conſilium inis, imbecillioribus niteris; nimirum illo *fortaſſe*, *ſæpe*, *interdum* ponens, incertisque eventibus teipſum committis. Non incertis, inquis, eventibus; ſed Dei benignitati. Benignus enim eſt Deus. Id ipſe quoque compertum habeo; ſed tamen benignus hic illos etiam, quos dixi, de medio ſuſtulit. Quid vero ſi accepto longiori vitæ ſpatio idem ipſe tuique ſimi-

lis

lis maneas? Nam, qui ejusmodi eſt, in ſenectute quoque ignavus erit. Non, inquies. Sed is qui hæc cogitat etiam poſt octoginta annos nonaginta requirit, & poſt nonaginta centum, & exactis centum annis ſegnior adhuc erit. Atque ita tota vita incaſſum abſumetur, tibique etiam id accidet, quod de Judæis dictum eſt: *Defecerunt in vanitate dies eorum.* Atque utinam in vanitate duntaxat, & ac non etiam in perniciem. Cum enim illuc abierimus, gravem peccatorum ſarcinam geſtantes (hoc quippe eſt in perniciem) alimentum igni, ingentemque vermi menſam deferemus. Quam ob rem rogo, atque obſecro, ut tandem aliquando fortiter ſtemus, nosque a vitio removeamus! S. CHRYSOSTOMUS *homilia* 22. *in II. ad Corinthios.*

Si tunc vis agere pœnitentiam ipſam, quando jam peccare non potes: peccata te dimiſerunt, non tu illa. S. AUGUSTINUS *Sermone* 393. *alias homiliia* 41. *ex* 50.

Craſtino iniquitatum tuarum erit finis? Quid ſi ante craſtinum tuus erit finis? *Idem ſermone* 87. *alias* 59. *de verbis Domini.*

Idem in illud Pſalmiſtæ: Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine, *hunc in modum commentatur:* Non dicamus: ſemper parcit Deus. Ecce feci heri, & pepercit Deus. Facio & hodie, & parcit Deus. Faciam & cras quia parcit Deus. Attendis ad miſericordiam, & non times judicium? Si vis cantare miſericordiam, & judicium intellige; quia ideo parcit ut te corrigas, non ut in malignitate permaneas. *Enarratione in Pſalmum* 100. *ante medium.*

Unus eſt, ne deſperes; unicus eſt, ne præſumas. *Eidem tribui ſolet; ſed non memini in illo me legere.*

Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma eſt: pœnitentia, quæ a moriente tantum petitur, timeo

ne

ne & ipſa moriatur. *Idem Sermone* 57. *de Tempore, nunc* 255. *Appendicis.*

Illa eſt peccati pœna juſtiſſima, ut amittat unusquisque quo bene uti noluit, cum ſine ulla difficultate poſſet ſi vellet. Id eſt autem ut qui ſciens recte non fecit, amittat ſcire quod rectum ſit: & qui facere cum poſſet noluit, amittat poſſe cum velit. *Idem Libro III. de libero arbitrio cap.* 18.

Ecce cum loquor, muta cor, & factum eſt, quod tam ſæpe & tamdiu clamatur ut fiat: & quod æternam pœnam parturit, ſi non fiat. *Idem Enarratione in Pſalmum* 63. *ipſo in fine.*

Præveniendus eſt dies, qui prævenire conſuevit. Eusebius Gallicanus *homilia de Latrone beato.*

Si quis a malis ſuis fracta jam ætate vel cogente infirmitate vel imminente morte deſtiterit: oblectamenta delicti perdidit, non reliquit: neque ille voluptatem deſeruit, ſed illum voluptas. Illum inquam voluptas, neceſſitate non virtute fugata, deſtituit. Ac per hoc impoſſibilitate excluſus a vitiis & tunc puto peccat quando peccare ceſſaverit; quia, quantum ad animum, necdum deſiit qui adhuc vellet peccare ſi poſſet. *Idem* Eusebius *homilia ad plebem, in qua multæ obtrectationes dicuntur.* *

Quia antiquorum morborum difficilis & tarda curatio eſt, tanto velocius adhibeantur remedia, quanto recentiora ſunt vulnera. S. Leo *Sermone* I. *de reſurrectione Domini, in fine.*

Tu homo ſæpius inter iſta omnia conſidera, ſi juſtum eſt, ut per totam vitam tuam vitiis & peccatis

---

* Eadem fere habet Salvianus *Libro* I. *ad Eccleſiam Catholicam, verſus finem.* Quod cum non ſemel, ſed vel hac ipſa in homilia ſæpius deprehendo: haud parum augetur ſuſpicio, aliunde mota, plures ex homiliis Euſebii Salvianum habere auctorem. Vide, quæ diximus Libro ſecundo, Diſſertatione de Eloquentia S. Eucherii, capite tertio.

tis ſervias, & ad aquirendam vitam jam vivus aſſurgas. Numquid tibi hoc fieri vis a ſervo tuo, ut quamdiu fortis ac juvenis fuerit, inimicis tuis ſerviat, & cum ad ſenectam venerit, tunc ad tuum ſervitium redire velit? Quod ergo non vis pati a ſervo tuo, non eſt juſtum ut facias Domino tuo. S. Cæsarius Arelatensis *homilia 6.*

Ecce apertum eſt oſtium pœnitentiæ! accelera priusquam claudatur. Effunde, dum tempus eſt, lacrimas, ne in alio ſæculo ſine utilitate plangas. S. Anselmus *Exhortatione ad contemptum temporalium, & deſiderium æternorum, circa initium.*

Valde difficile eſt, ut tunc vera ſit pœnitentia, quando tam ſera venit. Quando cruciatus membra ligat, & dolor ſenſum opprimit, vix homo aliud cogitare poteſt. Ergo ſi vis ſecurus eſſe, pœnitentiam age dum ſanus es. Dum mens ſibi vacare poteſt, exerce illam in opere ſuo. Valde ſuſpecta debet eſſe pœnitentia quæ coacta videtur eſſe. Facile eſt ut homo ſe nolle putet, quod poſſe non datur. Poſſibilitas optime voluntatem probat. Si non facis dum potes, manifeſte oſtendis, quod non vis. Hugo a S. Victore *Libro II. de Sacramentis, Parte 14. capite 5.*

Væ illi, qui tunc habuit terminum luxuriæ, quando vitæ. *Creditus* Bernardus *de ordine vitæ, & morum inſtitutione, prope finem.* Citat etiam ex Hieronymo Beda *in ſcintillis;* verum dubito, an apud iſtum ſit reperire.

CAPUT II.

Fontes.

Tertullianus *Libro de pœnitentia capitibus 6 & 7.*

S. Basilius M. *citata homilia 13. in S. Baptiſma: Et ad finem admonitionis ad filium ſpiritualem: item Oratione 4. ex collectitiis.*

S. Gre-

S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione* 40. *in ſanctum baptiſma.*

S. GREGORIUS NYSSENUS *Oratione adverſus eos, qui differunt baptiſma.*

S. AMBROSIUS *Libro de Elia & Jejunio cap.* 22. *Item in Exhortatione ad pœnitentiam agendam, ad calcem operum, quæ & homiliam Auguſtini* 41. *ex* 50. *fere totam complectitur.*

S. CHRYSOSTOMUS *homilia* 5. *olim* 1. *de pœnitentia,* de propera pœnitentia.

Concione 1. *in Pſalmum* 32. *poſt medium.*
Homilia 27. *in Matthæum.*
Homilia 1. *in Acta, præſertim poſt medium.*
Homilia 13. *in eadem acta.*

S. HIERONYMUS *Libro IX. in caput* 30. *Eſaiæ.*

S. AUGUSTINUS *Libris tribus de peccatorum meritis, & remiſſione.*

Enarratione in Pſalmum 60. *ad finem.*
Enarratione in Pſalmum 100. *ſupra citata.*
Enarratione in Pſalmum 102. *verſus finem.*
Enarratione in Pſalmum 144. *ad verſum* 8.
Tractatu 33. *in Joannem.*
Sermone 22. *olim* 109. *de tempore.*
Sermone 40. *alias homilia* 11. *ex* 50.
Sermone 82. *alias* 16. *de verbis Domini.*
Sermone 87. *jam laudato.*
Sermone 351. *alias homilia ultima ex* 50.
Sermone 393. *alias citato.*
Sermone 29. *Appendicis novæ, olim* 102. *de tempore.*

Adde etiam, quæ habet *Libro VIII. Confeſſionum, capitibus* 5. & 11. de mora converſionis ſuæ.

EUSEBIUS GALLICANUS *homilia de latrone beato, jam laudata.*

S. LEO *Sermonibus* 5. & 12. *in Quadrageſima.*

SAL-

Salvianus *Libro* 1. *ad Eccleſiam Catholicam fuſe*: & *Libro* 5. *de Gubernatione Dei*, *prope finem*, obiter de morte in peccatis.

Julianus Pomoerius *Libro II. de vita contemplativa cap.* 7.

S. Cæsarius Arelatensis *Sermonibus* 13. 14. & 15.

Victor Tunonensis *Libro de Pœnitentia cap.*27.

S. Gregorius M. *homilia* 11. *in Ezechielem cap.* 3. *homiliis item* 12. & 13. *in Evangelia.*

S. Joannes Damascenus *Parallelorum Titulo III. litera* μ.

S. Eligius Noviomensis *homilia* 6.

Hugo a S. Victore *loco citato.*

S. Bernardus *Sermone* 38. *ex parvis*: *Et in Declamationibus, verſus finem.*

Richardus a S. Victore *Tractatu de poteſtate ligandi* & *ſolvendi.*

Petrus Blesensis *Epiſtola* 15. de vocibus mundi pœnitentiam noſtram differri volentis. Adde *Tractatum de Confeſſione Sacramentali.*

Vide Titulos: *Præſumptio. Longanimitas divina. Inſpirationes.*

TITULUS XXXIX.

De *Pœnitentiæ* Partibus omnibus, fuſe & ſingulatim.

CAPUT I.

Loci.

DE EXAMINE.

Peccatum meum contra me eſt ſemper: Ego illud video; tu illud non videas. Ego literis mando, tu oblitera. Vide enim quid fiat. Si illud tu memoria teneas, Deus e memoria abjicit: ſi te illius

 oblivio

oblivio capiat, Deus illius meminit. S. CHRYSOSTOMUS *homilia* 2. *in Pſalmum* 50. *per accomodationem.*

Quid ais homo! Deum offendiſti, & obliviſceris? altera jam eſt hæc offenſio, altera inimicitia. A quibusnam ergo peccatis ſolvi petis? An ab iis quæ ne tibi quidem nota ſunt? *Idem homilia* 22. *in II. ad Corinthios.*

Sunt homines qui quaſi conantur quærere iniquitatem ſuam, & timent illam invenire. S. AUGUSTINUS *Enarratione in Pſalmum* 35 *poſt initium.*

Diſcute conſcientiam tuam. Noli ſuperficiem circumpalpare. Deſcende in te, penetra interiora cordis tui, rimare diligentes, utrum nulla ibi vena venenata tabificum amorem ſæculi fugat. *Idem ſermone* 348. *alias* 214. *de tempore.*

Peccata noſtra judices nos ſentiant, non patronos. Accuſatores ſuos, & non defenſores eſſe cognoſcant; ſecundum illud quod ſcriptum eſt: *Iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Tu agnoſce; & Deus ignoſcet. *Idem ſermone* 88. *de Tempore, nunc* 22. *Appendicis.*

Omnes cordis noſtri receſſus jugiter perſcrutandi ſunt, & aſcendentium in eos veſtigia indagatione ſagaciſſima retractanda. S. CASSIANUS *Collatione I. cap.* 22.

Si ſuperbia, ſi avaritia, ſi invidia, ſi ambitio aut ſimilis aliqua peſtis abſcondita eſt, vix poterit effugere hoc examen. Si fornicatio, ſi rapina, ſi crudelitas, ſi fraus ulla, aut quælibet culpa admiſſa eſt, integrum hunc judicem non latebit. Reus eſſe nec inficiabitur coram eo. Tranſiit enim velociter totus ille pruritus delectationis iniquæ, & voluptatis illecebra tota brevi finita eſt; ſed amara quædam impreſſit ſigna memoriæ, ſed veſtigia fœda reliquit. In illud ſiquidem repoſitorium velut in ſentinam aliquam tota decurrit abominatio, & immun-

munditia tota defluxit. S. Bernardus *Tractatu de Converſione ad Clericos, cap.* 3.

DE DOLORE.

Pœnitentia de pectoribus excuſſa eſt: graviſſimi, extremique delicti memoria ſublata eſt. Operiuntur morientium vulnera, & plaga lethalis altis & profundis viſceribus infixa diſſimulato dolore contegitur. S. Cyprianus *Libro de lapſis.*

Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens, & longa medicina non deſit. Pœnitentia crimine minor non ſit. *Idem ibidem.*

Magnifice, ut ſolet, Gregorius Nazianzenus *pœnitentium lacrimas* peccati diluvium *appellat*, & mundi piamentum. *Oratione* 3. *quæ eſt in Julianum* 2. *paulo ante medium.*

Oſtende mihi amaras, atque uberes lacrimas tuas; ut ego quoque meas commiſceam. S. Gregorius Nyssenus *Oratione in eos, qui acerbius judicant.*

Audiant qui agunt pœnitentiam, quomodo agere debeant, quo ſtudio, quo affectu, qua mentis intenſione, qua intimorum concuſſione viſcerum, qua cordis converſione. S. Ambrosius *Libro II. de Pœnitentia cap.* 6.

Tales lacrimæ ipſum etiam gehennæ incendium norunt extinguere. S. Chrysostomus *Concione* 1. *de Lazaro.*

Sed o magnificum (donum!) quod dedit ad ſupplicium, in ſalutem vertit. Peccatum dolorem peperit, dolor peccatum conſumpſit: & quemadmodum vermis e ligno natus ipſum lignum comminuit, ſic & dolor e peccato natus peccatum conſumit per pœnitentiam inductus. *Idem homilia* 5. *de Pœnitentia, hodie* 7.

Portat tormentum ſuum qui propria torquetur conſcientia, & in iſto ſæculo ſuſtinet propria vo-

luntate cruciatum, ne æterna tormenta ſuſtineat. S. HIERONYMUS *Libro V. Commentariorum in caput 16. Ezechielis.*

Quæ peccata fletus iſte non purget? quas inveteratas maculas hæc lamenta non abluant? *Idem Epiſtola 77. alias 30. ad Oceanum.*

Qui ſe conterit iraſcitur ſibi: ſe habeat iratum, ut illum habeat propitium: ſe habeat judicem, ut illum habeat defenſorem. S. AUGUSTINUS *in Expoſitione Pſalmi 74. initio.*

An vero in te ſunt viſcera miſerationis chriſtianæ, ut plangas corpus, a quo receſſit anima, & non plangas animam, a qua receſſit Deus! *Idem Sermone 65. alias 13. inter additos a Pariſienſibus.*

In actione pœnitentiæ non tam conſideranda eſt menſura temporis, quam doloris. *Idem in Enchiridio cap. 65.*

Ecce, ibi es in corde eorum, in corde confidentium tibi, & projicientium ſe in te, & plorantium in ſinu tuo poſt vias ſuas difficiles! & tu facilis terges lacrimas eorum, ut magis plorent, & gaudeant in fletibus. *Idem Libro V. Confeſſionum cap. 2.*

Rurſum S. Doctor de verbo illo PECCAVI, quod æque & Saul, & David adhibuerunt: In ſimili, *inquit,* voce, quam ſenſus humanus audiebat, diſſimile pectus erat, quod divinus oculus diſcernebat. *Libro XXII. contra Fauſtum cap. 67.*

Idem contritionem perfectam ſuaſurus: Quando exhibuiſtis membra veſtra iniquitati ad flagitia perpetranda, timore adducti eſtis, an delectatione invitati; quid dicitis? Reſpondete nobis, quia & qui bene vivitis, male aliquando fortaſſe vixiſtis. Quando peccabatis, delectabamini in peccatis veſtris. Timor vos adducebat ad peccandum, an ſuavitas peccati? Reſpondebitis ſuavitas. Ad peccatum ſuavitas adducit, ad Juſtitiam timor impingit?

git? . . . Amate juſtitiam, quantum amaſtis iniquitatem. Digna eſt juſtitia, quæ a vobis impetret, ut exhibeatis illi, quod exhibuiſtis iniquitati. *Sermone* 159. *alias* 17. *de verbis Apoſtoli.*

Idem de eo, qui ex ſolo, quem vocant, metu ſervili dolet, eleganter: Inimicus juſtitiæ eſt, qui gehennam metuit. Non peccare metuit, ſed ardere. Peccare autem metuit, qui peccatum ipſum ſicut gehennam odit. *Epiſtola* 144. *nunc* 145. *ad Anaſtaſium.*

Iterum Sermone 178. *alias* 19. *de verbis Apoſtoli:* Deus cor interrogat, non manum. Lupus venit ad ovile ovium, quærit invadere, quærit jugulare, quærit devorare. Vigilant paſtores, latrant canes; nihil poterit. Non auffert, non occidit; ſed tamen lupus venit, lupus redit. Numquid quia ovem non tulit, ideo lupus venit, & ovis redit? Lupus venit fremens, lupus redit tremens. Lupus eſt tamen & fremens & tremens.

Non levi agendum eſt contritione, ut debita illa redimantur, quibus mors æterna debetur, nec tranſitoria opus eſt ſatisfactione pro malis illis, propter quæ paratus eſt ignis æternus. Si volumus intelligere quam graves apud ſe faciat Judex noſter hominum culpas, reſpiciamus ad pœnas. EUSEBIUS GALLICANUS *homilia* 5. *ad Monachos.*

Fatentur enim, & quidem, quod eſt gravius, ſic fatentur, ut in ipſa confeſſione non doleant. Idem enim nunc eſt animus in fatentibus, qui in agentibus fuit. Sicut tunc non puduit flagitia committere, ſic nunc omnino non pœnitet flagitioſa feciſſe. SALVIANUS *Libro* 7. *de gubernatione, poſt initium.*

Sint autem efficaces gemitus, qui peccata in oſſibus ſcrutentur, qui in medullis perſequantur. Nihil intactum fletus, nihil incuratum dolor relinquat, quod contra nos in die diſcuſſionis aſſurgat. S. CÆSARIUS ARELATENSIS *homilia* 17.

Si pœnam non metueret, culpam procul dubio perpetraret. Ignorat itaque mens gratiam libertatis, quam ligat ſervitus timoris. Bona enim pro ſemetipſis amanda ſunt, & non pœnis compellentibus exequenda. Nam qui propterea bonum facit, quia tormentorum mala metuit, vult non eſſe quod metuat, ut audacter illicita committat. S. GREGORIUS M. *Paſtoralis curæ Parte III. Admonitione* 14.

Sæpe ſibi de ſe mens ipſa mentitur. *Idem ibidem Parte I. cap.* 9.

Qui ſic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut diſſimulat, aut ignorat. Quid enim prodeſt, ſi peccata quis luxuriæ defleat, & tamen adhuc avaritiæ æſtibus anhelet? Aut quid prodeſt, ſi iræ culpas jam lugeat, & tamen adhuc invidiæ facibus tabeſcat? *Idem homilia* 34. *in Evangelia.*

Rurſum in caput 15 *Libri I. Regum, loquens de iis, qui verbis, non item affectu dolerent:* Profecto, ait, confitendo nihil agunt; quia quod loquendo ejiciunt, amando introducunt.

Nec timor, nec amor privatus convertit animam. Mutant interdum vultum, vel actum; affectum nunquam. S. BERNARDUS *Epiſt.* 11. *ad Carthuſienſes, & Guigonem Priorem.*

Satius eſt, o fratres, & ſuavius fonte purgari, quam igne. GUERRICUS *Abbas Sermone* 4. *de Purificatione.*

DE PROPOSITO EMENDATIONIS.

Dum dolemus admiſſa, admittenda excludimus, & fit quædam de condemnatione culpæ diſciplina innocentiæ. S. AMBROSIUS *Libro II. de Pœnitentia cap.* 10.

Si aliis dixiſſem, ſermo meus ſtare deberet: quanto magis ſtabile debet eſſe, quod mihi ipſe conſtitui? Si quis alienum fallat, indecorum eſt; ſi quis

quis proximum, grave. Quanto igitur gravius ſi quis ſeipſum eo quod ſibi promiſerit putet eſſe fraudandum, ut ipſe ſibi infidelis ſuo judicio, & deſpicabilis æſtimetur? Cui enim idoneus videri poteſt, qui ſibi vilis eſt? *Idem in Pſalmum* 38. *initio.*

Carnis natura multo cum labore ab infeſtantibus liberatur vulneribus. Ferrum ſæpe & amara medicamina adhibere neceſſarium eſt. In anima vero nihil eſt tale, ſed tantum velle & cupere ſufficit; & omnia correcta ſunt. S. Chrysostomus *homilia* 8 *ad populum.*

Ita velle efficit poſſe, uti nolle efficit non poſſe. Magna vis eſt voluntatis, quæ efficit nos poſſe quod volumus, & non poſſe illa quæ nolumus. *Idem creditus homilia de Zacharia* (quam non recordor me legere in *Montfaucono*) *ſub finem.*

Stultitia eſt, ſi ex parte ſalvari cupit, qui ex toto periit. S. Hieronymus *putatus, Epiſtola ad amicum, quem inſtituit in ſcientia divinæ legis, in Appendice.*

Juſta vita cum volumus adeſt; quia eam ipſam plene velle juſtitia eſt, nec plus aliquid perficienda juſtitia quam perfectam voluntatem requirit. S. Augustinus *Epiſtola* 127. *alias* 45. *ad Armentarium & Paulinam.*

Nihil tam facile eſt bonæ voluntati, quam ipſa ſibi. *Idem ſermone* 70. *alias* 9. *de verbis Domini.*

Eligas magis, Deo dilecto mori, quam Deo offenſo vivere. *Idem.*

Fatentur ſe male feciſſe, nec ullum finem volunt malis ſuis factis imponere. Accuſant humiliter in conſpectu Dei peccata, quibus tenentur oppreſſi, & eadem peccata, quæ humilitate ſermonis accuſant, corde perverſo contumaciter cumulant. Indulgentiam quam lacrimoſis gemitibus poſcunt, ipſi ſibi pravis operibus adimunt. Medelam poſcunt a medico: ac ſic inaniter verbis quærunt placare

care juſtum Judicem, quem factis iniquis magis irritant ad furorem. Tales enim nunquam diluunt gemendo peccatum; quia non deſinunt peccare poſt gemitum. S. FULGENTIUS *Libro I. de remiſſione peccatorum ad Euthymium, cap.* 12.

Idcirco ſe lacrimis lavant, ut mundi ad ſordes redeant. S. GREGORIUS M. *Paſtoralis curæ Parte III. Admonitione* 31.

Væ tibi quicunque es, qui deliberas redire ad lutum, reverti ad vomitum. Putasne placatos habebis in judicio, quos tanto & tam ſperato privare vis gaudio? Exultaverunt cum nos ad pœnitentiam venimus, tanquam ſuper his, quos ab ipſa inferi porta cernerent evocari: quid nunc erit, ſi ab ipſa paradiſi janua reverti viderint, & abire retrorſum eos, qui jam pedem alterum in paradiſo poſuerunt? S. BERNARDUS *Sermone* 2. *in Vigilia Nativitatis.*

Sanum juſtumque propoſitum numquid omittendum ex toto fuit, quia ex toto adimpleri non potuit? *Idem Epiſtola* 176.

DE CONFESSIONE.

Pleroſque hoc opus ut publicationem ſui aut ſubterfugere, aut de die in diem differre præſumo, pudoris magis memores, quam ſalutis; velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt. TERTULLIANUS *Libro de Pœnitentia, cap.* 10.

Grande plane emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur! videlicet ſi quid humanæ notitiæ ſubduxerimus, perinde & Deum celabimus? *Idem ibidem.*

Adeone exiſtimatio hominum & Dei conſcientia comparantur? an melius eſt damnatum latere, quam palam abſolvi? *Idem ibidem.*

Dum

Dum accuſat ſemetipſum & confitetur, ſimul evomit & delictum, atque omnem morbi diggerit cauſam. ORIGENES *homilia 2. in Pſalmum* 37.

Novum judicii genus! in quo reus ſi excuſaverit crimen damnatur; abſolvitur ſi fatetur. S. ZENO *Sermone 2. ad Neophytos.*

Rogo vos fratres etiam pro periculo meo, per illum Dominum quem occulta non fallunt, deſinite vulneratam tegere conſcientiam! S. PACIANUS *Paræneſi ad pœnitentiam.*

Peccator timebit, peccator erubeſcet perpetuam vitam præſenti pudore mercari? *Idem ibidem.*

Quod ſi fratrum oculos erubeſcitis, conſortes caſuum veſtrorum timere nolite. *Idem ibidem.*

Quantum ſtudium a nobis adhiberi conveniebat, ut morbum medicis detegeremus, tantum ad medicinam fugiendam adhibemus, atque in noſtram perniciem fortes ſumus, & adverſus ſanitatem noſtram periti. S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione* 1. *propius initium.*

Confuſio eſt peccare, non eſt confuſio peccata confiteri. Confunderis confiteri peccata? Confundaris admittendo. S. CHRYSOSTOMUS *creditus*, *ſermone de Pœnitentia & confeſſione.*

Cum peccator fieres non erubeſcebas; cum juſtus efficeris, erubeſcis? *Idem homilia* 8. *de Pœnitentia.*

Si quem ſerpens diabolus occulte momorderit, & nullo conſcio eum peccati veneno infecerit: ſi tacuerit qui percuſſus eſt, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus ſuum fratri & magiſtro voluerit confiteri: magiſter, qui habet linguam ad curandum, facile ei prodeſſe non poterit. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina non ſanat. S. HIERONYMUS *in Caput* 10. *Eccleſiaſtis.*

Excuſamus, & jungimus peccata peccatis. *Idem in Pſalmum* 140.

Sunt multi, quos peccare non pudet, agere pœnitentiam pudet. O incredibilis inſania! de vulnere ipſo non erubeſcis; de ligatura erubeſcis? S. AUGUSTINUS *Enarratione in Pſalmum* 50. *ad verſum* 4.

Cui celas? qui novit omnia? *Idem Enarratione in Pſalmum* 31.

Invenio & ſequentia in meis notulis, ipſa pariter ex AUGUSTINO *collecta; verum quod me peſſime habet; absque ulla allegatione:*

Quid erubeſcis, o homo, confiteri peccata tua? peccator ſum, ſicut & tu. Homo ſum, ſicut & tu. Humani nihil a me alienum puto. Confitere ergo homo homini: homo peccator homini peccatori. *Idem.*

Etiamſi nollem confiteri, quid occultum eſſet in me tibi, te mihi abſconderem, non me tibi. *Idem.*

O ſtulte! cur erubeſcis homini dicere, quod non erubuiſti in conſpectu Dei facere? *Idem.*

Ut tibi cœlum aperiatur, aperi os tuum ſacerdoti. Hæc ſola eſt porta paradiſi *Idem.*

Eſt nobis dura & deflenda conditio! peccare nos cogit fragilitas innata, & confiteri prohibet confuſio cognata peccati. Malum enim facere pudor non eſt, & pudor eſt confiteri. Timemus dicere, quod committere non timemus. S. CHRYSOLOGUS *Sermone* 34.

Belle etiam huc facit, quod alia occaſione SALVIANUS *peccatores quoſdam* eorundem criminum accuſatores, & excuſatores *dicit Libro* 3. *de gubernatione Dei.*

O perverſitas! non pudet inquinari, & ablui pudet. S. BERNARDUS *Epiſtola* 185. *ad Euſtachium.*

Cur te pudet peccatum tuum dicere, quem facere non puduit? aut cur erubeſcis Deo confiteri,

cujus

cujus oculis non potes abſcondi? Quod ſi forte pudor eſt tibi uni homini & peccatori peccatum tuum exponere, quid facturus es in die judicii, ubi omnibus expoſita tua conſcientia patebit? *Idem in ſententiis, propius initium.*

DE ABSOLUTIONE.

Omnibus delictis ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis qui pœnam per judicium deſtinavit, idem etiam & veniam per pœnitentiam ſpopondit. TERTULLIANUS *Libro de Pœnitentia cap.* 4.

Emerſit fratres dilectiſſimi novum genus cladis, & quaſi parum perſecutionis procella ſævierit, acceſſit ad cumulum ſub miſericordiæ titulo malum fallens & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio. Irrita & falſa pax: periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura. S. CYPRIANUS *Libro de Lapſis.*

A diaboli aris revertentes ad ſanctum Domini ſordidis, & infectis nidore manibus accedunt: mortiferos Idolorum cibos adhuc pæne ructantes, exhalantibus etiam nunc ſcelus ſuum faucibus, & contagia funeſta redolentibus Domini corpus invadunt. *Idem ibidem.*

Spretis his omnibus atque contemptis vis infertur corpori ejus & ſanguini, & plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt. *Idem ibidem.*

Ante expiata delicta, ante exomologeſin factam criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio & manu ſacerdotis, ante offenſam placatam indignantis Domini, & minantis pacem putant eſſe, quam quidam verbis fallacibus venditant. Non eſt pax illa, ſed bellum; nec Eccleſiæ jungitur qui ab Evangelio ſeparatur. Quid injuriam beneficium vo-

vocant? quid impietatem vocabulo pietatis appellant? *Idem ibidem. Quadrat autem in eos, qui abſolutionem ab uno Sacerdotum negatam extorquent ab alio, & fors illo ipſo, qui doctrinæ laxitatem ceteris pleno ore, & velut ex inſtituto ſolet objicere.*

Alta & erecta cervix nec quia cecidit, inflexa eſt. Tumens animus & ſuperbus nec quia victus eſt, fractus eſt. Jacens ſtantibus & integris vulneratus minatur, & quod non ſtatim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini ſanguinem bibat, ſacerdotibus ſacrilegus iraſcitur! Atque o tuam nimiam furioſe dementiam! iraſceris ei, qui abs te avertere iram Dei nititur, ei minaris, qui pro te Domini miſericordiam deprecatur, qui vulnus tuum ſentit, quod ipſe non ſentis, qui pro te lacrimas fundit, quas forſitan ipſe non fundis. Oneras adhuc crimen & cumulas, &, cum ſis ipſe implacabilis ad antiſtites, & ſacerdotes Dei, putas circa te Dominum poſſe placari. *Idem ibidem. In eodem valet, quos ſupra dixi.*

Non deſunt vitiorum aſſentatores blandi, & indulgentes patroni, qui præſtant vitiis auctoritatem; & quod eſt deterius cenſuram ſcripturarum cœleſtium in advocationem criminum convertunt. *Idem Libro de ſpectaculis, initio.*

Fruſtra cicatricem curaveris, ſi ſerpant interiora contagia. Imo exacerbatur vulnus ſi foris clauditur, cum interius virus exæſtuat. Nam quid proderat donaſſe peccatum ſi peccandi maneret affectus? Hoc erat non ſanare cicatricem, ſed claudere. S. AMBROSIUS *in Pſalmum* 61. *initio.*

Nonnulli ideo poſcunt pœnitentiam, ut ſtatim ſibi reddi communionem velint. Hi non tam ſe ſolvere cupiunt, quam ſacerdotem ligare. Suam enim conſcientiam non exuunt, & ſacerdotis induunt. *Idem Libro II. de Pœnitentia cap.* 9.

Sacer-

Sacerdotis ſolium in cœlis collocatum eſt, & cœleſtia adminiſtrandi habet auctoritatem. Quis hæc dicit? Ipſe cœlorum Rex. *Quæcunque enim ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis:* & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Quid cum hoc honore conferri poſſit! a terra judicandi principalem auctoritatem ſumit cœlum. Nam Judex ſedet in terra, Dominus ſequitur ſervum, & quidquid hic in inferioribus judicarit, hoc ille in ſupernis comprobat. S. Chrysostomus *homilia* 5. *de verbis Eſaiæ:* Vidi Dominum.

Tales (Phariſæi ſcilicet, & Scribæ) ſunt etiam nunc ſacerdotes, qui omnem juſtitiam populo mandant, & ipſi nec modice ſervant. Videlicet non ut facientes ſint juſti, ſed ut docentes appareant juſti. Tales ſunt & qui grave pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt, qui dicunt & non faciunt, & ſic dum pœna pœnitentiæ præſentis fugitur, contemnitur pœna peccati futura. Si enim faſcem ſuper humeros adoleſcentis quem non poteſt bajulare poſueris, neceſſe habet ut aut faſcem rejiciat, aut ſub pondere confringatur. Sic & homini cui grave pondus pœnitentiæ ponis, neceſſe eſt ut aut pœnitentiam tuam rejiciat, aut ſuſcipiens dum ſufferre non poteſt, ſcandalizatus amplius peccet. Deinde etſi erramus modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius eſt propter miſericordiam rationem dare, quam propter crudelitatem? ubi enim paterfamilias largus eſt, diſpenſator non debet eſſe tenax. Si Deus benignus eſt, ut quid ſacerdos auſterus? Vis apparere ſanctus? circa tuam vitam eſto auſterus circa alienam autem benignus. Audiant te homines parva mandantem, & grandia videant facientem. Auctor *Operis imperfecti in Matthæum, homilia* 43. *circa medium.*

Chi-

Chirographum innumerabilium debitorum (Deus) nobis non ſentientibus delet. Sed opus eſt ut quod tribuit gratia cuſtodiat diligentia, & quod ſine labore aquiritur, cum labore ſervetur. EUSEBIUS GALLICANUS *homilia* I. *de ſymbolo.*

Eleganter de ſacerdotibus, cum pœnitentes alloquuntur: Sic corda aperiant, ut ora non obſtruant. S. BERNARDUS *Sermone ad Milites Templi cap.* 12.

Et de confeſſariis, quibus confiteri coguntur pœnitentes. Tales medici curant, & non ſanant. PETRUS BLESENSIS *Tractatu de ſatisfactione ſacramentali, poſt medium.*

DE SATISFACTIONE.

An illa ingemiſcit & plangit, cui vacat cultum pretioſæ veſtis induere, nec indumentum Chriſti quod perdidit cogitare? accipere pretioſa ornamenta & monilia elaborata nec divini & cœleſtis ornatus damna deflere? Tu licet indumenta peregrina & veſtes ſericas induas, nuda es Auro te licet, & margaritis, gemmiſque condecores ſine Chriſti decore deformis es. Et quæ capillos tuos inficis vel nunc in doloribus deſine, & quæ nigri pulveris ductu oculorum lineamenta depingis vel nunc lacrimis oculos tuos ablue. Si quem de tuis charis mortalitatis exitu * perdidiſſes, ingemiſceres dolenter, & fleres, facie inculta, veſte mutata, neglecto capillo, vultu nubilo; ore dejecto indicio mœroris oſtenderes: animam tuam miſera perdidiſti, ſpiritualiter mortua ſupervivere hic tibi, & ipſa ambulans funus tuum portare cœpiſti, & non acriter plangis, non jugiter ingemiſcis, non te vel pudore criminis vel continuatione lamentationis abſcondis! Ecce pejora adhuc peccandi vulnera, ecce majora delicta peccaſſe nec ſatisfacere, deliquiſſe

* Peſtis enim tum graſſabatur, quam recepta jam voce *mortalitatem* Africani dicebant.

quiſſe nec delicta deflere. S. Cyprianus *Libro de lapſis, verſus finem.*

S. Pacianus *de iis, qui peccata confeſſione ſatisfacere, & præſcripta ſibi remedia nolunt adhibere:* Similes, *ait*, ſunt illis, qui plagas quidem aperiunt, ac tumores, medicisque etiam aſſidentibus confitentur: ſed admoniti, quæ imponenda ſunt, negligunt, & quæ bibenda faſtidiunt. *In Paræneſi ad pœnitentiam.*

Quid dicitis pœnitentes? ubi eſt veſtræ carnis interitus? an quod in ipſa pœnitentia lautiores ſemper inceditis, convivio farti, balneis expoliti, veſte compoſiti? Ecce aliquem video aliquando frugi, aliquando pauperculum, aliquando vili tunica ſordulentum. Nunc bene cultus & locuples & decorus eſt quaſi imputet Deo, quia illi ſervire non potuit, & morientem animam recreet voluptate membrorum. Bene quod mediocres ſumus; ceterum & illa faceremus quod quosdam & quasdam non pudet lautiores, marmoribus tegi, auro opprimi, ſerico fluere, cocco rubeſcere. Si quid ferruginei pulveris in ſupercilio fulguret, aut ficti nitoris in genis rutilet, aut coacti ruboris in labia deſudet, iſta forſitan non habetis. Non deſunt tamen vobis hortulani maritimive ſeceſſus & exquiſitius vinum, & lautiora convivia, & defœcatio ſenectutis. Sic agite, ſic credite. Quando vivetis? non ſuſtineo jam fratres! *Idem ibid.*

Si quis ad balneum vocet (Idem vult ſuos pœnitentes) recuſare delicias: ſi quis ad convivium roget, dicere: Iſta felicibus, ego deliqui in Dominum, & periclitor in æternum perire. Quo mihi epulas qui Dominum læſi? *Idem ibid.*

Grandi plagæ alta & prolixa opus eſt medicina. Grande ſcelus grandem habet neceſſariam ſatisfactionem. S. Ambrosius *de lapſu virginis conſecratæ cap. 8.*

Ferat

Ferat, ferat amaram pœnitentiæ curam, qui ſervare debitam noluit ſanitatem. S. CHRYSOLOGUS *Sermone* 167.

Quod ſi ipſi judices fiant, & veluti ſuæ iniquitatis ultores, hic in ſe voluntariam pœnam ſeveriſſimæ animadverſionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna ſupplicia, & lacrimis ex vera cordis compunctione fluentibus æterni ignis reſtinguent incendia. JULIANUS POMOERIUS *Libro II. de vita contemplativa cap.* 7.

Facite fructus dignos pœnitentiæ! In fructu ergo non in foliis, aut ramis pœnitentia cognoſcenda eſt. S. GREGORIUS M. *Libro V. Expoſitionis in Librum* I. *Regum cap.* 15.

Ad peccandum fortes ſunt, ad peccata deflenda debiles. *Idem ibidem, ſuperius.*

Neque enim Deus noſtris cruciatibus paſcitur, ſed delictorum morbis medicamentis contrariis medetur, ut qui voluptatibus delectati diſceſſimus, fletibus amaricati redeamus: & qui per illicita defluendo cecidimus etiam a licitis noſmetipſos reſtringentes ſurgamus. *Idem Paſtoralis curæ Parte III. Admonitione* 31.

Dum creditis vos cavere iſtam pœnam minimam, incurritis ampliorem. S. BERNARDUS *Sermone de obitu Humberti.*

Mutatis, non effugitis pœnitentiam. *Idem in Declamationibus, poſt medium.*

Tutius eſt, cum parva pœnitentia, quæ ſponte ſuſcipitur, & veriſimiliter adimplebitur, ducere confeſſos in purgatorium, quam cum magna non implenda præcipitare in infernum. JOANNES GERSON *Parte II. Operum, in Regulis Moralibus, Titulo: de Pœnitentia.*

DE EMENDATIONE.

Sancti qui conſummare pium certamen geſtiunt, & currere curſum ſalutis ſicubi forte ut omnes

cor-

corruerint, naturæ magis fragilitate quam peccandi libidine: acriores ad currendum reſurgunt, pudoris ſtimulo majora reparantes certamina, ut non ſolum nullum attuliſſe æſtimetur lapſus impedimentum, ſed etiam velocitatis incentiva cumulaſſe. S. Ambrosius *in Apologia David priore, cap.* 2.

In hoc autem pœnitentia ſita eſt, ne eadem ipſa patrentur. S. Chrysostomus *homilia* 33. *in Joannem, prope finem.*

Bona eſt peccati confeſſio, ſi & curatio conſequatur. Nam quid prodeſt detegere plagam, & non adhibere medicinam? S. Augustinus *in ſententiis a Proſpero collectis.*

O quam ſuave mihi ſubito factum eſt, carere ſuavitatibus nugarum! & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas a me, vera tu & ſumma ſuavitas: ejiciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior. *Idem Libro IX. Confeſſionum cap.* 1.

Novum monſtri genus eſt, eadem pene omnes jugiter faciunt, quæ feciſſe ſe plangunt. Salvianus *Libro* 3. *de Gubernatione, verſus finem. Et infra:* Taliter ferme omnia agunt, ut eos non tam putes antea pœnitentiam criminum egiſſe, quam poſtea ipſius pœnitentiæ pœnitere: nec tam prius pœnituiſſe quod male vixerint, quam poſtea quod ſe promiſerint bene eſſe victuros. *Libro* 5. *de eadem Gubernatione, prope finem.*

Pœnitentiam agere eſt & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. S. Gregorius M. *homilia* 34. *in Evangelia.*

Fit plerumque Deo gratior amore ardens vita poſt culpam, quam ſecuritate torpens innocentia. *Idem Paſtoralis curæ Parte III. cap.* 29. *ad finem.*

CAPUT II.

Fontes.

DE EXAMINE.

S. CHRYSOSTOMUS *Libro* 1. *de Compunctione cordis, ad finem*: Et *homilia ſupra in Locis laudata.*

S. LEO *Sermone* 3. *de Quadrageſima.*

S. BERNARDUS *de Converſione ad Clericos, capitibus* 2. & 9.

PETRUS BLESENSIS *ſub medium Tractatus de confeſſione Sacramentali.*

Multo autem plura dant Tituli: *Examen conſcientiæ quotidianum. Peccata occulta. Conſcientia. Excuſationes in peccatis.*

DE DOLORE.

S. CYPRIANUS *Libro de lapſis*, ex quo alium locum, qui huc pariter facit, infra de *Satisfactione* adducam.

S. BASILIUS M. *homilia* 5. *in Martyrem Julittam, ad finem.*

S. CHRYSOSTOMUS *in Libris de contritione cordis, maxime* 2.

Homilia 5. *de Pœnitentia*, de dolore Petri &c.

Homilia in Pſalmum 6. de dolore, & continuatione ejus.

Homilia 2. *in Pſalmum* 50. de perpetuo dolore.

Homilia 6. *in Matthæum*, de lacrimis pœnitentium.

Homilia 8. *in I. ad Corinthios*, de vitio in dolore.

Homilia 4. *in II. ad Corinthios*, pœnitentiam proprie eſſe in hoc dolore.

S. AUGUSTINUS *Libro VIII. Confeſſionum cap.* 12. de dolore ſuo.

Sermone 161. *alias* 18. *de verbis Apoſtoli cap.* 8. de dolore ex metu mere ſervili.

Sermone 169. *alias* 15. *de verbis Apoſtoli, cap.* 6. de eodem.

Sermone 179. *alias* 19. *de verbis Apoſtoli, cap.* 9. de eodem dolore & metu.

Enarratione in Pſalmum 127. de metu non mere ſervili, ſed qui præparet ad amorem.

Sermone 41. *de Sanctis, nunc* 104. *in Appendice*, ut mortem propriæ animæ non minus plangamus, quam mortem alieni corporis.

Eusebius Gallicanus *homilia* 5. *ad Monachos*, de vero & conſtanti dolore.

Auctor *Libri de contritione cordis egregius inter opera S. Anſelmi, & jam ante S. Auguſtini.*

S. Bernardus *Sermone* 16. *in Cantica* etiam de contritione cordis agit.

Petrus Blesensis *Tractatu de confeſſione Sacramentali.*

S. Bernardinus Senensis *Tomo I. Sermone* 12. *de vera contritione.* De eadem agit *Tomo III. Sermonibus* 23. & 35.

S. Thomas a Villanova *Concione in Dominicam Paſſionis.*

Adde Titulos: *Timor. Feſtum S. Mariæ Magdalenæ. Triſtitia* &c. Item Librum meum octavum, ubi dantur *Specimina Doloris.*

DE PROPOSITO EMENDATIONIS.

S. Chrysostomus *homilia* 14. *in II. ad Corinthios* de voluntate firma, quæ non in verbis ſit ſita, ſed in aggrediendo, rebusque ipſis. Idem jam ante *homilia* 13. *in I. ad Corinthios* de voluntate, quæ nunquam ad opus pervenit. Idem rurſus *homilia* 16. *in ad Hebræos, ad finem*, de voluntate efficaci.

S. Isidorus Pelusiota *Libro V. epiſtola* 155. ſerium propoſitum inchoatam jam juſtitiam eſſe.

Sed vide Titulos: *Occaſio peccandi. Emendatio. Relapſus. Scandalum. Reſtitutio* &c.

DE CONFESSIONE.

TERTULLIANUS Libro jam laudato etiam alia miniſtrat.

S. PACIANUS itidem.

S. GREGORIUS NYSSENUS *ad finem orationis: In eos, qui alios acerbius judicant*, ubi fiduciam conciliat confeſſario. Et *initio homiliæ* 3. *in Eccleſiaſten* de utilitate verecundiæ ad peccata fugienda.

S. AMBROSIUS *in Apologia David poſteriore, cap.* 12.

S CHRYSOSTOMUS præter *ſermonem jam laudatum, homilia* 2. *in Pſalmum* 50. egregie hortatur ad verecundiam ponendam. Iterum pudorem tollit *Oratione de non contemnendis Myſteriis, initio*, ubi accomodatiſſime admonet, ſacerdotem ipſummet peccatorem eſſe. Adde *homiliam: Non eſſe ad gratiam concionandum*, ubi pulchre hortatur, ne erubeſcamus confiteri: Denique *homilia* 8. *de Pœnitentia*, rurſum *fuſe* tollit verecundiam veluti a dæmone profectam.

VICTOR CARTENNENSIS, *habitus olim Ambroſius, Libro de Pœnitentia cap.* 3. *& ſequentibus*, ubi *fuſe, pulchreque* animat peccatorem ad ulcera ſcelerum detegenda.

THEOPHANES CERAMEUS *homilia* 20.

B. LANFRANCUS *Libello de celanda confeſſione.*

EADMERUS *de beatitudine cœleſtis patriæ cap.* 8. oſtendit, Sanctos ex commiſſis olim peccatis nullo deinceps pudore ſuffundendos.

S. BERNARDUS *Sermone* 16. *in Cantica.*

PETRUS BLESENSIS *Tractatu de confeſſione Sacramentali, paulo poſt initium, fuſe & cum emphaſi.*

S. THOMAS VILLANOVANUS *Sermone in Dominicam III. Quadrageſimæ.*

Adjici poſſunt Tituli: *Excuſationes in peccatis. Sacerdos. Sacrilegia.*

DE

DE ABSOLUTIONE.

Origenes *homilia* 2. *in Pſalmum*. 37.

S. Cyprianus *Libro de lapſis: Libro ad Novatianum:* Et *Epiſtolis* 4. 12. 31. 52.

S. Pacianus *tam in Paræneſi, quam laudavi, quam in tribus Epiſtolis ad Sympronianum.*

S. Gregorius Nyssenus *Oratione paulo ante citata.*

S. Ambrosius *Libro I. de Pœnitentia, capitibus* 1. & 16 in rigidos Confeſſarios. Idem *ejusdem operis Libro II. cap.* 8. de commiſeratione agit erga pœnitentes exhibenda. Nec omittendum, quod ſcriptor vitæ ejus Paulinus narrat, quomodo, cum audiret confeſſiones, haud ſecus ac ſi cum lapſo & ipſe jaceret, funderet lacrimas, atque illas etiam pœnitenti excuteret. Idem contra lenes nimium judices *Sermone* 8. *in Pſalmum* 118. *ad verba:* Deprecabor vultum tuum.

S. Chrysostomus *Libro II. cap.* 4. *de Sacerdotio,* de prudentia in injungendis pœnis. Et *Libro III. de eodem ſacerdotio cap.* 5. de poteſtate abſolvendi *magnifice.*

S. Hieronymus *initio Libri adverſus errores Joannis Hieroſolymitani,* verum *obiter* de lenitate erga peccatores.

S. Gregorius M. *homilia* 26. *in Evangelia*, de poteſtate abſolvendi.

B. Petrus Damiani *Sermone* 58. graviſſimis verbis de dotibus confeſſarii.

Richardus a S. Victore de poteſtate ligandi, & ſolvendi.

Petrus Blesensis *Tractatu de ſatisfactione Sacramentali.*

Conſule & Titulum: *de Sacerdotio.*

DE SATISFACTIONE.

Tertullianus *Libro ſæpe laudato.*

S. Cyprianus *Libro de lapſis, & Epiſtolis compluribus.*

S. Basilius M. *homilia in Pſalmum* 32. ut corpore, quo uſi ad peccandum ſumus, utamur nunc ad peccatum extinguendum.

S. Pacianus *in Paraneſi ad pœnitentiam.*

S. Gregorius Nyssenus *homilia ſupra allegata,* ubi docet, quam fere nulla ipſo opere ſatisfactio præſtetur a pœnitentibus.

S. Ambrosius *Libro II. capitibus* 9. & 10. *de pœnitentia.*

S. Chrysostomus *homilia de B. Philogonio, quæ eſt modo 6. contra Anomœos,* ubi optimam rationem ſatisfactionis: Et *homilia* 10. *in Matthæum,* ubi dignos fructus pœnitentiæ oſtendit.

S. Hieronymus *in Epitaphio Fabiolæ, Epiſtola ſcilicet 77. alias 30. ad Oceanum.*

S. Augustinus *Tractatu ultimo in Joannem: Sermone* 106. *de diverſis:* & *Præfatione in Pſalmum* 31.

S. Cæsarius Arelatensis *homilia* 1. quam paucis hic liceat ſatisfacere.

S. Gregorius M. *homiliis* 20. & 34. *in Evangelia.*

Petrus Blesensis *Tractatu de ſatisfactione Sacramentali.*

B. Rabanus Maurus, ſeu potius Halitgarius, *de peccatorum ſatisfactione, & remediis ſive pœnitentiis.*

Adde ſi lubet, quæ de *Pœnis Canonicis* Patres varii præſcripſerunt.

DE EMENDATIONE.

S. Ambrosius *Libro II. de Pœnitentia cap.* 10. ubi ut monet Raynaudus *) *Fabulæ* idem ſonant, quod antiquæ narrationes.

S. Chry-

* *Tomo IV.* qui eſt de Virtutibus; *Sectione* 3. *cap.* 3. *num.* 351.

S. Chrysostomus *Parœneſi* 1. *ad Theodorum*, ubi egregie, quantum ex ipſis lapſibus quidam profecerint; imo affectus eosdem, quibus ſunt malum proſecuti, ad optima quæque converterint. Adde *homiliam de B. Philogonio* de emendatione ſeria.

S. Hieronymus *Epiſtola* 108. *alias* 27. de Pœnitentia S. Paulæ.

S. Gregorius M. *homilia* 33. *in Evangelia.*

Vide & Titulum ſequentem de *Relapſu*, & quæ infra ad feſtum *S. Magdalenæ.*

TITULUS XL.

De *Relapſu.*

CAPUT I.

Loci.

Commodum ſe hic Titulus ſerie Alphabeti nunc offert, qui alias in argumento Pœnitentiæ claudere agmen debebat. Incipiamus autem a Tertulliano, *qui ſane eloquenter exagitat relabentem.*

Non leviter in Dominum peccat, qui cum æmulo ejus diabolo pœnitentia renuntiaſſet, & hoc nomine illum Domino ſubjeciſſet, rurſus eundem regreſſu ſuo erigit, & exultationem ejus ſeipſum facit, ut denuo malus recuperata præda ſua adverſus Dominum gaudeat. Nonne, quod dicere quoque periculoſum eſt, ſed ad ædificationem proferendum eſt, diabolum Domino præponit? Comparationem enim videtur egiſſe, qui utrumque cognoverit, & judicato pronuntiaſſe eum meliorem, cujus ſe rurſus eſſe maluerit. Ita qui per delictorum pœnitentiam inſtituerat Domino ſatisfacere, diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam ſatisfaciet, eritque tanto magis peroſus Deo, quan-

to æmulo ejus acceptus. *Libro de Pœnitentia cap.* 5.

Habes quod jam non merebaris. Amiſiſti enim quod acceperas. Si tibi indulgentia Domini accommodat, unde reſtituas, quod amiſeras: iterato beneficio gratus eſto, nedum ampliato. Majus eſt enim reſtituere quam dare; quoniam miſerius eſt perdidiſſe quam omnino non accepiſſe. *Idem ibidem cap.* 7.

Verum non ſtatim ſuccidendus, ac ſubruendus eſt animus deſperatione, ſi ſecundæ quis pœnitentiæ debitor fuerit. Pigeat ſane peccare rurſus, ſed rurſus pœnitere non pigeat, pigeat iterum periclitari, ſed non iterum liberari. Neminem pudeat. Iteratæ valetudinis iteranda medicina eſt. Gratus in Dominum extiteris, ſi quod tibi Dominus offert, non recuſaveris. Offendiſti? ſed reconciliari adhuc potes. Habes cui ſatisfacias, & quidem volentem. *Idem ibidem eod. cap.*

Suffecit peccare ſemel. AUCTOR *Carminis ad Senatorem lapſum, apud eundem Tertullianum.*

Nullum malum difficilius extinguitur, quam quod faciles reditus habet. S. CYPRIANUS *Libro de ſpectaculis, initio.*

Gravi damnatione iterantur crimina, poſtquam Chriſti ſanguine ſunt redempta. Inexcuſabile malum eſt poſt mortem Redemptoris Domini ſervum peccatis hominem ſe ſubdere. EUSEBIUS GALLICANUS *homilia* 3. *de Paſcha.*

Novum monſtri genus! eadem pæne omnes jugiter faciunt, quæ feciſſe ſe plangunt. SALVIANUS *Libro* 3. *de Gubernatione.*

Taliter ferme omnia agunt, ut eos non tam putes antea pœnitentiam criminum egiſſe, quam poſtea ipſius pœnitentiæ pœnitentiam: nec tam prius pœnituiſſe quod male vixerint, quam poſtea quod

ſe promiſerint bene eſſe victuros. *Idem Libro* 5. *de eadem gubernatione.*

Ecce ſanus factus es! vade, et jam amplius noli peccare; ne deterius tibi aliquid contingat. Audis, recidere quam incidere eſſe deterius? Proinde invaleſcente periculo invaleſcat & metus. Timeas ergo pro accepta gratia, amplius pro amiſſa, longe plus pro recuperata. S. BERNARDUS *Sermone* 54. *in Cantica.*

CAPUT II.

Fontes.

TERTULLIANUS *Libro de Pœnitentia a capite* 5. ubi plura reſtant in hoc noſtrum argumentum.

S. EPHRÆM *Tomo III. Græcolatino* habet *Oden*, facillimo metro labentem; ſed hodie ſolutam. Eſt autem in eos, qui peccant quotidie, & quotidie pœnitentiam agunt. Huic adde, quæ habet *eodem Tomo: Quod ludicris rebus abſtinendum ſit Chriſtianis*, *pag.* 51.

S. BASILIUS M. *Regula breviore* 289.

S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione* 40. *in S. Baptiſma.*

S. CHRYSOSTOMUS *homilia in Pſalmum* 4.
Homilia in Pſalmum 9.
Homilia 1. *in Pſalmum* 50.
Homiliis 27. 44. & 68. *in Matthæum.*
Homilia 37. *in Joanem ad verba:* Ecce ſanus factus es.
Homilia 5. *in I. ad Timotheum.*
Homilia 17. *in ad Hebræos.*
Homiliis 5. & 15. *ad populum.*
Paraneſi utraque ad Theodorum lapſum.

Adde tributam ipſi *homiliam de lapſu primi hominis.* Intelligo autem poſteriorem ex duobus ita inſcriptis.

S. Augustinus *Libro de vera & falſa pœnitentia cap* 5. ut iterum lapſi iterum ſurgant.

Concione ad Catechumenos, Paganos, & Arianos cap. 4. de relapſu poſt Baptiſmum.

Sermone 40. *alias homilia* 11. *ex* 50.

Sermone 87. *alias* 59. *de verbis Domini.*

Sermone 353. *alias homilia* 20. *ex* 50.

S. Isidorus Pelusiota *Libro III. epiſtola* 157.

S. Cyrillus Alexandrinus *Libro V. in Joannem cap.* 17. *toto, fuſe & præclare.*

Victor Cartennensis *Libro de Pœnitentia capitibus* 23. & 24.

S. Gregorius M. *Paſtoralis Curæ Parte III. Admonitione* 31. Et (ſi ſit idem) *in Pſalmum* 3. *pœnitentialem ad verba:* Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ.

S. Bernardus *Sermone* 3. *in Cantica:* Et *ſermone* 3. *in feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.*

TITULUS XLI.

De *Reſtitutione.*

CAPUT I.

Loci.

Libenter terrena amittamus, cœleſtia tueamur. Totum licet ſæculum pereat, dum patientiam lucrifaciam. Tertullianus *Libro de Patientia cap.* 7.

Noli ſectari lucrum, quod animæ detrimentum in ſe continet. Quid enim anima pretioſius? S. Ephræm *ad imitationem Proverbiorum Tomo I. novo, pag.* 78.

Oportebat ita exitii mercedem accipere, tantillam tantæ rei; hoc eſt, ipſarum animarum, impietatisque adverſus Deum. O miſerum quæſtum! o mi-

o miſeram mercedem! . . . aderat quiſpiam ut lucrum facturus, ac poſt lucrum ne ſe ipſum quidem habebat. S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 3. *quæ I. adverſus Julianum, per accommodationem.*

Grave eſt paupertate laborare? at gravius eſt inique comparatis opibus affluere. *Idem apud S. Damaſcenum Libro I. Parallelorum cap.* 26. *qui quidem, quod eundem verſorem eſt nactus, Jacobum Billium, nihil refert, ad ipſummet recurrere.*

Quanto melius eſt ſalutem habere ſine pecunia, quam pecuniam ſine ſalute? S. Ambrosius *Libro II. de Officiis cap.* 25.

Privavit te ille pecunia. Tu te ipſum ſalute minime privaveris. Dolens enim in his quæ a ceteris male es paſſus, ipſe pluribus temetipſum implicabis malis. S Chrysostomus *homilia* 5. *in Job ſuppoſita, quæ neſcio cui homiliæ ſit inſerta apud Montfauconum; certe eam non habet poſt reliquas quatuor in Job.*

Triſtitia te Diabolus confecit pecuniam ſurripiens. Confice & hunc ipſum gratias agens, neque gaudio eundem accumulaveris. *Idem ibidem.*

Melius eſt rem familiarem minui quam ſalutem animæ perire. Melius eſt amittere quod velimus nolimus aliquando periturum eſt. Melius eſt ſponte dimittere, quam id amittere, pro quo omnia dimittenda ſunt. S. Hieronymus *Epiſtola* 123. *alias* 11. *ad Ageruchiam.*

Rapere vis? quid invenis? quid perdis? O lucra damnoſa! rapis pecuniam, perdis juſtitiam. S. Augustinus *Enarratione in Pſalmum* 61.

Præda illa, quam vis rapere, in muſcipula eſt. Tenes? & teneris. *Idem ibidem.*

Quid perdidiſti, & quid aquiſiviſti? Quod aquiſiviſti aurum vocatur, quod perdidiſti fides vocatur, ſeu potius Deus vocatur. Compara fidem vel Deum auro! Lucra tua cogitas; damna tua non

non cogitas? *Idem S. Pater Enarratione in Pſalmum* 23.

In eos, qui reſtitutioni tenuem eleemoſynam ſubſtituunt, idem rurſus graviſſimis verbis: Cui dederis gaudet; cui abſtuleris plorat. Quem duorum iſtorum exauditurus eſt Dominus? *Sermone* 178. *alias* 19. *de verbis Apoſtoli cap.* 4. Et *ibidem:* Dicit tibi Deus: Stulte! juſſi ut dares, ſed non de alieno. Si habes da de tuo; ſi non habes quod des de tuo, melius nulli dabis, quam alteros ſpoliabis. *Denique ſermone* 310. *in Appendice, alias homilia* 47. *ex* 50. Quod dediſtis dicitis; quod rapuiſtis non dicitis. Quos paviſtis memoramini: quare non recordamini quos necaſtis?

Pereat mundi lucrum, ne fiat animæ damnum. *Idem Concione* 4. *in Pſalm.*

Idem, quo ſolatium etiam his afferret, quibus eſt reſtitutio facienda: Fur, ait, tibi tollit aurum? quis tollit tibi Deum? *Sermone* 85. *alias* 205. *de tempore.* Item *Concione* 1. *in Pſalmum* 32 *circa medium:* Non eſt ille tibi ablatus qui dedit, quamvis tibi ablatum fuerit quod dedit.

Qui aliena erogat, alii prærogat. Plus dando decipit quam furando: nec compeſcit inde dolentium gemitus, ſed producit. Audeo dicere, qui de fraude Deo offert, cumulat crimina, non emundat; quia Deus in tali munere exuvias ſuorum pauperum, non miſericordias intuetur. S. CHRYSOLOGUS *Sermone* 54.

Flammæ infelicium mortuorum divitiis non refrigerantur hæredum. SALVIANUS *Libro* 3. *ad Eccleſiam Catholicam, in medio.*

Addendo perdidit, qui retinendo collegerit. CASSIODORUS *Libro XII. epiſtola* 13.

Si ſterilitas in ignem mittitur, rapacitas quid meretur? aut quid recipiet qui aliena tulerit, ſi ſemper ardebit qui de ſuo non dederit? Et ſi judicium

ſine

ſine miſericordia erit illi qui non fecerit miſericordiam: quale judicium erit illi qui fecerit & rapinam? S. Fulgentius *Sermone* I. *de confeſſoribus & diſpenſatoribus Domini, ad illud Matthæi:* Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum. *In eundem ſenſum* S. Gregorius M. *Libro XV. Moralium cap.* 19. Si tanta pœna mulctatur, qui non dediſſe ſua convincitur: qua pœna feriendus eſt, qui redarguitur aliena aſtuliſſe?

De alienis ad cauſam piam applicatis rotunde S. Bernardinus Senensis *Tomo I. ſermone* 31. Nova rapina eſt, & eſt quodammodo facere raptorem Chriſtum in pauperibus ſuis.

CAPUT II.

Fontes.

Quoniam innumera jam attuli Titulis: *Avaritia, Divitiæ, Juſtitia,* ſed & alia deinceps afferam Titulis: *Debita, Uſura, & ſimilibus;* hinc quam pauciſſimis iſtud caput abſolvo.

Lege S. Ambrosium *Libro III. de officiis cap.* 3.

S. Chrysostomum *homilia* 86. *in Matthæum* de Eleemoſynis ex alieno: *homilia* 15. *in I. ad Corinthios*, quod & hæredes teneantur reſtituere &c. *Homilia* 10. *in I. ad Theſſalonicenſes* de reſtitutione, aliisque ei affinibus, egregie & populariter. Addi poteſt *homilia* 38. *operis imperfecti in Matthæum.*

S. Augustinum *Epiſtola* 153. *alias* 54. *ad Macedonium* de reſtitutionis neceſſitate: *Sermone* 178. *alias* 19. *de verbis Apoſtoli: item Sermone* 113. *alias* 35. *de verbis Domini,* ubi plurima huc faciunt.

S. Isidorum Pelusiotam *Libro III. epiſtola* 260. pro Confeſſariis, qui ſpe lucri ante factam reſtitutionem pœnitentes abſolvunt.

Salvianum *in Libris ad Eccleſiam Catholicam, præcipue* 3.

S. Gre-

S. GREGORIUM M. *Libro II. Moralium cap.* 18. quid cogitandum iis, quibus omnia ablata ſunt, *eximie.*

S. ISIDORUM HISPALENSEM *Libro III. ſententiarum cap.* 60. quam ſtulte aliena pios in uſus impendantur.

JOANNEM SARESBERIENSEM *Libro VI. Policratici cap.* 27. & ipſe in Eleemoſynas ex alieno.

GUILIELMUM PARISIENSEM *de Sacramento Pœnitentiæ.*

S. BERNARDINUM SENENSEM *Tomo I. in Quadrageſimali, de Religione Chriſtiana,* ubi plures habet ſermones pro hoc noſtro argumento. Idem *Tomo III. habet ſermonem, ordine* 34. qui eſt totus de reſtitutione.

TITULUS XLII.

De *Salute*; ejus negotio, cura, momento, difficultate.

CAPUT I.

Loci.

Nemo alii naſcitur, moriturus ſibi. TERTULLIANUS *Libro de Pallio cap.* 5.

Si æterna vita venum exponeretur, quanti vos o homines eam empturos promitteretis? Ne ſi Pactolum quidem, qui totus aureo, ut eſt in fabulis, decurrit flumine, quis dederit, pro ſalute, juſtum pretium numeraverit. Quamobrem ne vos animus deficiat. Licet vobis, ſi videtur pretioſiſſimam ſalutem propriis veſtris theſauris, charitate, vivaque fide, quæ merces haud injuſta reputatur, emere. Hoc pretium Deus lubenter accipit. CLEMENS ALEXANDRINUS *Exhortatione ad Gentes, poſt medium.*

Cum

Cum in hac terrena militia tantum homines laboris exhauriant, ut ea ſibi pariant, quæ poſſunt eodem modo perire quo parta ſunt; certe nobis nullus labor eſt recuſandus, quibus id aquiritur, quod nullo modo poſſit amitti. LACTANTIUS *Libro VI. divinarum Inſtitutionum cap.* 4.

Quid neceſſitatem ingeris repentinam? ſi cor habes, intellige quia omni neceſſitate major neceſſitas eſt ſalutis S. AMBROSIUS *creditus, ſermone in Dominica XIV. poſt Pentecoſten, hodie* 39.

Si labore tanto, tanto conatu, tantis impendiis, tanta inſtantia, tanta vigilantia, tanta cura agitur, ut aliquanto plus vivatur: quomodo agendum eſt ut ſemper vivatur? S. AUGUSTINUS *Sermone* 127. *alias* 64 *de verbis Domini.*

Vita miſera, etiamſi poſſet eſſe perpetua, nullo modo beatæ vitæ etiam breviſſimæ comparanda eſt. Et tamen iſti amando miſerrimam, atque breviſſimam perdunt beatiſſimam, & ſempiternam? cum in hac ipſa quam male diligunt hoc velint, quod in altera perdunt *Idem Epiſtola* 127. *alias* 45. *ad Armentarium & Paulinam.*

Vehemens & horribilis eſt perpetua ſuppliciorum pœna, & æterni gehenna ignis nimium pertimeſcenda. Si concupiſcenda non illiciunt, vel metuenda deterreant: & quod amoris conferre cupiditas debuit, timoris ſaltem cauſa paretur. *Putatus* SIXTUS *III. Libro de malis Doctoribus, verſus finem.*

Primas apud nos curas quæ prima habentur, obtineant, ſummasque ſibi ſolicitudinis partes ſalus, quæ ſumma eſt, vendicet. Hæc nos occupet in præſidium ac tutelam ſui, jam non plane prima ſed ſola. Omnia vincat eo ſtudio, quo præcedit omnia. S. EUCHERIUS *in Parœneſi ad Valerianum.*

Ubi ſalutis damnum eſt, illic utique jam lucrum nullum eſt. *Idem ibidem.*

Haud

Haud ſcio ad hanc beatiſſimam vitam quid compellere nos ocyus, aut efficacius debeat: an ipſa futuræ vitæ commoda, quæ promittuntur; an præſentis vitæ incommoda, quæ vitantur. Inde nos illa blandiſſime provocat; hinc iſta vehementer exturbat. Proinde cum in meliorem partem etiam peſſima ſuffragentur, ſi bonis non illicimur, malis extrudamur. Ad incitamentum meliorum optima deterioribus concinunt, & in eandem utilitatem diverſa concurrunt. *Idem ibidem.*

Certe cupiditas vitæ eſt iſtud quod nos delectatione rei præſentis innexuit. Ergo amantes vitam hortamur ad vitam. Vera ratio eſt perſuadendi cum id poſcitur ut impetremus a vobis, quod concupiſcitis. Pro vita, quam diligitis, legatione apud vos fungimur: & hanc, quam omnes exiguam amatis, inſinuamus, ut ametis æternam. Quam quo pacto amemus neſcio, ſi non hanc, quam amamus, eſſe quam ſpatioſiſſimam cupimus. Itaque iſtud quod & cum arctum ſit placet, placeat magis ſi poteſt eſſe perpetuum: & quod apud nos pretium habet cum finem habeat, ſit nobis ſupra pretium, ſi poteſt eſſe ſine fine. *Idem ibidem.*

Igitur ſive vitam hanc contemnendam putas ſive complectendam in utroque facilis negotii mei cauſa eſt. Nam ſi ſpernitur, una eſt ſpernendi ratio, ut melior appetatur: & ſi diligitur, tanto magis eſt diligenda, quæ major eſt. *Idem ibidem.*

Abrumpatur illa interminabilis ſæcularium negotiorum catena, & ille de neceſſitatibus multis unus per totam vitam labor. *Idem ibidem.*

Sane ſupra omnem errorem, atque ignorantiam eſt diſſimulare quemque negotium ſalutis ſuæ. *Idem ibidem.*

Non tanti eſt vita, ſi ad hoc vivat homo, ut in paucis vitæ hujus annis conſumat æternos, & ſub brevi fine congreget ſibi pœnas ſine fine manſuras.

Euse-

Euſebius Gallicanus *homilia de latrone beato, ad finem.*

Duo ſunt, nihil eſt medium, duo ſunt; aut in cœlum aſcenditur, aut in infernum deſcenditur. S. Cæsarius Arelatensis, *cujus hæc teſſera familiaris fuit.*

Nulla ſatis magna ſecuritas, ubi periclitatur æternitas. S. Gregorius M. *Hunc enim in* Cogitationibus chriſtianis *allegat P. Buhours. Miror tamen, quomodo me, dum lego Gregorium, tam palmaris ſententia effugere potuerit.*

Idem graviſſime ad ſeriam, maturamque ſalutis curam hortatur, Andreæ cuidam, quem vulgatæ editiones ſcholaſticum *vocant, hæc in verba reſcribens:* Multos novi, qui in ſervitio reipublicæ poſiti vehementer affliguntur, quia eis non licet vacare, & peccata ſua plangere: & vos, quare neſcio, implicari deſideratis. Cur enim magnifice fili! non conſideras, quia mundus in fine eſt? omnia urgentur quotidie. Ad reddendas rationes æterno & tremendo judici ducimur. Quid ergo aliud niſi de adventu illius cogitare debemus? vita enim noſtra naviganti eſt ſimilis. Is namque qui navigat, ſtet, ſedeat, jaceat: vadit quia impulſu navis ducitur. Ita ergo & nos ſumus qui ſive vigilantes ſive dormientes, ſive tacentes ſive loquentes, ſive ambulantes, ſive volentes, ſive nolentes per momenta temporum quotidie ad finem tendimus. Cum igitur finis noſtri dies advenerit, ubi nobis erit omne quod modo cum tanta cura quæritur, & cum ſolicitudine congregatur? Non ergo honor, non divitiæ quærendæ ſunt, quæ dimittuntur; ſed ſi bona quærimus, illa diligamus, quæ ſine fine habebimus; ſi autem mala pertimeſcimus, illa timeamus, quæ a reprobis ſine fine tolerantur. *Libro VII. Indictione* 15. *Epiſtola* 29. *alias* 26.

Hæc magnifice fili! loquor, quia multum te diligo: & quia in procellas & fluctus tendis, verborum meorum funibus te ad litus revoco: & ſi trahentem ſequi volueris, quæ pericula evaſeris, quæ gaudia inveneris in ipſo quietis tuæ litore poſitus agnoſco. *Idem ibidem.*

Optimus æſtimator rerum, qui nihil ſuorum ſibi præferendum exiſtimet. S. BERNARDUS *Sermone* 30. *in Cantica. Et mox:* Prudenter tu tibi pluris es, quam quidquid tuum.

CAPUT II.

Fontes.

S. BASILIUS M. *Epiſtola* 277. *alias* 42. *ad Maximum Scholaſticum.* Item *homilia* 21. *quod mundanis rebus adhærendum non ſit*, ut plus ſalutem animæ, quam corporis curemus.

S. CHRYSOSTOMUS *homilia de anguſta porta, ſeu inſtituenda ſecundum eum vita, Tomo III. novo.*

Homilia 23. *in Geneſin, ad calcem*, quanta Deus fecerit pro ſalute noſtra.
Homilia 24. *in Matthæum*, *fuſe & præclare.*
Homilia 75. *in eundem.*
Homilia 14. *in ad Romanos*, varia huc.
Ecloga 39. *de modo conſequendi regnum cælorum.*

S. AUGUSTINUS *Sermone* 70. *alias* 9. *de verbis Domini*, ubi graviſſime oſtendit, quantum & facere & pati conveniat ad vitanda mala, & aſſequenda bona æterna; ſi tantum & facimus & patimur ad vitanda mala, & aſſequenda bona temporalia. Adde *Sermonem* 84. *alias* 17. *de verbis Domini: Sermonem* 302. *alias* 111. *de diverſis: ac Epiſtolam laudatam ad Armentarium & Paulinam.*

S. Paulinus *Epiſtolis ad Jovium, & ad Licentium; quarum prior olim 38. nunc 16. altera olim 46. nunc 8. eſt.*

S. Chrysologus *Sermone 124.*

S. Eucherius *in Paræneſi toties laudata.*

Creditus Prosper *Libris duobus de vocatione gentium;* Quod & quomodo Deus omnes ſalvos velit.

Salvianus *in Libris ad Eccleſiam Catholicam* plurima, eaque pathetica affert ad hoc propoſitum. Proxime autem huc facit locus ejus graviſſimus *Libro* 3. ad verba Servatoris: *Quid enim prodeſt homini, ſi lucretur mundum totum.*

S. Bernardus *Libro I. de Conſideratione cap. 5. & Sermone 2. de diverſis, qui inſcribitur: De miſeria humana.*

S. Laurentius Justinianus *Libello de ſpirituali interitu animæ.*

Longe plura miniſtrant Tituli: *Anima. Finis hominis. Amor ſui. Servitium Dei. Æternitas. Officia. Gratia. Electio ſtatus. Paſſio Chriſti, & ſimiles.*

TITULUS XLIII.

De *Scandalo.*

CAPUT I.

Loci.

Scandalum acceptum ita Laconice explodit Tertullianus: Scandalum, niſi fallor, non bonæ rei, ſed malæ exemplum eſt, ædificans ad delictum. Bonæ res neminem ſcandalizant niſi malam mentem. *Libro de velandis Virginibus cap.* 3.

Quid ergo ſi Epiſcopus, ſi Diaconus, ſi Vidua, ſi Virgo, ſi Doctor, ſi Martyr lapſus a regula fuerit? Ex perſonis probamus fidem, an ex fide perſonas?

ſonas? *Idem Libro de Præſcriptionibus adverſus hæreticos, cap.* 2.

Quæ ſponte corruit, quid faciet, ſi fuerit impulſa? S. CYPRIANUS *Libro de ſpectaculis, poſt medium.*

Admonetur ætas omnis auditu, fieri poſſe quod factum eſt, numquam ævi ſenio delicta moriuntur, nunquam temporibus crimen obruitur, nunquam ſcelus oblivione ſepelitur. Exempla fiunt, quæ eſſe jam facinora deſtiterunt. *Idem Epiſtola* 2. *ad Donatum.*

Si ædificare cariſſime nolis, ædificata ne deſtruas: ſi plantare nolis, plantata ne evellas: ſi frater quieſcere non velis, alios quieſcentes ne pervertas. S. EPHRÆM *de Timore Dei, ad imitationem Proverbiorum, Tomo I. novo, pag.* 85.

Non noſtrorum tantum malorum rationem reddemus, ſed eorum etiam, quibus alios ſcandalizamus. Quod ſi ipſa per ſe moleſta eſt exactio rationum, cum adjecta fuerint etiam ſcandala, quomodo ſalutem conſequemur? S. CHRYSOSTOMUS *homilia in Adventum Domini, Tomo VIII. Montfauconi, inter ſpuria.* Eſt conſuta ex *homiliis* 25. & 31. *in ad Romanos.*

Quod ſi noluiſti eſſe cuſtos fratris tui, quare ergo illius interfector es factus? *Idem homilia* 19. *in Geneſin, per accomodationem.*

Idem in procaces puellas, virginitatem profeſſas, admirabili eloquentia: Temere nugantur omnia, & rident intempeſtive, & tumultuantur, & in deliciis magis vivunt quam mulieres, quæ in fornice proſtant; dum ſpectatores technis ſuis undique pelliciunt, & in meretricum turpitudinem ſe conjicere conantur, ac ſi cum illis concertent, deque turpitudinis gloria contendant. Unde enim, dic mihi, poterimus poſtea talem virginem ordine illarum & ſocietate eximere; quando & ipſa idem facit quod

illæ;

illæ; quando ſcilicet adoleſcentum corda in fraudem illicit: quando petulans eſt, & intemperans: quando eadem venena porrigit, eadem pocula miſcet, eandemque parat cicutam. Sed non dicit: *Veni, amore involvamur*: nec dicit: *Aſperſi cubile meum croco, & lectum meum cinnamomo*? Utinam cubile, & lectum, non veſtes, & corpus! illæ enim domi eſcam occultant; tu ubique laqueum circumfers, & expandis voluptatis alas, obambulans in foro. Sed non dixiſti, neque contuliſti verba illa meretricia: *Veni, amore involvamur*? Non dixiſti lingua; ſed dixiſti habitu: non locuta es ore; ſed locuta es greſſu: non invitaſti voce; ſed invitaſti oculis clarius quam voce. At poſtquam vocaveras non te obtuliſti? Neque ſic a peccato liberaberis. Eſt enim & hæc alia fornicationis ſpecies. Pura manſiſti ab injuria corporis quidem; ſed non animæ: & completum eſt a te peccatum; etiamſi non per coitum, ſed per aſpectum. Cujus enim gratia vocas prætereuntes? cur accendis ignem? quomodo putas te puram a peccato, cum totum ipſum opus operata ſis? Etenim cum adulterum feceris perfectum eum, quem tuo iſto habitu cepiſti: quomodo potes non eſſe adultera, cum opus tuum adulterium eſſe deprehendatur? Illius inſania tuum opus eſt. Profecto te, quæ adulteros præparaſti, adulterii ſupplicium minime poſſe effugere nulli non manifeſtum. Tu gladium acuiſti, tu dexteram armaſti; tu armatam dexteram in miſeram animam impuliſti. Quomodo igitur poteris ab homicidii ſupplicio liberari? Dic enim quoſnam habemus odio, & averſamur: quos autem puniunt legiſlatores, & judices? num eos qui bibunt mortifera venena, an miſcentes calicem, præparantes ea, arteque ſua perdentes alios? nonne bibentes quidem, utpote injuria affectos miſeramur; veneficos autem omnibus calculis condemnamus? Nec ſufficit

 eis

eis dicere. non me ipſum læſi, ſed alium perdidi; ſed propter hoc graviorem luunt pœnam. Tu autem miſera, & calamitoſa miſcuiſti calicem hunc pernicioſum, & præbuiſti, & dediſti pharmacum: & poſtquam bibit & perditus eſt, defenſam te putas quia non ipſa biberis, ſed alteri præbueris venena? Quamquam & vos tanto graviorem luetis pœnam quam pharmacopolæ illi, quanto & mors gravior. Non enim corpus ſolum, ſed & animam interimitis. Et illi quidem ſæpe vel furore vel ira hoc faciunt vel inopia: vos autem ad nullum talem confugere prætextum poteſtis; neque enim hoc facitis inimicis, vel eis qui nocuerunt: vel ob inopiam; ſed ob ſolam voluptatem in alienis luditis animabus, & ex aliorum morte voluptatem propriam conſtituitis. *Opuſculo: Quod regulares fœminæ viris cohabitare non debent.*

Quid dicis? infirmus eſt qui oſtenditur? Igitur dignus eſt cui parcatur, non ut lædatur. Vulnera habet; ne igitur atteramus, ſed curemus. *Idem ibidem.*

Si ſcandalizat te oculus, pes, manus, projice ea; nulli parcas, ut ſoli parcas, ut ſoli parcas animæ. S. Hieronymus *Epiſtola* 125. *alias* 4. *ad Ruſticum.*

Labes propagatur & ſerpit: & tangere non datur ſceleratum, quin detur & ſentire contagionem. Synesius *Epiſtola* 56.

Deſine non modo tuam animam, ſed etiam multas alias pro quibus Chriſtus mortem oppetiit demergere. Cogita quonam hoc malum tendat, cum eos quos ipſe non auro, ſed pretioſo ſuo cruore redemit, tu per vitæ tuæ improbitatem perdis! S. Isidorus Pelusiota *Libro II. epiſtola* 65.

Obſecro te delictum alienum ſemper ut opprobrium reſpice, numquam ut exemplum. S. Eucherius *Epiſtola Parænetica ad Valerianum.*

In

In ſeductorem ſe excuſantem mirifice quadrat Basilius Seleuciensis *ad verba Caini:* Eſto dexteræ uſum diabolo commodaris, cur etiam linguam commodaſti? *Numquid cuſtos fratris mei ſum ego?* O vocem ipſa cæde magis execrabilem! o ſententiam impiam & linguæ impietate tetriorem! vere non es cuſtos, at jugulator. Eſto non illi cuſtos additus ſis: numquid es tollere juſſus? *Vox fratris tui clamat ad me de terra.* Vitam ſuſtuliſti; ſed non vocem abſtuliſti. *Oratione* 4.

Pro tantis quisque reus eſt, quantos ſecum traxerit in reatum. Salvianus *Libro* 4. *de Gubernatione Dei.*

Nemo amplius in Eccleſia nocet, quam qui perverſe agens nomen vel ordinem ſanctitatis habet. Delinquentem namque hunc nemo redarguere præſumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. S. Gregorius M. *Paſtoralis curæ Parte I. cap.* 2.

Admonendi ſunt, ut ſi eradicare mala diſſimulant, ſaltem ſeminare pertimeſcant: admonendi ſunt, ut eis perditio privata ſufficiat. *Idem ibidem Parte III. admonitione* 32.

Nullum certe majus præjudicium tolerat Deus, quam cum eos, quos ad aliorum correctionem poſuit, dare de ſe exempla pravitatis cernit: quando ipſi peccamus, qui aliorum compeſcere peccata debuimus: quando pereunti populo mortis auctores ſumus, cui ad vitam duces eſſe debuimus. *Item.*

O Jeſu bone! quam multa facta ſunt pro unius animulæ perditione. S. Bernardus *Epiſtola* 1. *ad Robertum Nepotem.*

Quærit animam tuam, qui jam perdidit ſuam. *Idem Epiſtola* 2. *ad Fulconem.*

Agnoſcite dilectiſſimi, & expaveſcite conſortia eorum, qui ſalutem impediunt animarum. Hor-

rendum penitus ſacrilegium quod & ipſorum videtur excedere facinus, qui Domino majeſtatis manus ſacrilegas injecerunt. *Idem ſermone de Converſione S. Pauli.*

Non omnium ſcandala æqua ſunt lance penſanda. Aliter namque accipienda ſunt ſcandala puſillorum, aliter Phariſæorum, de quibus Apoſtolis timentibus & intimantibus quod ſcandalizati eſſent in ſermone veritatis reſponſum eſt: Sinite illos, cæci ſunt, & duces cœcorum. Illorum quippe ſcandalum de ignorantia, iſtorum de malitia deſcendit. Illi ſcandalizantur quia veritatem neſciunt, iſti quia oderunt. *Idem Tractatu de Præcepto, & Diſpenſatione cap.* 12.

O quam horrendum tibi eſſe deberet, ut propter te aliquis perpetuo ardeat in inferno! Mallem utique fratres centum homines corporaliter peremiſſe quam unam animam perpetuo incendio tradidiſſe, ſi ex ſolo damno culpa penſanda eſſet, & non ex arbitrio. Si enim ſanguis Abel ſic clamat ad Dominum in fratrem occiſorem, quanto fortius clamabit ſanguis animæ perpetuo damnatæ in ſuum interfectorem? O quomodo conqueruntur! quomodo vociſerantur! o quomodo maledicunt, & imprecantur omne malum apud Dei juſtitiam in eos, qui ei tanti mali & miſeriæ cauſa fuerunt, & offendiculum poſuerunt ut in tale præcipitium ruerent! S. Thomas a Villanova *Concione* 2. *in feſto S. Michaëlis.*

CAPUT II.

Fontes.

Tertullianus *Loc. citato de ſcandalo* accepto. Et iterum loco altero citato, *capitibus* 3. & 4. de ſcandalis ex lapſu quorumdam in fide non curando.

Ori-

ORIGENES *homilia* 7. *in Joſue*, de ſcandaloſis exſcindendis.

S. CYPRIANUS *Epiſtola* 2. *ad Donatum*, *& Libro de ſpectaculis*. Item ſub ejus nomine *Auctor de ſingularitate Clericorum*.

S. EPHRÆM *Sermone de iis, qui animas ad impudicitiam pelliciunt*, *Tomo III. græco-latino novo*. Et ibidem *de non ſcandalizando proximo &c. adhortatione*.

S. BASILIUS *Libro II. de baptiſmo cap.* 10. In *Regulis item brevioribus ad quæſtionem* 64. de cavendo quovis ſcandalo. *Libro de vera Virginitate*, ubi docet, ſcandaloſos vel poſt mortem peccare per alios, & ſic aliena culpa exaggerare pœnas ſuas. Denique *Epiſtola ad Virginem lapſam, poſt medium*, ubi exagitat ſeductorem ejus. Eſt *hodie* 46. *olim erat* 5. *aut* ſeorſim *inter opuſcula* ponebatur.

S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione* 1. quam longe facilius vitium ab aliis quam virtutem trahamus.

S. GREGORIUS NYSSENUS *Oratione* 3. *in orationem Dominicam* de ſcandalo, quod datur infidelibus.

S. AMBROSIUS *Tractatu de lapſu virginis conſecratæ, a capite* 7. de damno ſcandali publici in homine ſacro. Idem de peſte ſcandali *in Pſalmum* 1. *ad verba:* Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit.

S. CHRYSOSTOMUS *Sermone, ne ſcandalum cuiquam fratrum ponamus.*

Libro ad eos, qui ſcandalizati ſunt.

Homiliis 17. *&* 60. *in Matthæum*, ubi varia huc affert.

Homilia 26. *in ad Romanos* præclare in dantes ſcandalum.

Homiliis 20. *&* 21. *in I. ad Corinthios*, ne vel demus ſcandalum, vel negligamus eos, qui acceperunt.

Homilia 10. *in I. ad Timotheum*, de ſcandalo infidelium.

Homilia 1. *de pœnitentia, circa medium,* ubi explicat illud Pauli : Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.

Homilia de S. Pelagia, in fine, ne ſcandalizemus hæreticos.

Catecheſi 1. *ad illuminandos*, ne vitia eorum prætexantur, qui abeſſe ab illis longius deberent.

Libro 3. *de ſacerdotio,* de ſcandalis Præſulum fuſe.

Opuſculis duobus: Adverſus eos, qui apud ſe habent Virgines ſubintroductas, &: *Quod regulares fœminæ viris cohabitare non debent.*

Auctor *operis imperfecti in Matthæum, homilia* 12.

S. Hieronymus *Epiſtolis pluribus, uti de vitando ſuſpecto contubernio: ad Sabinianum: ad Ruſticum &c.* Adde *Commentarium in caput* 18. *Matthæi.*

S. Augustinus *in calce libri de opere Monachorum* ardenter rogat, ne deſtruamus, qui ædificare potius deberemus. Item *Concione* 2. *in Pſalmum* 30. de ſcandalo ex tot malis in Eccleſia. Et *Sermone* 81. *alias* 33. *ex Sirmondianis*, *in illud:* Væ mundo a ſcandalis; ubi pulchre præſertim in ſcandalum officioſum, quæ malum cuidam ex benevolentia ſuadetur. Adde *Sermonem* 62. *alias* 6. *de verbis Domini.*

S. Isidorus Pelusiota *Epiſtolis quam plurimis* ad ſcandaloſos Eccleſiaſticos.

S. Chrysologus *Sermone* 27. qui eſt totus de ſcandalo tollendo.

Eusebius Gallicanus *homilia* 7. *ad Monachos*, de pœna multiplici ex ſcandalo.

S. Cyrillus Alexandrinus *Libro* 5. *in Joannem* graviſſime; ne cum cœcos ſe præcipitantes videmus in abyſſum, ſequendos eos nobis arbitremur.

Sal-

Salvianus paſſim de ſcandalo, quod datur infidelibus & hæreticis, idque graviſſimis & vehementiſſimis verbis. Legendus præcipue *Libro* 4. *de gubernatione Dei.* Idem *Libro* 5. *ejusdem operis* in ſcandalum enormis luxuriæ concitatur.

S. Gregorius M. *eleganter Libro XIV. Indictione* 7. *Epiſtola* 17. *alias* 32. *ad Felicem, Meſſanenſem Epiſcopum,* ne quis ſcandala ſerens in communitate toleretur.

S. Bernardus de ſcandalo puſillorum *loco dato & Epiſtola* 78. Idem *Sermone de converſione S. Pauli, quem & ipſum jam allegavi,* alia quædam habet. Adde *Sermonem* 2. *in feſtum S. Michaëlis*, ubi invehitur in ſcandalum dantes. Item *Epiſtolam* 7. *ad Adam Monachum,* ubi pariter agit de ſcandalo.

Petrus Blesensis *Tractatu de Confeſſione Sacramentali, ante medium*, vehementiam ſingularem expromit in ſcandalum luxuriæ.

Adde Titulos: *Abuſus. Societas. Occaſio. Veſtitus. Adulatio. Peccata aliena*, & hujusmodi.

TITULUS XLIV.

De *Societate*, tam bona quam mala.

CAPUT I.

Loci.

Eſſe inter nocentes innoxium, crimen eſt. Malos, quisquis non imitatur, offendit. S. Cyprianus *Epiſtola* 2. *ad Donatum.*

Cito malis ducibus erratur. S. Ambrosius *Libro de fuga ſæculi, capite ultimo.*

Non contenti perditione ſua, ſuæ volunt plures mortis habere participes; quaſi multitudo peccantium ſcelus minuat, & non numeroſitate lignorum major gehennæ flamma ſuccreſcat. S. Epipha-

PHANIUS *Epiſtola ad Hieronymum. Eſt inter hujus Epiſtolas* 73. *nunc* 91.

Nihil aliud diſcat audire, nihil loqui niſi quod ad timorem Dei pertinet. Turpia verba non intelligat: cantica mundi ignoret: adhuc tenera lingua pſalmis dulcibus imbuatur. Procul ſit ætas laſciva puerorum. Ipſæ puellæ & pediſſequæ à ſæcularibus conſortiis arceantur; ne quod male didicerint pejus doceant. S. HIERONYMUS *Epiſtola* 107. *alias* 7. *ad Lætam.*

Proclivis eſt malorum imitatio, & quorum virtutes aſſequi nequeas, cito imiteris vitia. *Idem eadem Epiſtola.*

Cito flores pereunt: cito violas & lilium, & crocum peſtilens aura corrumpit. Nuſquam abs te procedat in publicum. Baſilicas Martyrum, & Eccleſias ſine matre non adeat. Nullus ei juvenis, nullus cincinnatus arrideat. *Idem, iterum ibidem.*

Matronarum maritis ac ſæculo ſervientium tibi conſortia declinentur, ne ſolicitetur animus, & audias quid vel maritus uxori, vel uxor locuta ſit viro. Venenatæ ſunt hujuſcemodi confabulationes, ſuper quarum damnatione ſæcularem verſum aſſumens Apoſtolus fecit eccleſiaſticum: *Corrumpunt mores bonos confabulationes malæ* . . . Graves fœminæ, & maxime viduæ, ac virgines tibi comites eligantur, quarum probata eſt converſatio, ſermo moderatus, ſancta verecundia. Fuge laſciviam puellarum, quæ ornant capita, crines a fronte demittunt, cutem poliunt, utuntur pigmentis, adſtrictas habent manicas, veſtimenta ſine ruga, ſoccosque criſpantes, ut ſub nomine virginali vendibilius pereant. Mores enim & ſtudia dominarum plerumque ex ancillarum, & comitum moribus judicantur. Illa tibi ſit pulchra, illa amabilis, illa habenda inter ſocias, quæ neſcit ſe eſſe pulchram, quæ negligit formæ bonum, & procedens ad publicum

non

non pectus & colla denudat, nec pallio revoluto cervicem aperit; ſed quæ celat faciem, & vix uno oculo qui viæ neceſſarius eſt patente ingreditur. Dubito an loquar; ſed velim nolim quia crebro fit, dicendum eſt; non quo hæc in te timere debeam, quæ iſta forſitan neſcias, nec unquam audieris; ſed quo per occaſionem tui ceteræ præmonendæ ſint. Cincinnatulos pueros, & calamiſtratos, & peregrini muris olentes pelliculas, de quibus illud Arbitri eſt: *Non bene olet, qui bene ſemper olet:* quaſi quasdam peſtes & venena pudicitiæ virgo devitet. Ut taceam de ceteris, quorum importuna viſitatio & ſe infamat & alias; ut etiamſi nihil mali perpetretur tamen hoc ſit vel maximum malum fruſtra patere maledictis & morſibus Ethnicorum. *Idem Epiſtola* 130. *alias* 8. *ad Demetriadem.*

De agmine columbarum crebro accipiter unam ſeparat, quam ſtatim invadat, & laceret, cujus carnibus & cruore ſaturetur. *Idem ibidem.*

Morbidæ oves ſuum relinquunt gregem, & luporum faucibus devorantur. *Idem ibidem.*

Non debes periculoſe externorum conſortia quærere, de tuorum ſocietate ſecura. *Idem Epiſtola* 79. *alias* 9. *ad Salvinam.*

Et non erat jam ille qui venerat, ſed unus de turba, ad quam venerat, & verus eorum ſocius, a quibus adductus erat. Quid plura? Spectavit, clamavit, exarſit. Abſtulit inde ſecum inſaniam, qua ſtimularetur redire non tantum cum illis, a quibus prius abſtractus eſt, ſed etiam præ illis, & alios trahens. S. Augustinus *Libro VI. Confeſſionum cap.* 8.

O nimis inimica amicitia! ſeductio mentis inveſtigabilis! Ex ludo, & joco nocendi aviditas, & alieni damni appetitus, nulla lucri mei, nulla ulciſcendi libidine! ſed cum dicitur: eamus faciamus & pudet non eſſe impudentem. *Idem Libro II. Confeſſionum cap.* 9.

Solus

Solus id non feciſſem. Sic recordor animum tunc meum. Solus omni modo id non feciſſem. *Idem ibidem cap.* 8.

Neſciebam & præceps ibam tanta cæcitate, ut inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris quam audiebam eos jactantes flagitia ſua, & tanto gloriantes magis, quanto magis turpes eſſent. Et libebat facere non ſolum libidine facti, verum etiam laudis. Quid dignum eſt vituperatione niſi vitium? ergo ne vituperarer vitioſior fiebam, & ubi non ſuberat quo admiſſo æquarer perditis, fingebam me feciſſe, quæ non feceram, ne viderer abjectior, quo eram innocentior, & ne vilior haberer quo eram caſtior. Ecce cum quibus comitibus iter agebam platearum Babyloniæ, & volutabar in cœno ejus, tanquam in cinnamomis, & unguentis pretioſis. *Idem Libro II. Confeſſionum cap.* 3.

Non quærant ſibi comites ad ſupplicium, nec gaudeant quia plures inveniunt. Non enim propterea minus ardebunt quia cum multis ardebunt. *Idem Sermone* 351. *alias homilia ultima ex* 50.

Neque valde laudabile eſt bonum eſſe cum bonis, ſed bonum eſſe cum malis. Sicut enim gravioris culpæ eſt inter bonos bonum non eſſe, ita immenſi eſt præconii bonum etiam inter malos extitiſſe. S. GREGORIUS M. *Libro I. Moralium cap.* 1.

Melius eſt habere malorum odium, quam conſortium. S. ISIDORUS HISPALENSIS *Libro II. Synonimorum cap.* 8.

Inter bonos bonum eſſe ſalutem habet, inter malos vero etiam laudem. Illud tantæ felicitatis eſt, quantæ & ſecuritatis; hoc tantæ virtutis, quantæ difficultatis. S. BERNARDUS *Epiſtola* 25. *ad Hugonem, Rhotomagenſem Archiepiſcopum.*

Non

Non evadet peccata, qui ſocius eſſe voluerit peccatorum. S. Laurentius Justinianus *Libro de interiori conflictu cap.* 2.

CAPUT II.

Fontes.

Clemens Alexandrinus *Libro III. Pædagogi toto*, cum quibus habenda conſuetudo.

Lucifer Calaritanus *Libro de non conveniendo cum hæreticis*, quo evincit, debere nos omnino pravorum ſocietatem fugere.

S. Ephræm *De iis, qui animas ad impudicitiam pelliciunt, cum dicant, nihil mali eſſe. Tomo II. græcolatino novo.*

S. Basilius M. *homilia in Pſalmum* 1. *poſt medium: In Regulis fuſioribus, ad Quæſtionem* 6. *Et admonitione ad filium ſpiritualem, prope finem.*

S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 1. *fuſe & eleganter*, cur tam facile mali pervertant bonos, tam difficulter boni malos convertant. Item *Oratione* 20. *de ſuo cum Baſilio contubernio, fuſe.*

S. Ambrosius *Libro II. Officiorum cap.* 12. de fuga malorum, etiamſi prudentes alioqui videantur. Idem *Libro eodem cap.* 20. de ſocietate, quæ deceat Clericos: Et jam ante *Libro I. cap.* 43. de delectu ſociorum.

S. Chrysostomus *homilia* 22. *in Geneſin.*
Homilia in Pſalmum 4. *in fine.*
Homilia in Pſalmum 11. *initio.*
Homilia in Pſalmum 140. *in fine.*
Homilia 60. *in Matthæum.*
Homilia 56. *in Joannem.*
Homilia 10. *in I. ad Timotheum*, ubi illud obſervat, ſocios pœnæ eſſe pœnarum auctores.

Adde *Eclogam* 26. *de virtute & vitio.*

S. Hie-

S. HIERONYMUS *Epiſtola* 52. *alias* 2. *ad Nepotianum, ante medium.*

Epiſtola 54. *alias* 47. *de vitando ſuſpecto contubernio.*

Epiſtola 125. *alias* 4. *ad Ruſticum, ante medium.*

Adde complures *Epiſtolas alias*, & *Librum II. adverſus Jovinianum.*

S. FULGENTIUS *Libro de fide ad Petrum cap.* 43. de permixtione malorum cum bonis in Eccleſia. De qua etiam ex Auguſtino quam plurimos dat locos *Alticotius Parte III. ſummæ Auguſtinianæ.*

S. GREGORIUS M. *homilia* 9. *in Ezechielem, ad verba:* Sermones eorum ne metuas. Ne timeamus malos, cum quibus agendum; ſed & alia huc habet.

S. BERNARDUS *Epiſtola* 7. *ad Adam monachum*, de ſocietate cum malo Præpoſito.

S. BERNARDINUS SENENSIS *Tomo III. ſermone* 7. *de ſocietate bona*, & *mala.*

Agmen poſſit claudere JOANNES TRITHEMIUS *Libro I. Exhortationum ad Monachos, ſermone* 11. *de fugiendo pravorum conſortio.*

Vide & Titulos: *Scandalum. Occaſio peccandi. Tentatio. Amicitia. Juventus*, & *ſimiles.*

TITULUS XLV.

De *Timore* Dei.

CAPUT I.

Loci.

Negant Deum timendum. Itaque libera illis ſunt omnia, & ſoluta. Ubi autem Deus non timetur, niſi ubi non eſt? TERTULLIANUS *Libro de Præſcriptionibus adverſus hæreticos cap.* 43.

Tot illecebris mali expugnantibus bonum quis illud appeteret, quod impune contemneret? quis cuſtodiret quod, ſine periculo amitteret? Legis mali

mali viam latam & multo frequentiorem: nonne omnes illa laberentur, ſi nihil in illa timeretur? horremus terribiles minas Creatoris, & vix a malo avellimur: quid ſi nihil minoretur? *Idem Libro II. contra Marcionem cap.* 13.

Cujus porro amor erga homines verbis exprimi non poteſt, is quanto odio ſcelera proſequatur, mente concipi nequit. CLEMENS ALEXANDRINUS *in Exhortatione ad gentes, prope finem.*

Deus quantum patris pietate indulgens ſemper & bonus eſt, tantum judicis majeſtate timendus eſt. S. CYPRIANUS *Libro de lapſis, prope finem.*

Simpliciter oſtendam ſummum metum ſummam eſſe virtutem. Nemo dubitat, quin timidi & imbecilli ſit animi aut dolorem metuere, aut egeſtatem, aut exilium, aut carcerem, aut mortem; quæ omnia quisquis non exhorruerit, fortiſſimus judicatur. Qui autem Deum metuit illa univerſa non metuit. Ad quod probandum argumentis opus non eſt. Spectatæ ſunt enim ſpectanturque adhuc per orbem pœnæ cultorum Dei, in quibus excruciandis nova & inuſitata tormenta excogitata ſunt. Nam de mortis generibus horret animus recordari; cum immanium beſtiarum ultra ipſam mortem carnificina ſævierit. Has tamen execrabiles corporum lacerationes felix atque invicta patientia ſine ullo gemitu pertulit. Hæc virtus omnibus populis atque provinciis & ipſis tortoribus miraculum maximum præbuit cum patientia crudelitas vinceretur. Atqui hanc virtutem nihil aliud quam metus Dei fecit. Itaque ut dicebam non evellendus ut Stoici, neque temperandus timor ut Peripatetici volunt; ſed in veram viam dirigendus eſt, auferendique ſunt metus; ſed ita ut is ſolus relinquatur, qui quoniam legitimus ac verus eſt, ſolus efficit, ut poſſint cetera omnia non timeri. LACTANTIUS *Libro VI. Inſtitutionum divinarum, cap.* 17.

Quæ quiſque ut jam perpeſſurus timet, hæc paſſus eſt, etiamſi non patiatur: graviuſque a ſe ipſo fortaſſe quam ab iis, qui ſupplicium illaturi ſunt, torquetur. S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione* 4. *quæ eſt* 2. *adverſus Julianum.*

Hoc unum timeamus ne quid magis quam Deum timeamus. *Idem Oratione* 6. *Hoc ipſum ſimilibus verbis vir ſanctus repetit Oratione* 22. *ante medium.*

Quomodo non fuerit animi valde puſilli & abjecti ut qui habeat Dominum propitium ac benevolum conſervos pertimeſcat? S. CHRYSOSTOMUS *homilia in Pſalmum* 117 *poſt initium.*

Idem ad verba: Paravit vaſa mortis &c. Ideo ſe parat ad ſupplicium, ne veniat ad ſupplicium. *Homilia in Pſalmum* 7.

Hoſtes & qui volunt ſupplicium infligere non modo id non dicunt, ſed etiam id celantes invadunt; ne qui ſunt puniendi ſi reſciverint caveant. At non ſic Deus; ſed contra omnino. Prædicit & differt, verbis terret: & nihil non facit, ut quæ minatur non inducat. *Idem in eadem homilia.*

Quaſi majora ſint Imperatorum ſcita quam Chriſti, leges timemus, Evangelia contemnimus. S. HIERONYMUS *Epiſtola* 52. *alias* 2. *ad Nepotianum.*

Proponunt nobis quidam ſententiam cujuſdam ſæcularis Auctoris * qui dixit: *Pudore & liberalitate liberos retinere ſatius eſſe credo, quam metu.* Hoc quidem verum eſt; ſed ſicut meliores ſunt quos dirigit amor, ita plures ſunt quos corrigit timor. S. AUGUSTINUS *Epiſtola* 185. *alias* 50. *ad Bonifacium.*

Times quod etſi nolis erit; & non times quod ſi nolis non erit? . . . Times mortem ad momentum. Veniet, etſi nolueris: time pœnas in æternum, quæ non venient ſi nolueris. *Idem Sermone*

* TERENTII videlicet.

ne 279. *alias* 36. *de diverſis*, *&* 24. *ex Sirmondianis.*

Diſcat timere qui non vult timere. Diſcat ad tempus eſſe ſolicitus, qui ſemper vult eſſe ſecurus. *Idem Sermone* 348. *alias* 214. *de Tempore, initio.*

Timeamus ne timeamus, hoc eſt prudenter timeamus, ne inaniter timeamus. *Idem Sermone* 65. *alias* 13. *inter additos a Pariſienſibus.*

Timet carcerem, & non timet gehennam! timet quæſtionarios tortores, & non timet infernales angelos! timet cruciatum temporalem, & non timet pœnas ignis æterni! poſtremo timet ad modicum mori, & non timet in æternum mori! *Idem Sermone* 161. *alias* 18. *de verbis Apoſtoli.*

Quod ſupra homines eſt time, & homines te non terrebunt. Mortem ſempiternam time, & præſentem non curabis. *Idem Enarratione in Pſalmum* 63.

Fratres nimis timidus eſſe volo. Melius eſt enim non vobis dare ſecuritatem malam. Non dabo, quod non accipio. Timens terreo. Securos vos facerem, ſi ſecurus fierem ego. Ignem æternum timeo. *Idem Enarratione in Pſalmum* 80.

Numquid ego ſcripſi hoc? numquid ego delere illud poſſum? ſi delevero, timeo deleri. Illud poſſum? timeo tacere, prædicare cogor. Territus terreo. Timete mecum, ut gaudeatis mecum. *Idem Sermone* 40. *alias homilia* 11. *ex* 50.

Dico in conſpectu Dei timori veſtro timorem meum. Qui autem non timet, timentem me contemnit; ſed malo ſuo. *Idem Sermone* 393. *alias homilia* 41. *ex* 50.

Timendus eſt ne timeatur. S. Gregorius M. *homilia* 26. *in Evangelia.*

Una ſecuritas, nunquam eſſe ſecurum. Guerricus *Abbas Sermone* 3. *de Adventu Domini.*

Tutiſſima res eſt, nihil timere præter Deum. S. LAURENTIUS JUSTINIANUS *in Ligno vitæ Libro I. qui eſt de timore Domini, cap.* 3.

CAPUT II.

Fontes.

TERTULLIANUS *Libro II. adverſus Marcionem, pluribus capitibus.* Item *Libro de Pœnitentia cap.* 5.

ORIGENES *Libro III. Explanationis Epiſtolæ ad Romanos, ad caput* 3. *ante medium.*

LACTANTIUS *Libro de Ira Dei.*

S. HILARIUS PICTAVIENSIS *Enarratione in Pſalmum* 52. de timore Dei, & hominum.

S. ZENO *Sermone de Timore.*

S. EPHRÆM *in ſermonibus* ſuis multa habet de divino timore.

S. BASILIUS M. *præclare in Proœmio Regularum fuſius diſputatarum: Homilia in Pſalmum* 33. de ſalubritate, æquitateque timoris: *Homilia in principium Proverbiorum: Epiſtola* 46. *alias* 5. *ad Virginem lapſam,* ante finem.

S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione* 15. *in plagam grandinis* varia de timore Dei.

S. AMBROSIUS *Enarratione* 21. *in Pſalmum* 118.

S. CHRYSOSTOMUS *homiliis* 5. & 15. *ad populum, fuſe,* de utilitate timoris, qua divini qua humani.

Addantur: *Homilia* 5. *in ad Romanos.*
Homilia 9. *in I. ad Corinthios.*
Homilia 5. *in II. ad Corinthios.*
Homilia 8. *in ad Philippenſes, initio.*
Ecloga 41. *Tomo XIII. Montſauconi.*

S. AUGUSTINUS *Libro* 83. *Quæſtionum, quæſtione* 33. de timore generatim.

Epiſtola 145. *alias* 144. *ad Anaſtaſium.*
Enarratione 2. *in Pſalmum* 26.
Concione 2. *in Pſalmum* 32.

Enar-

Enarratione in Pſalmum 79. de timore hominum.

Enarratione in Pſalmum 127.

Sermone 102. *de Tempore, nunc* 29. *Appendicis.*

Sermone 348. *alias* 214. *de Tempore.*

Sermone citato 161. *alias* 18. *de verbis Apoſtoli*, ubi plura huc faciunt; quemadmodum & *Sermone* 40. *&* 279. *itidem citatis.*

S. Cassianus *Collatione XI. cap.* 13. de Timore Sanctorum perfecto.

S. Valerianus Cimeliensis *homilia* 1. quantum timor peccata cohibeat.

S. Gregorius M. *Paſtoralis curæ Parte III. admonitione* 14.

Libro VII. Indictione 15. *Epiſtola* 25. *alias* 22. *ad Gregoriam.*

Libro XX. Moralium cap. 3.

Libro XXIV. Moralium cap. 11. de metu Sanctorum, præſertim appropinquante morte.

Homilia 7. *in Ezechielem, poſt medium*, Electos judicem hic, non ibi timere, obiter, ſed eleganter.

S. Antiochus *homilia* 127.

S. Dorotheus *Doctrina* 4. de divino timore.

S. Agobardus *Epiſtola de ſpe & timore, ad Ebbonem Rhemenſem.*

S. Anselmus *præclare Meditatione de humanæ conditionis dignitate & miſeria, præſertim a numero* 10.

S. Bernardus *Epiſtola* 87. *ad Ogerium, Canonicum Regularem. Sermone* 28. *de diverſis, de eo, quod legitur in Job: In ſex tribulationibus. Sermonibus* 6. 16. *&* 54. *in Cantica* &c.

S. Laurentius Justinianus *in Ligno vitæ*, cujus *liber primus* eſt totus *de Timore Domini.*

Vide etiam Titulos: *Judicium. Conſcientia. Dolor de peccatis.* Item Specimina *Minarum*, & *Timoris.*

TITULUS XLVI.

De *Vita* humana, ejusque defectibus, ac miſeriis.

CAPUT I.

Loci.

Quidnam ex vitæ malis primum dicemus? Omnia eundem honoris gradum inter ſe obtinent, omnia primas tenent in malorum excellentia, omnia præbent parem luctus occaſionem. Quid enim miſeriæ magis deflebis, & qua ex parte magis quereris de natura? Vitæ brevitatem & laborem, incipere a lacrimis & deſinere in lacrimas: miſerabilem infantiam, in ſenectute delirium, juventutis inconſtantiam, conſtantis ætatis laborum perpeſſionem: onera matrimonii, cœlibatus ſolitudinem, cum deeſt proles, interitum ſtirpis: divitiarum invidiam, paupertatis moleſtiam? Taceo multiplicem morborum differentiam, damna, mutilationes, putrefactiones, ſenſuum orbitates, a dœmonibus vexationes, quæcunque enim in ſe continet natura illa quilibet in anteceſſum habet, cum ex ſua conditione eveniant. Mitto autem amoris inſaniam & male olens cœnum, in quo volutatur ejusmodi rabies: nec loquor de nutritioni conjuncta per excretionem moleſtia, ne videar ratione omnino invehi in vitam ſtercoris effectricem, oſtendens eſſe noſtram naturam. His omnibus prætermiſſis & quæ ſunt hujusmodi, illud dico maxime dignum eſſe lacrimis, iis qui ſentiunt, quod ſciant omnes, cum hæc umbroſa vita præterierit, nos manere expectationem judicii, & zelum ignis devoraturi adverſarios. Qui ergo hæc & quæ ſunt hujusmodi reputat, an non ſemper ſimul vivet cum luctu, & lamentatione? S. Gregorius Nyssenus *homilia* 6. *in Eccleſiaſten, ad calcem.*

Tantis

Tantis malis hæc vita repleta eſt, ut comparatione ejus mors remedium putetur eſſe non pœna. Nam ideo brevem illam Deus fecit, ut moleſtiæ ejus quæ proſperitate vinci vel tolli non poterant temporis exiguitate finirentur. S. Ambrosius *ſermone* 40.

Xerxes ille Rex potentiſſimus, qui ſubvertit montes, maria conſtravit, cum de ſublimi loco infinitam hominum multitudinem & innumerabilem vidiſſet exercitum, fleſſe dicitur, quod poſt centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat, ſuperfuturus eſſet. O ſi poſſemus in talem aſcendere ſpeculam, de qua univerſam terram ſub noſtris pedibus cerneremus! jam tibi oſtenderem totius orbis ruinas, gentes gentibus & regnis regna colliſa: alios torqueri, alios necari: alios abſorberi fluctibus, alios ad ſervitutem trahi: hic nuptias, ibi planctum: illos naſci, iſtos mori: alios affluere deliciis, alios mendicare: & non Xerxis tantum exercitum, ſed totius mundi homines qui nunc vivunt, in brevi ſpatio defuturos. Vincitur ſermo rei magnitudine, & minus eſt omne, quod dicimus. S. Hieronymus *Epiſtola* 60. *alias* 3. *ad Heliodorum.*

Tota iſta vita intelligentibus tribulatio eſt. Sunt enim duo tortores animæ, non ſimul torquentes, ſed cruciatu alternantes. Horum duorum tortorum nomina ſunt timor & dolor. Quando tibi bene eſt times: quando male eſt doles. Sæculi hujus quem non decipit proſperitas? non frangit adverſitas? S. Augustints *Sermone* 124. *alias* 42. *de Verbis Domini.*

Proſpera in adverſis deſidero, adverſa in proſperis timeo. Quis inter hæc medius locus, ubi non ſit humanæ vitæ tentatio? Væ proſperitatibus hujus ſæculi! ſemel & iterum a timore adverſitatis, & a corruptione lætitiæ, væ adverſitatibus ſæculi!

culi! ſemel & iterum & tertio a deſiderio proſperitatis. *Idem Libro X. Confeſſionum cap.* 28.

Iſtos pueros qui naſcuntur interrogemus, quare a ploratibus incipiunt qui nec ridere poſſunt. Naſcitur & ſtatim plorat: poſt neſcio quot dies ridet. Quando plorabat naſcens propheta ſuæ calamitatis erat; lacrimæ enim teſtes ſunt miſeriæ. Nondum loquitur & jam prophetat. Quid prophetat? in labore ſe futurum, vel timore. Etſi bene vixerit, & juſtus fuerit certe in mediis poſitus tentationibus ſemper timebit. *Idem Sermone* 167. *alias* 24. *de verbis Apoſtoli.*

O vitam beatam! quæ ut finiatur mortis quærit auxilium. *Idem Libro XIX. de Civitate, cap.* 4.

An ideo beatam dicis, quia licet tibi ab his malis morte diſcedere? quid ſi ergo in eis aliquo judicio divino tenereris, nec permitteretur mori, nec unquam ſine illis eſſe ſinereris? nempe tunc ſaltem miſeram talem diceres vitam. Non igitur propterea miſera non eſt, quia cito relinquitur; quandoquidem ſi ſempiterna ſit, etiam abs te ipſo miſera judicatur. Non itaque propterea quoniam brevis eſt nulla miſeria debet videri: aut quod eſt abſurdius, quia brevis miſeria eſt, ideo etiam beatitudo appellari. *Idem ibidem.*

Ecce quam malos dies! & nemo vult finire ipſos malos dies, multumque hinc rogant homines Deum ut diu vivant. Quid eſt autem diu vivere niſi diu torqueri? quid eſt aliud diu vivere quam malos dies malis diebus addere? *Idem Sermone* 84. *alias* 17. *de verbis Domini.*

Quanto ſtudio infeliciſſimi homines agitis, ut diutius miſeri ſitis! *Idem.* Seu ut *Epiſtola* 127. *alias* 45. *ad Armentarium & Paulinam*: Quantis laboribus agitur, ut longiori tempore laboretur!

O ne-

O neceſſitas abjecta naſcendi, vivendi miſera, dura moriendi! S. Sidonius Apollinaris *Libro VIII. Epiſtola* 11.

Quid eſt vita mortalis, niſi via? & quale ſit, fratres mei perpendite, in labore viæ laſſeſcere, & tamen eandem viam nolle finiri! S. Gregorius M. *Homilia* 1. *in Evangelia.*

Si triſtia ſemper acciderent, ecquis ſuſtineret? ſi ſemper proſpera, quis non contemneret? ſed rerum tanta gubernatrix ſapientia horum perneceſſaria viciſſitudine eo moderamine electis ſuis curſum vitæ temporalis alternat, ut nec adverſa frangant, nec læta diſſolvant; cum potius & iſta ex illis gratiora, & illa ex his tolerabiliora reddantur. S. Bernardus *Epiſtola* 136. *ad Petrum, Papienſem Epiſcopum.*

CAPUT II.

Fontes.

S. Cyprianus *Epiſtola* 2. *ad Donatum: Libro de bono patientiæ, ante medium;* & iterum *Libro de mortalitate: Libro ad Demetrianum.*

S. Ephræm *de his, quæ hæc vita continet, ſermonem habet Tomo III. novo, græcolatino.*

S. Basilius M. *homilia in Pſalmum* 1. egregie oſtendit, hanc vitam nihil aliud niſi quamdam viam eſſe.

S. Gregorius Nazianzenus *Orationibus* 10. 16. 53. *& Carminibus variis. ut:* 4. 5. 6. 7. 8. 13. 14. 15. varia eaque præclara accumulat pro hoc Titulo.

S. Gregorius Nyssenus *Oratione de pauperibus amandis.*

Dialogo de anima & reſurrectione (ubi pulchre de amore erga hanc vitam tuendam.)

Oratione de infantibus, qui præmature abripiuntur.

Oratione 3. *in Chriſti reſurrectionem.*

Oratione conſolatoria in funere Pulcheriæ.

Oratione funebri de Placilla, ubi præter alia eleganter de perpetuis vicibus ventris.

Denique *oratione, non eſſe dolendum ob eorum obitum, qui in fide dormierunt.*

S. Ambrosius *Libro de bono mortis: Libro de fide Reſurrectionis: Libro* 2. *de Abel & Cain, cap. ultimo: Libro III. Hexaemeron cap.* 7. de caducitate vitæ.

S. Chrysostomus *homilia in Eutropium.*

Homilia de futurorum deliciis, & de præſentium vilitate pulcherrima, *Tomo III. Montfauconi pag.* 337.

Homilia in illud Pſalmi 38. Verumtamen fruſtra conturbatur.

Homilia 13. *in ad Romanos*, vitam hanc in peccato exigentibus non eſſe vitam.

Homilia 15. *in I. ad Timotheum* de caducitate vitæ.

Concione 1. *de Lazaro*, in Libertinos nolentes perdere certum hujus pro in certo alterius vitæ.

Oratione 1. *de fato, & providentia.*

Declamatione, quod nemo læditur, niſi a ſe ipſo &c. &c.

Prudentius *Hymno* 1. *Cathemerinon*, vitam eſſe ſomnio ſimilem.

S. Hieronymus *Epiſtola* 140. *alias* 139. *ad Cyprianum*, de caducitate vitæ: *Epiſtola* 10. *alias* 21. *ad Paulum*, de miſeriis & brevitate vitæ. Adde *Epiſtolam illi ſuppoſitam ad Demetriadem*, ubi iterum de eadem caducitate hujus vitæ.

S. Augustinus *Libro I. de Civitate, capitibus* 8. & 9. *Libro XIII. de eadem, cap.* 10. ubi quærit, an

non hæc vita ſit potius mors dicenda? *Libro XIX. de eadem, capitibus pluribus: Libro XXII. de eadem, capitibus* 22. *&* 23.

Libro III. de Libero arbitrio, ubi agit de fuga miſeriæ.

Tractatu 49. *in Joannem,* poſt initium, de amore hujus vitæ.

Concione 1. *in Pſalmum* 30. *ad verſum* 8.

Concione 2. *in Pſalmum* 33. *ad verſum:* Quis eſt homo, qui vult vitam.

Epiſtola 127. *alias* 45. *ad Armentarium & Paulinam,* de amore vitæ hujus.

Sermone 344. *alias* 31. *ex Sirmondianis.*

Sermone 80. *alias* 34. *ex iisdem Sirmondianis.*

Sermone 345. *alias* 32. *iterum ex iisdem.*

Sermone 108. *alias* 39. *de verbis Domini.*

Sermone 127. *alias* 64. *de verbis Domini.*

Sermone 385. *alias homilia* 38. *ex* 50.

Sermone 124. *alias* 42. *de verbis Domini.*

Quibus omnibus diverſa, eaque præclara huc habet. Adde *caput* 2. *Libri ſoliloquiorum.*

S. Isidorus Pelusiota *Libro II. epiſtola* 165.

S. Euchrius *Parœneſi ad Valerianum, poſt initium* præcipue.

S. Prosper, aut quisquis ſcripſit *de vocatione omnium gentium, Libro I. cap.* 7.

Severinus Boethius *in Libris de conſolatione Philoſophiæ* magnam partem.

S. Gregorius M. *Libro VIII. Moralium cap.* 32. *Libro XI. Moralium a cap.* 48.

S. Andreas Cretensis *Oratione in vitam humanam, & in defunctos.*

S. Joannes Damascenus *Parallelorum ſacrorum pluribus titulis.*

S. Anselmus *Parte II. Aſcetica, Exhortatione ad contemptum temporalium, & deſiderium æternorum:*

Meditatione I. de humanæ conditionis dignitate & miſeria §. 10. Et rurſum *Meditatione VII.* §. 1.

S. BERNARDUS *Sermone* 1. & 2. *de diverſis.*

NICOLAUS NOTARIUS *ejus Epiſtola* 59. præclare.

RICHARDUS A S. VICTORE *Tractatu I. de ſtatu interioris hominis, a capite* 8. *Et iterum cap.* 34.

INNOCENTIUS III. *Papa, Libris tribus de contemptu mundi, ſeu miſeria hominis.*

S. BERNARDINUS SENENSIS *Tomo IV. Sermone* 14. *de calamitatibus & miſeriis humanæ vitæ, maxime ſenectutis.* Idem jam ante *Tomo III. Sermone* 19. *de miſeria conditionis humanæ*, & *Sermone* 20. *de vilitate hominis* pertractat.

JOANNES CAMPANUS, *Interamnenſis, Oratione Cinericia coram Pio II.* in *Bibliothecis Patrum.*

S. LAURENTIUS JUSTINIANUS *in Ligno vitæ, Libro de humilitate cap.* 4.

Addantur etiam Tituli: *Mundus. Peccatum originale. Adverſa. Tempus. Pœnæ publicæ. Tentationes. Morbi. Providentia. Senectus* &c.

NOTA.

Alii Tituli iſto Libro requirendi vel in dictis jam contenti ſunt, vel ſequentibus in Libris inter ceteros reperientur. Sic verbi gratia Titulum:

BENEFICIA DIVINA, vide Titulo GRATITUDO, atque omnibus illis, quibus beneficium quoddam ſingulatim denotatur.

CASTITAS, vide Titulis: MATRIMONIUM. DE VIRGINIBUS, ET VIDUIS GENERATIM. LUXURIA. TENTATIONES. MORTIFICATIO. GULA. EBRIETAS, & ſimilibus.

CHARITAS, vide Titulis: AMOR DEI, & AMOR PROXIMI.

CONFESSIO, vide Titulo POENITENTIA.

EUCHARISTIA, vide Titulo COMMUNIO.

INCARNATIO, vide Titulo NATIVITAS DOMINI, inter *Feſta.*

JUSTIFICATIO, vide Titulis: GRATIA. BAPTISMUS. POENITENTIA.

JUSTITIA DIVINA, vide Titulis: TIMOR. PRÆSUMPTIO. JUDICIA DEI. PROCRASTINATIO POENITENTIÆ.

IUDEX, vide Titulo JUSTITIA. MAGISTRATUS.

LINGUA, vide TITULIS: DETRACTIO ET CALUMNIA. COLLOQUIA. SILENTIUM. VERITAS &c.

MISERICORDIA DEI, vide Titulis: SPES. LONGANIMITAS DIVINA &c.

OPPRESSIONES PAUPERUM ET SUBDITORUM, vide Titulo JUSTITIA.

RELIGIO, ut eſt virtus, vide Titulis: FESTA. SACRILEGIA. VOTUM. TEMPLA, & ſimiles.

SPIRITUS SANCTUS, vide Titulo PENTECOSTES, inter *Feſta.*

TRINITAS, vide eodem verbo, ubi de *Feſtis.*

VERBUM DEI, vide Titulo CONCIONES.

Finis LIBRI X. *de Eloquentia Patrum.*

BIBLIOTEC ROMA VITTORIO EMANUELE

Errata in Libro X.

Pagina :	Linea :			
4	18	cum paucioribus.	*Adde :*	quam perdidiſſe cum pluribus.
5	15	aliis	*Lege :*	aliquis
10	32	ergo miſericorditer		ergo non miſericorditer
11	14	an omnem ?	*Adde :*	Vis audire, quem omnem ?
18	20. 21	innitur.	*Lege :*	innititur.
21	6	fecit Deum.		fecit hominem, & hominem fecit Deum.
28	21	feras,		ſtas,
29	13. 14	Si me dilexerit dexter oculus, effodiam illum.		Si me dilexerit, diligo: & ſi non dilexerit dexter oculus, effodiam illum.
38	15	infirmitate,		infirmitates,
57	14	expectavit		expectabit
	27	pro maledictis	*Adde :*	maledicta
64	20. 21	quid quid	*Lege :*	quid
66	20	*Enarratione*		*Enarratione 2.*
72	27	futuræ		futuro
84	32	primo		ſummo
94	17. 18	quidquam		quisquam
98	34	ſuſtentatur,		ſuſtentat,
100	19	ut ſint.	*Adde :*	bona.
101	5	Deus	*Lege :*	(Deus)
	19	*Sic lege :* omnia, ita ut nec ea, quæ dicuntur præterita, ibi prætereant, nec ea, quæ dicuntur futura, quaſi deſint, expectentur, ut veniant;		
	34. 35	in terris.	*Lege :*	in terris : non ſic accipias,
107	19	*Libro*		*Libro ad Caloſyrium*
	36	*Oratione*		*Orationibus*
108	23	*intus*		*inter*
109	12	*æterni*		*æterna*
	22	*cap.* 60.		*cap.* 6.
111	9	adulterum		alterum
	34	Idcirca		Idcirco
112	14	Ita		Itaque
113	13	tuit		furit
	19	ageret,		egeret,
	25	*alii*		*alias*
114	12	cogitationis		cognationis
118	11	etiam		etiam ipſa
120	14	ſuppetit,		ſuggerit,
124		NB. *Ad initium : Omiſſus eſt totus Locus S. Cypriani :* Eccleſia eſt in Epiſcopo, & Epiſcopus in Eccleſia, ut ſi qui cum Epiſcopo non ſunt, in Eccleſia non ſint. S. CYPRIANUS *Epiſtola* 69.		
125	11	quot	*Lege :*	quod
126	3	ſermonicati		ſermocinati
	34	Scripturæ communes!	*Adde:*	ecce ubi novimus Chriſtum!
128	29	Clariſſima adhæreas	*Lege :*	Cariſſima adhærens
131	17	ipſo		ipſe
132	10	adjurandi		adjuvandi
	33	illis		illi

Pagina;

Pagina:	Linea:			
134	7	a morbi particulis	*Lege*:	a morbo particulas
146	8. 9	feſtivitates.	*Adde*:	*Sermone in Vigilia S. Andreæ,* de Vigiliis & præparatione ad dies feſtos.
	14	TITULUS XIX. De *Fide*, & Religione.		chriſtiana.
	24	reſtaurari.	*Lege*:	reparari.
147	32	habuerit?		habuit?
148	19	affectibus		effectibus
149	6	*Gratianum*		*ad Gratianum*
150	1	fatemur		fateamur
152	3	*curatione.*		*curationis.*
153	22	*fide*		*fuga*
160	3	Qui		Quia
162	32. 33	*Cæleſtinum.*		*Cæleſtium.*
168	2	*libris*		*cibis*
169	3	*Moralium,*	*Adde*:	*cap.* 8. & *Libro XXX.*
174	5	*Sermones*	*Lege*:	*Sermonem*
177	35	pandant,		non pandant,
	35. 36	non crederent		crederent
178	13	timere		timeo
179	27	*cap.*		*cap.* 20.
	34	ſuſurratis.	*Adde*:	illi in publico; vos in angulo.
185	12	innumerabiliter	*Lege*:	innumerabiles
	14	1. *ad Hebræos,*		1. *in ad Hebræos,*
186	18	nolunt		dedignantur
	24	nullus	*Adde*:	cruciatus pœnarum temporalium poteſt ſempiternis iniquorum
189	6	*Libro X.*	*Lege*:	*Libro IX.*
194	33	proferri.	*Adde*:	Neque enim ſiſti tantum nobis neceſſe eſt, ſed etiam manifeſtari.
197	20	vero	*Lege*:	veros
	37	ipſum		ipſam
199	27	ejusmodi	*Adde*:	ſpectaculo
	36	16.	*Lege*:	17.
204	10. 11	abductus		abducens
	32	revocatur,		renovatur,
205	36	nos		non
210	11	*Libro de anima,*		*Libro II. de anima,*
216	5	ſuam		ſuam in omnibus
218	31	Quaſi		Quaſi liceat, quaſi oporteat.
220	5. 6	*Libro*		*Libro* 4.
	21	denegenda.		deneganda.
227	7	Merentur		Meretur
235	28	fori,		tori,
	33	minime		maxima
243	23	tradat		tractet
	31	veniſſe		vexiſſe
245	10	verbis,		vobis,
	20	quin		quia
267	27	amputatione		amputatis
278	32	amatis.	*Adde*:	cur & mortuos veſtros auratis obvolvitis veſtibus?

Pagina

Pagina:	Linea:			
284	15	dicit?	*Lege:*	dixit?
285	27	expoſita		expolita
290	19	*Citatio* S. PETRI DAMIANI ponenda eſt *ſuperius* poſt S. JOANNEM DAMASCENUM.		
300	11	Quaodo	*Lege:*	Quando
317	32	vacuum		vacuam
325	31	*Libro III.*		*Libro II.*
346	31	mors		mori
347	21	abſcedas;		tuto abſcedas;
	33	quotidie?	*Adde:*	An non eædem menſæ?
367	3	*peccata*	*Lege:*	*peracta*
371	23	*poſt* Titulos:	*Adde:*	*Amor.*
374	31	præſcripſerunt.	*Lege:*	perſcripſerunt.
381	11	31.		39.
386	6	agnoſco.		agnoſces.
	18	*eum*		*Deum*
393	10	S. BASILIUS		S. BASILIUS M.

Subjunguntur reſidua Errata Voluminis VI.

Pagina:	Linea:			
282	24.	*Omiſſum:* *Poëtæ gentiles* citantur a ſummis Concionatoribus. 55. Patribus. *ibid.*		
286	21	ergo	*Lege:*	ego
288	25	*Omiſſum:* ANDRONICUS CONSTANTINOPOLITANUS *ex Familia Comnena.*		
296	3	*Laboris*	*Lege:*	*Laboris*
	3. 4	*laboris*		*labori*
	6	*alterum*		*alterumve*
300	17	*cultu*		*culta*
	28	*dubitet,*		*dubito,*
301	18	*n.*		II.
305	11. 12	*proprinas*		*propinas*
306	19	(quia		(quin
	23	indigis		indignis
	31	*ego*		*ergo*
309	9	*me*		*more*
	31	rationabilibus		rationalibus
310		*poſt:* LIBRO VI. *omiſſa ſequentia:* *Pagina* 52. *Linea* 12. Loco: *veneni* impreſſum *Veneris* *Pagina* 55. *Linea* 2. Loco: *Virtutis* impreſſum *Veritatis.*		
311	5. 6	molleſque	*Lege:*	molles
	31	hinc		tunc
312	3	*nunc*		*nunc* 55.
	21	*ipſius*		*ipſus*
313	34	23.		33.
320	30	Clodovaldi,		Clodoaldi,

Digitized by Google

Digitized by Google

4-1